U.S.D.A.

TRACTATUS

DE DEO CREANTE

AUCTORE R. P. FREDERICO BRAMBRING, S. J.

IN COLLEGIO MAXIMO SS. CORDIS JESU

APUD WOODSTOCK PROFESSORE

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY 1962

ALMA COLLEGE 232.1 LIBRARY B732 Alma, California

4750

ANNO MDCCCLXXXV

BT
695
.B72
1885

Wed. Sept 10. '84

J. D. Walshe S.J.

DE DEO CREANTE

J. D. Walshe S.J.

ANALYSIS CONCEPTUS

Praenotanda.

1.—Doctrinam Sacram SS. PP. dividunt in *Θεολογίαν*, quæ de Deo; et *οἰκονομίαν*, quæ de activitate Dei ad extra deque rebus a Deo distinctis agit.

Hæc Dei activitas ex parte Dei una et simplex, ex parte termini, in supernaturalem et naturalem dividitur;— utraque iterum in activitatem producentem, conservantem, cooperantem.

2.—Actio producens, in ordine naturali, seu creatio, totius divinæ activitatis (in utroque ordine) fundamentum est; unde et in Scripturis vocatur "initium viarum Domini" (Proverb. viii. 22.)— Describitur præterea ut actio Dei *regia — majestatica;* quum in ea maxime Dei imperandi potestas appareat: Ps. xxxii. 9. "Dixit Deus, et facta sunt: mandavit . . . et creata sunt." Cf. potissimum Ps. xcii. "Dominus regnavit . . . . . etenim firmavit orbem terræ." Provocat denique Deus ipse ad illam tanquam supereminentis magnitudinis suæ documentum præcipuum (Job xxxviii.).

I. DE VERBO CREANDI.

Creatio distinguitur activa—actio ipsa; et passiva—terminus creatus.

Ac primo quidem *de activa.*

I.—Quum veteres non haberent fere ideam actionis ex nihilo producentis, carebant nomine; quare verbum novum novo conceptui quærendum fuit. Ac latini quidem adhibent verbum *creandi.*

Creare (procreare) proprie significat: *aliquid* producere vi naturali, estque fere idem ac gignere; unde: "Sapientia prior omnium *creata*" (Eccli. i. 4.) loco *genita.*

Liber *Genesis* loco L. creationis.

Ideo et in sensu translato (pro ordine morali) dicitur: creare odium, inimicitias i. e. gignere, excitare; creare ducem, regem, i. e. facere cum adsignificatione electionis.

Ut terminus denique technicus significat: aliquid *producere ex nihilo secundum totam substantiam.* Transfertur etiam ad ordinem supernaturalem; ubi est creatio idem ac justificatio, regeneratio spiritualis; ut notat Basilius (in homil. "Quod Deus non est auctor malorum" in Ps. xxxii. in verba: "Ipse mandavit et creata sunt"). Ratio est; ut creatio physica fit ex *nihilo* substantiæ, per solam voluntatem Dei; ita et creatio hæc moralis in ordine supernat. fit ex nihilo operum meritorumque ex sola misericordia Dei.

Ideo Eph. ii. 10: "Ipsius sumus factura, creati in Christo in operibus bonis" ad Galat. vi. 15. "Neque circumcisio aliquid valet . . . . . sed nova creatura" Cf. Vasquez t. 1. q. 45 d. 172. c. 1.

Græci utuntur verbo κτίζειν, ποιεῖν, quod proprie significat *condere, fundare,* dein creare; Marc. xiii. 19. "Ab initio creaturæ (κτίσεως) quam creavit (ἔκτισεν) Deus."—(ποιεῖν) "In principio creavit (ἐποίησεν) Deus cœlum et terram." Gen. i.

In symbolis ποιητής *factor, creator.*

Hebraei utuntur Barâ (ב ר א); quod præsertim in *Kal.* et Niphal significat creare quamvis in iisdem et præsertim in reliquis formis significet etiam *formare* (de quo post).

Terminus vero creationis vel consideratur ut totum aliquod systema; vocatur *universum* τὸ πᾶν, πάντα, Marc. xiv. 35. Prov. xvi. 4; etiam "cœlum et terra" Gen. i. "Cœlum et terra et omnis exercitus (Vecol-Zebaam) ejus." Gen. ii. 1.

Vel sumitur denominatio a tempore totum mensurante— ætas cosmica in oppositione ad æternitatem futuram—; vocatur αἰών, sæculum— Olam (ע ו ל ם)— Hebræi. xi. 3. "Per quem fecit et sæcula."

Vel desumitur ab ordine et pulchritudine—vocatur *mundus*—κόσμος Joan. iii. 17.

N. B. In sensu ethico sæculum et mundus significat regnum peccati, homines peccatores. Satan, dominus mundi (κόσμου) hujus Joan. xii. 31.

Satan, deus hujus sæculi (αἰῶνος) II. Cor. iv. 4.

Verbum *World* secundum alios a verbo (Ant. Sax.) werlen, quod est idem ac verti—hinc systema, quod est in motu. Secundum alios a verbo (Ant. Sax.) ver i. e. mann—et eld—ætas—; hinc idem ac hominum ætas, (fere idem ac sæculum)—vid. ad voc. World, *Dictio. Imp.*

II. DE CONCEPTU.

Creatio est productio alicujus rei secundum totam substantiam nullo præsupposito—ita eam definit S. Th. 1. q. 65. a. 3.

Creatio est effectio ex nihilo; Suar. M. 20. S. 1. n. 1. . . .; est effectio rei ex nihilo sui et subjecti — ita communiter. Duo hæ definitiones important.

1. Originem effectus.
2. Relationem effectus ad causam efficientem.

I. DE ORIGINE.

1.—Creatio est aliqua effectio. In omni vero effectione distinguendum est illud, quod intenditur, ut desinat; et illud, quod intenditur, ut succedat. Prius vocatur terminus *formalis a quo;* alterum terminus *formalis ad quem;* (tendit actio)— ; v. g. si in marmore quadrato producatur forma rotunda, forma quadrata intenditur, ut desinat—terminus a quo ; forma rotunda ut succedat—terminus ad quem ; totum marmor ut rotundum —terminus totalis qui.

N. B. formalis vocatur, tum quia determinat illud esse, ut sit hoc esse vel in genere substantiæ vel accidentis — tum quia idea artificis, quæ intenditur exprimenda—v. g. forma Cæsaris in marmore —vocatur forma intelligibilis.

Attingitur ergo marmor sub hoc præcise respectu ; actio vero ipsa consideratur ut traducens formam ex mente artificis in marmor, ideoque forma illa in marmore claudit naturaliter ipsam actionem.

2. —Omnis efficientia tanquam genus dividitur adæquate in species duas per terminum a quo, tanquam differentiam specificam, prout vel præsupponitur, vel non præsupponitur subjectum ex quo, ita ut sit aut eductio aut creatio.

A DE EDUCTIONE.

1-—Nihil educitur nisi quod latet in re vel actu, si educibile sit existens, vel in potentia, si nondum existat. Potentia vero duplex : activa—principium agendi in aliud : passiva—principium patiendi ab alio (1. 25., 1. c.). Potentia passiva non est quasi receptaculum, quod pro capacitate aliquod ab aliena vi prius formatum et transmissum in se recipiat, nec est velut virtus in semine ex qua evolvatur planta, sed est ipsa res ut *transformabilis* in aliud ; — v. g. quum cera quadrata transformatur in rotundam, rotunditas dicitur educi ex potentia ceræ.— Quare S. Thomas definit potentiam pass. : "principium transmutandi

(passive) ab alio in quantum aliud" — (Ferr. Cg. l. 3. c. 102. n. 4. c.) —i. e. subjectum ut transformabile a causa separata.

N. B. Quod educitur ex potentia, comparatur ad illam ut ejus *actus;* et quia id, quod facit rem actu per suam inexistentiam, vocatur forma vel substantialis vel accidentalis, prout esse novum vel substantiale vel accidentale est,—ideo id, quod ex potentia educitur, vocatur etiam forma—(S. Th. opusc. 21. de princip. natur.).

2.—Quum forma accidentalis qua forma compleat ipsum esse substantiæ — et qua actus compleat potentiam, patet ipsum accidens non referri ad se, sed ad subjectum, nec existere per se, sed per aliud,— recteque definiri "*entis ens*"—i. e. ejus ens, cujus esse per formam accidentalem evolvitur et determinatur ; v. g. forma rotunda in cera non habet diversum esse a cera, sed est rotunditas ipsa qua existens, rotunditas cerea. Unde accidens est participatio alterius esse.

Ex hoc sequuntur plura valde notanda :

a) *quoad materiam :* aliquid transit ex termino a quo in terminum novum ad quem (vel substantia—vel materia prima).

b) *quoad formam :* — forma accidentalis non per se opponit se nihilo sed per aliud ; nec proprie et primario, sed analogice et secundario.

Similiter forma substantialis non immediate per se existit extra nihilum, sed dependenter a comprincipio.

Præterea forma in subjecto alteri formæ opponitur — rotunditas in cera quadraturæ ; — quumque forma præcedens debeat prius alterari, — subjectum igitur forma illa privari ; ipsa privatio recte præcedere dicitur, ita ut forma subsequens ex privatione prioris formæ et ex nihilo sui procedat.—

c) *quoad causam efficientem :*—

Intenditur itaque in eductione non *esse per se*, sed participatio alicujus esse existentis ; — non *esse simpliciter*, sed determinatio alicujus esse. Hinc sufficientia talis effectus est divisa inter causam materialem et efficientem. Actio eductiva, quum sit essentialiter immutans, agit paulatim ; ideoque forma a privatione transit per statum *fieri* ad statum *esse*.

Denique assimilatur forma effecta causæ efficienti non secundum esse, sed secundum activitatem particularem applicatam, sicut objectum calefactum ex actione ferri igniti ferro simile est non sub respectu esse, sed sub respectu caloris ; figura Cæsaris in marmore expressa non quoad *esse* similis artifici est, sed secundum similitudinem expressivam convenit cum artificis idea ; et filius similis patri est non secundum quod *est*, sed secundum quod est *homo*.

Assimilatur autem effectus ex potentia passiva subjecti eductus utrique causæ, efficienti et patienti, quia quidquid in alio existit, existit ad

modum ipsius. — Ubi autem ipsum *esse* effectus est, ibi solum assimilatur formæ agenti, quare illa forma activa non particularis esse potest, sed universalis tantum, quia esse ipsum radix omnium est, omnia pervadens, omnibus commune; — hinc effectus universalis. —Id vero obtinet tantum in creatione.—

Hinc,

B DE CREATIONE.

1.— Quodsi terminus producendus in nulla potentia lateat, ita ut nihil præexistat ex quo, actio producens creatio est.—

Expl. Est igitur talis terminus ex nihilo; id vero non significat tantum "non est ex aliquo," quia neque divina essentia est ex aliquo, neque ideo dici potest esse ex nihilo; sed significat vel ex se nihil esse, vel ab alio habere, quod sit; vel esse post nihil.

2.—Nihilum vel non-ens duplex est, *illud*, quod non habet essentiam —ideoque existere non potest v. g. circulus quadratus; tale quid non cadit sub omnipotentiam Dei; — *alterum*, quod habet essentiam, sed non existentiam; idque est objectum potentiæ divinæ.*

3.—Nihilum conciptur necessario *per modum entis* – hinc non simpliciter ut ens, sed ut ens cum negatione annexa.—*non-ens.*—

Expl. duplex concurrit mentis operatio; prior, qua concipitur ens; altera annexa per quamdam reflexionem, qua corrigitur et negatur secundum alia principia. Sub priori ratione de nihilo positiva fit prædicatio; —per alteram operationem adhibetur et illi prædicationi *correctio.*—

* Refert Valdensis (t. 1. doctr. ant. l. a. 1. c. 17) Wickleffum definivisse creationem, ut esset productio de puro esse intelligibili ad esse extra Deum (Vasq. t. 1. disp. 172. c. 1.). —Potest hæc definitio habere duplicem sensum; —vel ex intelligibili tanquam materiali causa producitur, vel supponitur tanquam conditio sine qua non.— In priori sensu falsa definitio, quia supponeret esse illud diminutum, quod falsum;— in secundo sensu admitti potest, quia significat, esse intelligibile, quod fuit primo in ordine ideali, produci simpliciter novo modo in statu physico. Similiter possibile *aut* concipitur ut materia præjacens et hinc in novo termino tanquam simul constituens; ita ad creationem concurrere *non* potest, aut concipitur ut *convenientia notarum* negans existentiam physicam, — tum vero concurrit ut conditio *sine qua non*;—producitur simpliciter in ordine physico, ita ut sit convenientia notarum physicarum; ex quo patet, creationem non posse dici mutationem nisi sensu quodam lato, quia mutatio supponit terminum præexistentem, qui mutetur;—nec posse dici *saltem sensu stricto* transitum ex ordine ideali vel possibli;—quia transitus supponit terminum jam existentem, et præterea, ordinem a quo relinqui; — sed nec intelligibilitas nec convenientia notarum per existentiam amittitur; et terminus ipse fit.—

Distinctio vero termini *possibilis* et *termini existentis* est distinctio secundum statum tantum, quum idem omnino Petrus, qui antea possibilis postea creatus sit; —dicitur etiam distinctio *realis negativa*, (non secund. se, sed secundum statum tantum.).

Atque* ita fieri necesse est propter infirmitatem humanæ mentis,—quæ abstrahit, componit, dividit etc; — neque alio modo de quocunque agere potest, nisi sub ratione *entis*, quia ens est objectum formale rationis. Præterea quidquid tractat mens, ejusdem idea et phantasma in homine existere debet. Nihili vero nec idea nec phantasma possibile est; quando ergo de nihilo agitur, debet concipi per modum entis. (S. Th. de pot. q. 3. a. 1. ad 3.) (cf. Stoeckl Ph. t. 2. p. 5. n. 8.).

Præterea nihilum per modum entis varium sensum admittit pro vario nexu; — *v. g.* ante creationem præter Deum erat *nihil*, i. e. negatur omnis realitas existens. — In sententia vero hac: "Deus ex nihilo omnia fecit;" quum verba causalitatem exprimant, concipitur *nihilum* ut materia *ex qua*, quæ negatur.

4.—Ex hoc patet, quis sit sensus præpositionis *ex;* designat enim terminum, a quo vel simplex directio incipit, v. g. ex puncto linea. *vel* successio ordinis varii v. g. ex mane fit vespera, ex paupere fit dives i. e. post mane fit vespera etc., vel successio causalitatis; *v. g.* ex ligno fit sella.

Itaque sententia "ex nihilo fit alquid" potest significare successionem ordinis, i. e. "post nihilum;" vel causalitatis non secundum rem, sed secundum conceptus nostros. Omnis enim causalitas oculis subjecta tria continet, causam *efficientem*, *materialem*, *effectum;*—ideoque ad normam hujus causalitatis alteram fingimus, quæ causam effectivam et effectum tantum continet. Inserimus enim causam materialem per fictionem.

5.—Quum *nihilum* præcedat, quæritur, quæ sit prioritas.—

Triplex prioritas, naturæ, temporis, originis solius; — naturæ prioritas postulat, ut effectus, licet præcedat, quoad tempus, tamen simul existat cum causa.—(fortasse non invenitur in rerum natura); temporis prioritas ponit intervallum inter causam et effectum;— originis prioritas aut est idem ac prima, aut est inter "relativa" tantum *v. g.* jus et officium sunt relativa hinc simul natura et tempore, quoniam, ut unum sit, alterum esse debet; nihilominus jus gignit officium secundum prioritatem originis. Pater in Divinis præcedit filium tantum prioritate originis.

Jam vero prioritas *nihili* est prioritas naturæ: quælibet enim res a Deo relicta "ex se" esset non-ens. Convenit igitur esse ipsi a causa aliena ideoque prius natura convenit non-esse. —Est etiam prioritas temporis; quamvis enim nulla sit duratio in nihilo, tamen quum nihilum concipiatur ut ens imaginarium, ponitur etiam talis in ipso duratio.

* Deus non potest concipere nihilum per modum entis,—nec generatim facere ens rationis, quia objectum suum formale est sua essentia non autem ens in genere: et quia omnia *intuitive* videt, sicut oculus non potest videre tenebras ad modum lucis —videt autem Deus entia rationis, quæ homo facit, in comprehensione hominis.

Simili modo in casu annihilationis diceretur "res" prius fuisse, dein nihilum, ita in casu creationis prius nihil, dein res. Annihilatio de esse ad non esse; creatio de non-esse ad esse.

Coroll. 1. Ergo patet, inter nihilum et esse nullam esse distantiam intermediam, quæ terminum utrumque separet, adeoque nec esse infinitam distantiam;—concipi vero per modum distantiæ, quia nihilum per modum termini concipitur; quare huic distantiæ leges mensurantes tam parum applicari possunt, quam non-enti, quod percipitur per modum entis, regulæ τοῦ esse.

Coroll. 2. Ergo in creatione *non* intenditur hoc vel illud in aliquo esse existente, sed esse ipsum; non participatio esse alieni, sed *esse "in se;"* — non oppositio ad nihilum per esse alienum, sed oppositio per sese *perseitas.*—Qualis vero effectus, talis et vis agens, quia effectus est manifestatio potentiæ agentis, omnisque vis agens intendit actione sua se quodammodo reproducere, *necessario* et *complete* et *univoce, si necessario* agat; *analogice generatim* et *deficienter*, si *libere* agat.—

Quare si forma agens non existat per se, nec potest producere aliquod existens per se, sed necessario supponit alquid *in quo* aliquod producat; ideoque qui producit aliquod subsistens per se, efficit illud per formam, subsistentem per se, *i. e.* per formam, quæ est IPSUM ESSE.

II. DE RELATIONE EFFECTUS AD CAUSAM.

Quæritur, num quidquid fiat, supponat semper causam, an possit etiam aliquid fieri per accidens.—

Locke (tractatus de intellectu hum. l. 2. c. 26.) *Hume* (tractatus philos. 7.) contendunt, ex successione simplice duorum factorum priorem concipi a nobis tanquam causam posterioris; hinc ortum putant principium rationis sufficientis.

Tollunt itaque veram causalitatem.

Beguelin (Academ. Berolin. professor) incertum censet principium causalit.: unde putat, posse aliquid casu fieri; (cfr. Gerdil: Reflexions sur un mémoire de Mons. Beguelin tom 4. operum).

Rationes ejus sunt:

a, principium rationis sufficientis est principium ideale ideoque non valens pro ordine reali.

b, non potest demonstrari pro ordine reali;—demonstratio enim quærit rationem sufficientem; — ergo supponit jam principium, quod probare vult, hinc petit principium.

c, Sufficit possibilitas rei, ut in existentiam procedat.

Athei denique aut fingunt materiam, sine ortu;— aut casu ortam; aut ab inquisitione abstinendum putant (Darvinus alique plurimi).

I.

CERTUM EST PRINCIPIUM CAUSALITATIS.

Nam *a.* Omnes distinguunt successionem causalitatis a successione ordinis v. g. successionem arboris et fructus, et diei et noctis. Nec quis quam rectum putat: hoc post hoc; ergo propter hoc.

b, Omnes distinguunt conditionem a causalitate v. g. in combustione ligni per ignem distinguitur applicatio (ut conditio) ab igne (tanquam causa).

c, Omnes invincibiliter concipiunt se ut causas suarum actionum—bonarum, malarum;—quærunt causas in aliis extra se;—interrogant: cur hoc? etc: ac sæpe, ubi successio clara est, causam dicunt incognitam.—

Jam vero quod omnes quasi sponte faciunt, non potest esse falsum.

d, Scientia est cognitio per causas;—nulla igitur scientia, ubi causalitas tollitur.—

Ordo omnis *physicus, moralis, socialis,* hoc principio causæ et effectus nititur. Nulla cognitio et prædicatio possibilis, quia ut cognoscatur et prædicetur, esse ita, non vero aliter, debet esse ratio.—

e, Cadit ipsum principium contradictionis (quod admittit Beguelin). —Nam ex duobus contradictoriis v. g. esse et non-esse, unum est verum: aut est aut non est; si ergo est, ponitur eo ipso ratio sufficiens, ut alterum de ea re dici non possit. Quodsi ratio sufficiens non poneretur, posset etiam alterum simul dici, ideoque eadem res posset simul esse et non esse.—

II.

Quidquid fit, habet causam efficientem; — nulla igitur res per accidens vel casu fieri potest.—

1. *Nota:* Casus potest sumi vel absolute, vel relative. Absolute sumitur, quando omnis causa efficiens negatur; (hoc sensu Beguelin). —*Relative* sumitur, quando eventus aliquis neque intentus neque prævisus occurrit. (Suar. M. disp. 19. S. 12.)

A. DE CASU ABSOLUTE SUMPTO.

Nulla res casu fieri potest, sed supponit causam;

a, Fieri supponit facere, sicut generari supponit generare.—Fac generari sine generante; pulsari sine pulsante, etc.—absurda profecto sunt. Est enim passio ipsa actio transiens. Nihil autem non transit; et actio supponit agentem.

Pone cistam vacuam exspectans, dum nihilum seu vacuum internum convertatur in aurum.—Profecto absurda spes!—

b, Quidquid fit, accipit existentiam, quam prius non habuit.

Atqui non potest eam accipere a nihilo; nihilum enim non habet existentiam; ergo nec dare potest. Ergo est aliquis, qui dat.

c, Videtur censere Beguelin, possibilitatem sufficere ad existentiam sibi dandam.—Sed,

α) omnia in hoc casu possibilia deberent existere.

β) existentia majus quid est quam possibilitas sola, unde minus deberet sibi dare majus; esset transitus ex ordine ideali in realem;

γ) possibile ipsum, quum non existat in se, necessario existit in Deo. Deo vero admisso, facile probatur creatio.

2. Respondetur ad ration. Beguelin.

Ad primum: princip. rationis sufficientis latius patet; in ordine reali enuntiatur ita: "effectus realis habet causam realem;" quod probatum est supra.

Ad secundum: Si demonstratio quærit ration. sufficient., sequitur, si principium illud falsum sit, nullam demonstrationem possibilem, nullam explicationem.

Præterea supponitur de facto esse ratio suff., et in hoc non errari non probatur ex ipso hoc principio, sed ex communi et concorde hominum actione, ex invincibili conscientia, ex reductione ad principium contradict., ex fundamentali relatione ad omnes ordines (vide supra).

B. DE CASU RELATIVE SUMPTO.

Casus vel sumitur ut effectus et definitur eventus præter intentionem et prævisionem junctus alicui causæ per se agenti: v. g. aliquis intendens emere obviat in foro creditori illuc ex condicto non venienti (Cg. 2. 83); vel sumitur *de causa* talis effectus; v. g. quod illi duo sibi obvii fiunt.—Agimus de casu ut causa.—

Supponamus hominem terram effodientem invenire thesaurum. Hominis igitur labor effodiens et thesauri præsentia in terra *simul sumpta* et *unita* inventionem efficiunt. Conjunctio vero illa et unio effossionis et præsentiæ thesauri supponitur habere causam, quæ in vita communi vocatur casus vel fortuna; — a paganis (Romanis, Græcis) ut dea culta.

Fortuna omnipotens et ineluctabile fatum Virg. Æn. l. viii.

Plinius l. II. c. 7.— Toto mundo — Fortuna sola invocatur .....

Cf. Auson. Epigrm. 133.

Jam casus ut causa, est causa per accidens, non causa per se. i e.— concipitur et fingitur ad modum causæ.

Atqui causa per accidens seu ficta non potest agere; sed est conjunctio causarum physicarum agentium, unde notum illud: "causa per accidens reducitur et resolvitur in causas per se agentes."

Ergo per talem causam nihil potest fieri.

Ad Maj.— Si causa libera sit, quæ absconderit thesaurum, ut homo illum inveniat, illa inventio ex intentione fit, hinc non ex casu. Quando ergo sermo est de casu intelligitur casus ut causa necessario agens, ut causa physica. Jam vero talis non existit, nam:

Si existeret in rerum natura, deberet physice agere in hominem fodientem et thesaurum absconditum, ut ex utroque unum fieret.

Atqui id non fit, ut patet; —ergo non existit casus ut causa physica per se agens, sed est causa per accidens.

Ergo per casum tanquam causam nihil fieri potest.—

III.

NON EST ABSTINENDUM AB INQUISITIONE.

Nam *a*, Principales quæstiones sunt; *unde ens sit, et cur sit*; i. e. origo et finis. Jam vero principalia sunt primo loco tractanda.

b, Nulla scientia possibilis, quippe quæ cognitionem quærat per causas altissimas.

c, Cognitio et explicatio partium possibilis non est, si excludatur relatio ad totum; — hoc vero naturaliter importat relationem ad causam efficientem, exemplarem, finalem.

d, Maximum peccatum contra Deum — contra hominem, ignorantiam finis libere appetens, seu potius affectans.

e, *Omnes homines* sponte ac naturaliter in religionem aliquam propendent, quæ originem ac finem hominum aliarumque rerum explanare conatur.

SCHOLIUM DE FATO. †

1. Fatum vario modo accipitur.

a, Ut necessitas quædam supra homines deosque elevata per modum entis alicujus indefiniti et indefinibilis.— Ita veteres— Græci et Romani—sæpe.

Jupiter ipse subditus illi erat; "*Me* (*Jovem*) *quoque fata regunt*" si-

* Romani et Græci mira contradictione, Fortunam ut deam, et, quum non intelligenter ageret, oculis velatis fingere solebant. Cf. I. Rhetoric. ad Heren.

† Fatum a fando (fari) proprie significat decretum Dei inviolabile *fando* i. e. verbis manifestatum, potestque sensu quodam vero admitti, quamvis ob significationem paganam ab usu vocis abstinendum sit, dicit S. Aug.

mulque fatorum executor (*Ζεὺς μοιραγέτης*. Paus. 24. 4), ideoque fata vel scivit et manifestavit, Virg. Æn. l. 1 v. 25 7. . . vel inquisivit sortibus in statera positis. Hom. Il. 22. v. 212.

b, Alii reponunt fatum in necessitate naturæ. Cicero de divinat. 1. 55. "Fatum vero appello . . . ordinem seriemque causarum, quum causa causae nexa rem *ex se* gignat; ea est ex omni æternitate fluens veritas sempiterna." . .

c, Alii reponunt fatum in astrorum influxu, Chaldaei etc.

Definitur;—"causarum colligantia ex astrorum motibus ac vi efficaciam trahens."

(Ita Alb. l. 2. Phys. tract. 2. a. 19. ex Apulejo) Cf. S. Aug. Conf. l. 4. c. 3. et de Civit. Dei l. 5. c. 1.

d, Alii videntur reponere fatum in *deorum* decreto immutabili.

Seneca Quæst. nat. l. 2. c. 35.

"Quemadmodum rapidorum aqua torrentium in se non recurrit, nec moratur quidem, quia priorem superveniens præcipitat; sic ordinem fati æterna series regit, cujus hæc prima lex est, *stare decreto.*"

Et c. 36. definit: "est necessitas rerum omnium actionumque, quam nulla vis rumpat."

2. Ex his patet, fatum aut concipi ut necessitatem legum physicarum vel decretorum dei, aut ut necessitatem mysteriosam quandam supra mundum et deos ipsos elevatam;—si prius, supponitur jam ordo existens magisque gubernationem respicit, quam effectionem; — si alterum, necessitas illa aut est *physice existens*, et tunc est Deus tanquam summum numen, quod per suspicionem et divinationem confuse concipitur, aut est ens aliquod in imaginatione tantum existens ideoque physice nihil. Jam vero tale ens non potest esse causa physica, ideoque per *fatum nihil potest fieri.*

Generatim de casu et fato ita S. Augustinus de Trinit. l. 3. c. 4.

"Nihil fit visibiliter et sensibiliter, quod non de interiori invisibili atque intelligibili aula summi Imperatoris aut jubeatur, aut permittatur secundum ineffabilem justitiam præmiorum atque pœnarum, gratiarum et retributionum in ista totius creaturæ amplissima quadam immensaque republica."—Cf. Suarez M. disp. 19. S. 12.

ARTICULUS PRIMUS

DE NATURA ACTIONIS CREATIVÆ.

§ I.

De possibilitate actus.

(S. Th. 1. 45. a. 2. — De Potentia q. 3. a. 1. — Cg. l. 2. a. 1. 2. 3. —Suar. M. disp. 20. S. 1.)

Nota: Incipitur ab hac quæstione non propter scientiæ rationem, (cf. Palmieri de Deo Creante prop. 2,) sed propter rei gravitatem. Quamvis enim ordo possibilitatis *ontologice* præcedat ordinem physicum, *logice* tamen i. e. in ordine cognitionis præcedit priorem, ita ut ex *facto* possibilitas facti agnoscenda sit; id autem sufficit ad scientiam.

Rationes dubitandi

1.—*Ex nihilo nihil fit.* i. e. repugnat, quod aliquid, quod non sit, accipiat aliquid; — præterea aut per conversionem ipsius nihili in aliquid, aut per eductionem fieret; utrumque absurdum.

Insuper ex nihilo nihil *concludi* potest; ergo nec fieri.

Accedit, quod non oportet agere contra conceptum communem; fuit autem tota antiquitate communiter receptum, "ex nihilo nihil fieri;" dicit enim Aristot. Phys. l. 1. c. 4. præsert. c. 8. "Nos autem ipsi dicimus, nihil fieri simpliciter ex non-ente." Cicero de divinat. 2. c. 16. "Erit aliquid, quod aut ex nihilo oriatur, aut in nihilum subito occidat, quis hoc physicus dixit unquam?"

2.—Omne factum fuit prius in statu fieri; fieri autem supponit aliquid ex quo; creari autem excludit *ex quo;* ergo excludit fieri, ideoque et statum facti.

3.—Infinita distantia non potest transiri, quod communiter receptum est;—sed inter nihilum et esse est infinita distantia, quod sic patet: quo minor est potentia passiva relate ad effectum educendum, eo major est distantia inter ipsam et effectum; — unde si potentia passiva fiat infinitesimalis et pergat ad limitem, disproportio et distantia fit maxima et pergit ad limitem finiti. Quodsi infra infinitesimalem sit ~~cue~~ nihil, ex altera etiam parte evanescit limes et hinc oritur infinitum ratione distantiæ.

4. — Sine potentia activa nihil fieri potest, etiamsi adsit potentia passiva; ergo a pari sine potentia passiva nihil fieri potest, etiamsi adsit potentia activa.

Accedit quod "prorsus dissimile non agit in prorsus dissimile" (Arist. in 1. de gen. com. 48.) Sed Deus est prorsus dissimilis nihilo.—

PROPOSITIO I.

Actio productiva ex nihilo, seu creatio possibilis est tam ex parte termini producendi, quam ex parte actionis producentis.

St. Q. 1. Duplex possibilitas; negativa, quando non potest probari impossibilitas; positiva, quando potest convenientia notarum intelligi et probari.—Agitur in thesi de *positiva* possibilitate.

2. — Supponitur probatum, Deum existere, nec petitur principium, quum præter argumentum ex creatione alias sufficienter Dei existentia probari possit.

Pars I.

Non repugnat terminus creabilis.

Arg. Terminus finitus vel ideo creari non posset, quia essentialiter INCLUDERET existentiam: sicut homo rationalitatem; vel quia EXCLUDERET existentiam sive essentialiter ut circulus quadratus, sive propter infinitam distantiam a nihilo.

Atqui Ex neutra parte repugnat; — *non ex priore;* nam si finitus terminus includeret existentiam, non posset *cogitari* sine existentia, sicut homo non potest cogitari sine rationalitate;

Jam vero hoc falsum, quum bene loquamur de altero mundo possibili tantum, deque multitudine rerum possibilium v. g. arborum, foliorum etc.

Præterea homines post saeculum futuri, sunt nunc possibiles tantum; homines, qui fuerunt, amiserunt existentiam; qui nunc sunt, amittent.

Jam vero quod in essentia includitur, nec acquiri, nec amitti potest.

~~CONCEPTUS ACTIONIS~~.

Denique repugnat, ens finitum essentialiter includere existentiam; existentia enim non est quasi una nota inter plures, — sed sunt *omnes*

notæ simul sumptæ ut physicæ et actuatæ, et *esse actuatas*, pertinet ad essentiam; — hinc quidquid est actuale, modus physicus etc., pertinet ad essentiam, sicut rotunditas ad circulum. Jam vero in ente finito, v. g. in materia physicus modus existendi — quum sit amissibilis, non pertinet ad essentiam; materia enim finita, perfectibilis, mutabilis est in substantia, accidente, loco, tempore;—*ergo* ens finitum, v. g. materia non potest existentiam includere in suo conceptu, hinc non potest esse a se.

Expl. Si homo sit existens per essentiam, omnes etiam notæ, hinc et magnitudo erit essentialis; quare si habet quinque pedes altitudinis, repugnaret ejus essentiæ habere quatuor vel sex pedes, quod absurdum.

Conflrm.

a) Quod habet existentiam per suam essentiam, habet et omnia, quæ ad existentiam pertinent, ex eodem fonte; atqui terminus finitus utpote perfectibilis multa petit ab aliis; *ergo.*

b) Quod est a se, est et ad se, i. e. est suus finis et totaliter independens; atqui materia est totaliter ad aliud et dependens; ergo non est a se.

c) Si materia esset a se, esset in uno ente materiali totus conceptus materiæ exhaustus; —in uno homine tota humanitas; atqui hoc repugnat ipsi conceptui, qui secundum individua physica multiplicabilis est; *ergo.*

Non ex altera parte repugnat (i. e. non *excludit essentialiter existent.*)

Nam *a*) Existentia excluditur tantum per contradictionem notarum. Jam vero nulla contradictio; quia perseitas negat tantum dependentiam a subjecto inhæsionis, non dependentiam originis et activitatis.

Præterea contradictio supponit affirmationem et negationem esse simul. Hoc vero non obtinet, quum terminus productus sit post nihilum, non simul cum nihilo.

b) De facto existit materia. Ergo non repugnat.

Non ratione distantiæ repugnat.

Nam *a*) Distantia illa imaginaria tantum. (vid. supr.)

b) Si esset de facto infinita distantia, sequeretur tantum requiri virtutem infinitam.

Ergo non ex se, sed fortasse ex defectu virtutis infinitæ repugnaret.

Pars II.

Non repugnat actio creans.

Nam *a*) Actio ut sic dicit tantum terminum, qui producitur, non autem subjectum, in quo producitur.

Ergo ubi actio secundum totum et purum conceptum existit ut in Deo, ibi nullus terminus *ex quo* requiritur. Cf. Suar. M. d. 20. n. 11.

Præterea activa potentia ex sese in genere suo perfecta est.

Ergo ex *finitudine* tantum potentiæ activæ est; ut supponat et pendeat a passiva in aliquo præsupposito.

b) Quale esse, tale agere.

Jam vero in esse Deus independens est —ergo et in agendo, præsertim quum Deus per esse ipsum agat.

Ergo non potest Deus aliquam potentiam passivam extra se supponere, a qua pendeat.

Præterea quum Deus agat non per formam superadditam, sed per *ipsum esse*, debet etiam effectus ipsi assimilari secundum *esse*, et hinc produci secundum esse.

c) Creaturæ habent analogum quid ad creationem i. e. productionem novæ substantiæ *secundum quid* per generationem. Atqui analogum est deficiens ex toto genere suo a perfectione primæ causæ. Ergo prima causa substantiam totam debet posse producere.

d) Deus, utpote infinitus, talis est, ut omnia in se *eminenter* et *virtualiter* contineat. Atqui *eminenter* in se continere est omnia sibi debere assimilare, ita ut in tantum habeant esse, in quantum assimilantur; *virtualiter* in se continere est omnia debere posse efficere, quæ factibilia sunt.

Ergo Deus ut omnia possibilia eminenter in se continet, ita et producere potest. (vid. part. 1. a.)

Respondeo ad objecta.

Ad 1. Ex nihilo nihil fit per conversionem vel eductionem *C;* post nihil non potest quidquam fieri—N.

Præterea *concludi* refertur ad ordinem veritatum; sed veritates fieri non possunt, quia non cadunt sub potentiam exequentem—sed sunt termini intellectus; intellectus autem supponit, non facit objectum. Ordo

physice creabilis supponit ordinem intelligibilem. Sed ordo intelligibilis non supponit alium; sicut nec intellectus supponit ante se facultatem aliam.

Denique recte comparatur creatio cum intellectione primorum principiorum; ut enim hæc fertur in primas veritates ut faciat eas in se existentes, ita creatio fertur in terminos intelligibiles, ut fiant existentes in ordine physico.

Veteres concipiebant actionem in mundo per motum. Tum vero patet ex nihilo non posse esse motum, sed ad motum supponi utrumque terminum.

Ad 2. Factum esse supponit fieri, ubi actio fit per modum motus et mutationis *C;* ubi vero actio pura est et secundum conceptum suum perfecta ut in Deo—*N.*—(vide p. 2. a.)

Ad 3. responsio patet ex prolegominis et proposit.

Ad 4. Negatur paritas. Nam actio ut sic dicit essentialem respectum ad effectum, non autem ad subjectum aliquod *ex quo* — potentia vero passiva dicit essentialem respectum ad causam agentem; — est enim receptiva potentia, quæ naturaliter supponit dantem.

Præterea activa potentia est ex genere suo perfecta, hinc ex se non dependens. Passiva vero potentia est ex genere suo imperfecta, hinc dependens. Ex quo patet, actionem ex genere suo non supponere terminum a quo pendeat, passivam vero supponere. (Cf. Suar. M. d. 20. n. 11.)

Quod vero simile requirat simile, in quod agat, non sub *omni* respectu verum est, quum spiritus possit agere in materiam.

Negatur præterea Deum agere in nihilum tanquam terminum; sed agit in rem productam, quæ quum fuerit antea in statu ideali, agit Deus circa terminum intelligibilem. Terminus autem intelligibilis et physice existens Deo similis est (similitudine analoga.)

§ II.

Num actio creans habeat pro objecto formali *ipsum esse* ut producendum.

Rationes dubitandi.

1.—In resurrectione fit nova et integra substantia.

Jam vero non fit per eductionem formæ ex potentia passiva.

Ergo quum non sit medium inter eductionem et creationem, resurrectio videtur fieri per creationem, unde creationis objectum formale non est *esse producendum ex nihilo.*

2.—In transsubstantiatione producitur (secundum unam sententiam) Corpus Christi in locum annihilatæ substantiæ panis — hinc ex nihilo.

Atqui transsubst. non est creatio. *Ergo* creatio non ex nihilo tendit in ens.

PROPOSITIO II.

Ratio sub qua actio creativa objectum suum attingit, est ipsum esse primum et per se.

St. Q. 1.—In objecto actionis duplex ratio distinguenda; *formalis*, quæ est id, quod per actionem in objecto intenditur: *materialis*, est objectum ipsum, in quantum patitur. Qui vult in cera formam rotundam producere, respicit ceram sub respectu producendæ rotunditatis; producenda igitur rotunditas (in cera) est ratio formalis; cera ipsa ratio materialis —prior forma, altera materia; prior objectum formale, altera objectum materiale.

2.—In objecto creationis ratio formalis est ipsum esse; ratio materialis est objectum *in quo*, v. g. esse in materia, spiritu. Quod si objectum formale creat. ab aliquibus dicitur esse *ens*, non intelligitur *ens abstractum*, sed *ens physicum* i. e. illud præcise, per quod res aliqua EST.

3.—Distinguendum est *esse*, et *esse tale;* actus igitur creationis non intendit esse tale, sed *esse simpliciter.*

ARG. 1. Creatio intendit productionem ex nihilo, hinc oppositionem ad nihilum. Atqui non per esse tale, sed per esse opponitur nihilo — ergo hoc intenditur.

Ad. maj. Formale objectum cognoscitur ex oppositione ad terminum a quo, quatenus hic intenditur abire et alter succedere. Terminus *a quo* est nihilum, (quod intenditur desinere). Terminus autem oppositus est ESSE.

ARG. 2. Creatio est actio nobilissima ideoque illi respondet nobilissimus effectus. Atqui nobilissimus effectus est ipsum esse, quia fundamentum omnium est. *Ergo.*

Ad. maj. Productio vel est immutatio accidentalis, vel est generatio,

immutatio substant.; utraque dependens ab objecto. Creatio vero independens est omnemque effectus sufficientiam habet in se, unde nobilissima est.

Ad. min. "Esse autem est illud, quod est magis intimum cuilibet, et quod profundius omnibus inest, quum sit formale (sc. principium) respectu omnium, quæ in re sunt." (S. Th. 1. 8. 2. c.)

Arg. 3. Creationi ut actioni ab omni objecto præsupposito independenti respondet etiam effectus ab objecto independens. Atqui talis effectus est tantum *ipsum esse. Ergo.*

Resp. ad Sup.

Ad 1. Non est creatio, sed mirabilis conjunctio animæ ut formæ cum materia sua secundum potentiam passivam non eductionis sed receptionis.

Ad 2. Nota: Sententia de physica efficientia sacramentorum admodum dubia est; verumtamen et in hac sententia notandum:

a) Verba consecrantis non *annihilant* substantiam panis, quia annihilatio non est nisi cessatio influxus conservantis ex parte Dei; quam cessationem verba consecrantis physica actione producere non possunt.

Præterea "*nihilum*" non potest esse terminus alicujus actionis positivæ, quia terminus claudit actionem; nihilum vero claudere non potest.

b) In sententia reproductionis corporis Christi esse ipsum, Corporis Christi non creatur, secus enim haberentur duo vel plura corpora Christi, sed idem esse ponitur hic actione quidem in se incomprehensibili, ideoque aliunde dijudicanda.

Præterea licet terminus transubstantiationis sit dignior, quam terminus creationis, nihilominus secundum vim actionis minor est, ut S. Ambrosius dicit l. 4. de Sacram. c. 4.

"Si tanta vis est in sermone Domini Jesu, ut inciperent esse, quæ non erant: quanto magis operatorius, ut sint, quæ erant et in aliud commutantur!" (Cf. Sylv. t. 1. q. 45. a. 5. ad 4.).

Coroll. 1. Ergo recte dicitur objectum formale creationis esse *ens* (vid. stat. q. n. 3.).

Coroll. 2. Quum esse ut sic sit esse subsistens, creatio recte dicitur esse effectio subsistentium (S. Th. 1 q. 45. a. 4.)

Coroll. 3. Quum in physicis esse sit semper esse tale, patet *accidentia* in omni creatione substantiæ *concreari.*

Coroll. 4. Si accidentia crearentur immediate, hinc non ex potentia passiva,—possent dici creari relate ad terminum a quo; non creari relate ad terminum ad quem; hinc in toto *non adæquate* creari.

Suarez M. d. 20. S. 1. n. 1. definiens creationem esse productionem vel *subsistentium* vel habentium se *per modum subsistentium*, censet, talia accidentia posse dici simpliciter creari, quum habeant se per *modum subsistentium*.

§ III.

Quæritur, quæ sit potentia creativa in Deo.

Nota: Distinguendum principium integrum effectionis, quod complectitur et *intellectum* intelligentem et dirigentem, et *voluntatem* imperantem, et *potentiam* exequentem, a potentia executiva solitarie sumpta et immediate agente.—Simili modo in homine est intellectus illuminans, voluntas imperans,—organa corporea exequentia (ut in *pictore* manus exequens.)

Agitur de facultate executiva solitarie sumpta et proxime et immediate actum eliciente.

TRIPLEX SENTENTIA.

I.

Durandus in primum dist. 38. qu. 1. Suarez, M. disp. 30. n. 45–50. aliique censent, potentiam in Deo ratione (i. e. ratiocinata seu virtualiter) distingui ab intellectu et voluntate.

Rationes:

a) Objectum formale potentiæ executivæ est ens producibile ad extra; objectum formale intellectus et voluntatis divinæ est Dei essentia.

Atqui potentiæ distinguuntur sicut eorum objecta formalia. *Ergo.*

b) Quemadmodum *intelligibile* est extra ambitum *volibilis*, ita volibile et intelligibile extra ambitum possibilis. *Ergo* si ponitur intellectus (respondens intelligibili) *virtualiter* distinctus a voluntate (respondente volibili) debet etiam poni potentia *virtualiter* distincta ab intellectu et voluntate.

c) Deus potens est operari extra se quatenus infinitus est non in genere scientis et volentis, sed simplicter in genere entis. Hæc enim infinitas in genere entis simpliciter convenit Deo; quatenus eminenti

quadam ratione habet in se omnem perfectionem, quam aliis communicare potest. Ergo ratio omnipotentiæ non convenit Deo ratione intellectus et voluntatis, sed ratione essentiæ infinitæ (Suar. M. d. 30. n. 47. in fine) et vere, non quia vult, hinc potest; sed quia *potest*, hinc vult.

d) Formæ subsistentes, non ratione sui, sed ratione finitudinis habent, ut per accidens superadditum operentur. Deus igitur, quum sit forma infinita per se debet agere ad extra.

e) Ideo definit Suarez omnipotentiam Dei "esse ipsammet divinam naturam, quæ quatenus est ipsum esse per essentiam, est effectrix cujuslibet esse participati seu participabilis, si accedant voluntas applicans et scientia dirigens" (M. d. 30. S. 17. n. 45.)

f) Hinc deducit Suarez (n. 49.) actionem omnipotentiæ debere esse *transeuntem* tam in creando quam in concurrendo. Immanenter enim intellectus et voluntas tantum agunt.

g) Cohaeret præterea, quod docet Suarez, M. d. 20 S. 5. n. 7.

"Si Deus potest elevare creaturam, ut per suammet entitatem absque alia superaddita efficiat effectum, excedentem virtutem suam naturalem, quod ego *longe probabilius* judico (sic enim existimo, elevare aquam ad torquendos spiritus et verba ad transsubstantiandum.) Si hoc (inquam) verum est, non video, qua ratione consequentia negari valeat, posse Deum uti una creatura ut *instrumento* ad creandum aliam."

N. B.—Duplici ratione posset creatura habere vim creandi,—*a*) ut naturalem, *b*) ut instrumentalem; loquitur hic de vi instrumentali.

De vi naturali ita loquitur Suarez—d. 20. § 2. n. 4.

a) . . . "Nulla hactenus inventa sufficiens ratio est nedum demonstratio, quæ persuadeat requiri ad creandum virtutem simpliciter infinitam. Loquor autem de virtute principali, quæ sua vi potest effectum producere."

b) In quæstione, num angeli vim creativam naturaliter *possent* habere (quamvis de facto non habeant), *vel non;* negantem sententiam putat veram; addit: "difficillimum tamen censeo, cogentem demonstrationem ad illam confirmandam afferre." (n. 12.)—Addit dein duas rationes novas;

a) Si posset esse creatura naturaliter habens vim creativam, perfectio totius ordinis universi postularet, ut existeret. "Constitueret enim alium ordinem et gradum creaturæ præter eos, qui nunc sunt, quia haberet distinctum et altiorem operandi modum: ergo pertinuisset ad perfectionem universi, ut in eo esset talis creaturarum ordo seu gradus. Ergo e converso, cum Deus condiderit universum sine tali creatura, signum est, illam non contineri in ordine creaturarum, neque esse possibilem. (n. 12.)

b) Inter substantias creabiles nullus esse potest altior gradus quam sit Angelorum, seu intellectualium rerum; inter accidentia vero (philosophice loquendo) nulla sunt

h) Intelligitur etiam, cur Suarez inhæreat tantopere efficientiæ physicæ sacramentorum præsertim verborum consecrantis sacerdotis ad transsubstantiandum.

PROPOSITIO III.

Merito rejicienda videtur sententia, omnipotentiam VIRTUALITER *distinctam ab intellectu et voluntate, esse facultatem immediate eliciti-vam creationis.* (Cf. Vasquez tom. 1. disp. 102. c. 3. n. 10.)

St. Q. 1) Deum concipimus ad modum nostrum; quumque ipse sit infinitus ideoque uno conceptu exhauriri non possit, mens vero nostra sit nimis infirma Deumque judicet secundum creaturas, necesse est, intellectum multis conceptibus inadæquatis uti ad Deum aliquo modo concipiendum.

Hinc ponit distinctiones in Deo, quarum distinctionum fundamentum vel in ipsis operationibus Dei ad extra, quæ sese ex genere suo excludunt *v. g.* intelligibile et volibile — vel in imperfectione intellectus constitutum est. Prior distinctio vocatur distinctio rationis ratiocinatæ, seu distinctio cum fundamento in re, seu distinctio *virtualis*; — altera est distinctio rationis sine fundamento in re, seu *rationis* solius.

2) Non debet ita unum ab altero distingui attributum, ut per distinctionem ponatur attributum in Deo imperfectum, ut patet.

3) Negatur virtualis distinctio, quæ ponat omnipotentiam tanquam completum ac sui ordinis attributum in Deo, sicut intellectus et voluntas est, quamvis aliqua distinctio rationis (solius) admittenda sit.

ARG. 1. Omnipotentia ut attributum distinctum supponit voluntatem non ex sese et infinite efficacem.

Atqui debet voluntas in Deo esse infinite efficax. *Ergo.*

Ad maj. Voluntas in homine non est ex sese efficax, hinc uti debet organis corporalibus tanquam instrumentis. — *Ergo* a pari si voluntas Dei deberet uti omnipotentia tanquam instrumento executionis, nec esset ex sese, nec infinite efficax.

meliora, quam ea, quæ his supremis substantiis connaturalia sunt (theologice loquendo); nulla possunt esse meliora, quam ea quæ pertinent ad ordinem gratiæ et visionis beatæ. Si ergo in his supremis ordinibus rerum non invenitur potentia creandi, in nulla creatura possibilis est. Nam quod in gradu Angelorum possint fieri alii perfectiores in specie, quam sint omnes facti, non est satis, ut habeant modum operandi tam diversi ordinis et rationis." (n. 13.)

Ad min. Infinita voluntas debet ita concipi, ut si quid efficaciter desideret ac velit, id etiam per sese assequatur.

Arg. 2. In ente intellectivo omnis facultas ad illum ordinem *ex natura sua* pertinere debet. Atqui potentia ex sua natura non refertur ad illum ordinem, invenitur enim in brutis quoque. — *Ergo* nec potentia infinita ex sese in ente intellectivo poni tanquam attributum potest. — Omne enim attributum debet naturam intellectualem participare.

Arg. 3. Secundum adversarios *esse ipsum* ponendum esset ut principium activum. *Atqui* quamvis *in re* esse ipsum sit in Deo etiam intelligere et velle, *secundum nostrum tamen conceptum* esse non *agit* sed *constituit* ens, facultates vero tantum agunt. — *Ergo* esse ipsum non potest concipi ut activum et executivum ideoque neque ut potentia executiva in Deo.

Respons. ad super.

Ad a) Objectum formale omnipotentiæ est producibile ad extra *adæquate* distinctum ab objecto formali voluntatis N.; inadæquate distinctum, quatenus nihil est aliud quam *efficaciter* volitum, C.

Præterea ponere in Deo attributum, cujus objectum formale non sit Deus ipse, sed aliquid extra Deum, videtur in se repugnare.

Ad b) Responsum patet ex priore. — Formalitas enim *producibilis* non est plane extra ambitum *volibilis*, sicut intelligibile est; quum enim nihil aliud sit, nisi volitum efficaciter, patet, adjectivum "*efficaciter*" non trahere objectum extra ambitum voluntatis.

Ad c) Patet respons. ex thesi.

Recte potest dici: Deus potest, quia vult, i. e., quia voluntatem infinitam habet et ex se efficacem.

Ad d) Si formæ subsistentes non agunt per accidens superadditum nisi ratione finitudinis, sequeretur, Deum utpote formam infinitam neque intelligere et velle per facultates, quæ a nobis concipiuntur ut supervenientes ipsi esse Atqui ita tamen Deus intelligit et vult. — *Ergo* rejicienda ratio P. Suarez. — Præterea in re omnia in Deo identificantur; distinctio fit ex parte manifestationum; quare recte in Deo ponuntur facultates manifestationibus correspondentes.

II SENTENTIA.

NOTA: 1. Certum est apud Theologos, causam rerum esse divinam scientiam; nam "*Dominus sapientia fundavit terram*" Prov. iii. 19. "*Scientia Divina omnium est artifex.*" Dionys.

2. Scientia ut causa dupliciter intelligi potest, vel ut dirigens i. e. proponens modos executionis, vel ut immediate efficiens. Prior, scientia dirigens, est scientia simplicis intelligentiæ; altera, scientia visionis practicæ.

3. Thomistæ, ut possint promotionem physicam defendere Patrumque aliquorum dicta: "Quia Deus videt res, ideo sunt," fingunt in scientia visionis duplex momentum; *prius*, quando visio terminatur ad existentiam ut hac terminatione sive visione ipsa res producatur;—vocatur scientia *approbationis seu practica*. *Alterum* momentum, quando res producta est, visio eam attingit ut eam contempletur;—vocatur visio *speculativa*. Sic putant, posse et aliorum Patrum dicta explicari: "Ideo res a Deo videntur, quia sunt." *

4. Rationes Thomistarum sunt:

a) In S. Scriptura refertur Deus agens semper cum imperio.—Atqui imperium est actus rationis, et quidem videntis. *Ergo* Deus agit ad extra per visionem. Prob Maj. Gen. 1 Dixit Deus "*Fiat lux*" Ps. 148. *Ipse dixit, et facta sunt* .... Prob. minor. Jam vero dicere est loqui, loqui autem pertinet ad intellectum.

Præterea per imperium intellectus rem ut existentem attingit, non vero amplius ut mere possibilem. Jam vero actus attingens existentiam est visio.—

* Thomistæ duplicem ordinem statuunt intentionis et executionis. — In ordine intentionis series actuum hæc: Intellectus divinus concipit gloriam suam in creatione manifestabilem tanquam bonum; proponit voluntati; — hæc annuit, intendit; intellectus quærit inter possibiles creationes eam, quæ fini respondet; voluntas eam vult—hucusque ordo intentionis;—scientia hujus ordinis est simplex intelligentia.— In ordine executionis intellectus imperat executionem, quumque imperium sit per se efficax, immediate producit effectum. Est autem imperium actus rationis ordinantis, sed ita ut adjunctum habeat actum voluntatis moventis.— Ex motione vero voluntatis manet aliquid in actu rationis, unde S. Thom. 1–2 q. 14. a. 1. c. — Imperium *est aliquis actus rationis, secundum quod virtute manet in ipso aliquid de actu voluntatis.*

Videndo igitur existentiam termini ut decretam accedente virtute voluntatis moventis imperat non per modum judicii, sed imperii. "*Fac hoc*"; "*Sit*"; "*Fiat.*"—Hinc principium Thomisticum: "Videndo producit, et producendo videt."

b) S. Th. 1. q. 14. a. 8. c. — *Forma intellectus est principium operationis, sicut calor est principium calefactionis.* — Sed calor agit per se et immediate, si applicatus fuerit.

PROPOSITIO IV.

Scientia visionis practicæ seu approbationis non est causa creativa.

Arg. Intellectus est essentialiter facultas cognoscitiva et judicativa, i. e. facit objecta *in se* existere semetipsum objectis assimilando ; (voluntas est impulsiva ad extra.)

Ergo si imperium fit ab intellectu, non potest fieri nisi per modum judicii.

Atqui tale judicium vel imperium in Deo admitti non potest:

Nam tale imperium, ortum ex motione libera voluntatis et immediate efficax *vel* intelligitur referri immediate ad ipsum Deum, ita ut intelligatur Deus *sibi* imperans, ut creet, sicut homo sibi imperat, ut ambulet ; *vel* intelligitur referri immediate ad creaturas, quibus Deus imperat, ut sint.

Atqui *a*) *non prius:* nam tale imperium non tendit immediate ad extra, sed ad intra, essetque quasi efficax applicatio potentiæ divinæ ad opus. *Præterea* actus qui post decretum efficax voluntatis sequitur in intellectu est vel cognoscitivus vel judicativus, hoc sibi faciendum. Jam vero talis actus est prorsus superfluus, nec intelligitur, quomodo ex tali actu possit ulla ratione *immediate* sequi effectus externus.

b) *non alterum* i. e. non potest referri ad extra.

Nam imperium est intimatio et manifestatio ad extra.—Atqui talis actio supponit *intellectum* (vel quid locum tenens in brutis) ; creaturæ autem nondum existunt ; supponit obedientiam, tanquam terminum correlativum ; sed quæ non existunt non possunt obedire ; *ergo* non potest referri ad extra.

Arg. 2. ex S. Thom. in 1. Sent. Disp. 38. q. 1. a. 1. c. "Sciendum est, quod scientia secundum rationem scientiæ non dicit causalitatem . . . sed in quantum est scientia artificis operantis res, sic habet rationem causæ respectu rei operatæ per artem. Unde sicut est causalitas artificis per artem suam, ita consideranda est causalitas divinæ scientiæ. Est ergo iste processus in productione arteficiati ; primo scientia artifi-

cialis ostendit finem; secundo voluntas ejus intendit finem illum; tertio voluntas imperat actum, per quem educatur opus, circa quod opus scientia artificis ponit formam conceptam. Unde scientia se habet ut ostendens finem, et voluntas ut dirigens actum et informans opus imperatum, et ideo constat, quod quidquid accidit in effectu per defectum a forma artis, vel a fine, non reducitur in scientiam artificis, sicut in causam. Patet etiam, quod principalitas causalitatis consistit penes voluntatem quæ imperat actum."

Ex hoc loco patet, S. Thomam docere:

a) Loquendum de causalitate divina, sicut de causalitate artificis humani; unde exponit causalitatem artificis humani. Quæ vero in hac sunt imperfecta, non possunt transferri ad Deum.

b) Scientia artificis est scientia *dirigens* tantum secundum finem et ideam exemplarem;—ergo est simplex intelligentia tantum.

c) Voluntas imperat actum (in artifice) et præcipit, quo actu opus educatur, *circa quod* tantum formam ponit intellectus. Pictor v. g. variis actibus utitur manuum etc., inter quos actus seligit;—impellit, urget voluntas. Denique ipsa voluntas informat opus per illam formam, quam ponit intellectus. Quum vero in Deo *non* sint alii actus executivi et instrumentales, v. g. omnipotentiæ etc., intermedii, sicut in humano artifice actus manuum etc. intermedii sunt, patet voluntatem Dei immediate formam per se producere, præsertim ubi *forma non aliud est, nisi esse*, ut obtinet in creatione.

Coroll. Ergo imperium divinum: "Fiat lux! etc." est metaphorica locutio, ut ostendatur efficientia et vis voluntatis divinæ, non autem actus in intellectu divino et locutio correspondens, emissa in spatium vacuum. Estque hæc metaphora frequens; v. g. Job, xxxviii. 11. mari præcepit Deus: "Usque huc venies, et non procedes amplius." Rom. iv. "Vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt." Suar. M. disp. 30. S. 17. n. 40–41.

Resp. ad sup. sub n. 4.

Ad a) Imperium Dei verum *non* existit (v. arg. 1.) sed est metaphoricum, sicut Deus dicitur etiam dolere, irasci, pœnitentia duci etc. Scientia dirigens est simplex intelligentia, quæ judicat de aptitudine rerum secundum convenientiam in notis inter se et cum aliis.

Ad b) Forma intell. est princip. operationis, sicut calor princip. calefactionis sub respectu exemplaris et finis C.—sub respectu executionis N.—Calor enim transfert ex se univoce.—*Expressio formæ* analoga est; in calefactione simplex operatio, in expressione formæ, multæ operationes, unde quæritur, quibusnam ex multis illis similis sit calefactio.

Ad c) De Patrum dicto: "res sunt, quia videntur." Actum Dei cognoscitivum, quem Scholastici ratione termini (vel possibilis vel existentis) distinguunt in simplicem intelligentiam et visionem, Patres non distinguunt, vocantque simpliciter visionem. Debet itaque per visionem intelligi simplex intelligentia, a qua si decretum voluntatis accesserit, multo plus pendet v. g. in causando actu humano quam ab homine. Unde ratione hujus causalitatis sub aliquo respectu majoris potest simpliciter dici visio esse causa, cur res sint.

SENTENTIA III.

1. Omnipotentia Dei reponenda est in voluntate, quatenus, dirigente simplice intelligentiâ, efficaciter aliquid velle potest. Defendunt hanc sententiam auctores Societatis communiter, ut Ruiz, De scientia Dei etc. disp. 15. sectio 4. Tolet. tom. 1. q. 25. a. 1.—q. 19. a 5.—Vasquez, tom. 1. disp. 102. c. 3. 4. 5 —Viva, Th. tom. 1. p. 1. disp. 3. q. 5. n. 4.

2. Multi ex S. Script. argumenta desumunt, quibus efficacia voluntatis divin. probatur, non vero immediata efficacia; si enim ad nutum voluntatis ageret omnipotentia distincta *prompte* et *perfecte*, omnes textus explicari possent v. g. "Omnia quæcumque voluit, fecit." Ps. cxxi—Item dicta Patrum propter eamdem rationem sæpe non probant: "Cujus voluntas, opus; cujus velle, posse est." (S. August. l. medit. c. 29.) —"Deus cujus natura bonitas, cujus voluntas potentia est." (Leo I. in sermon. 2. de Nativitate.—Vasq. ut supr. n. 9.).

PROPOSITIO V.

Principium elicitivum creationis est intellectus simul cum voluntate; prior ut dirigens per scientiam simplicis intelligentiæ, altera ut immediate et per sese executionem efficiens.

Nota: Duæ partes:—*a*) utramque facultatem concurrere; *b*) modus, quo operetur utraque.

Pars i.

Arg. 1. S. Scriptura et SS. PP. tribuunt opus creationis intellectui, per sapientiam agenti, et voluntati.—*Ergo.*

Prob. Ant. pro intellectu:

"Dominus sapientiâ fundavit terram . . " Prov. iii. 19. "Quis, horum quæ sunt, magis quam illa (Sapientia) est artifex?" Sap. viii. 6.—Dionys. de div. nom. a. 7. "Hæc (Sapientia), ut scripta divina tradunt, omnium est artifex, et semper omnia componit, estque causa indissolubilis cohærentiæ et ordinis omnium, finesque priorum cum sequentium principiis semper connectit, et unam universi conspirationem concentumque pulcherrime efficit. . . . . Omnium causas in se æquabiliter anticipatas habet." *Ergo*, si S. Scriptura docet in Sapientia omnia facta, S. Dionys. ostendit, quomodo sint facta.

Prob. Ant. pro volunt. (vide supra n. 2.). "Propter voluntatem tuam erant et creata sunt." Apoc. iv. 11.

Arg. 2. ex ratione.

a) Deus est primum ens in ordine agentium. Atqui tale ens agit per intellectum et voluntatem, non per necessitatem naturæ. — *Ergo.* Insuper Deus agit multis modis, ens per naturam agens agit uno modo. —*Ergo* agit per voluntatem; voluntas vero supponit intellectum.

b) Omnia procedunt a causa, secundum quod in causa præexistunt. Atqui præexistunt in Deo tanquam intelligente. Ergo *intelligibili* etiam *modo* a Deo procedunt.

Pars ii.

De modo, quo agit utraque facultas.

Arg. 1. Pro intellectu.

Intellectus essentialiter intellectivus non factivus est. Atqui ut intellectivus dirigit tantum, quatenus cognoscit, inquirit, illuminat de possibilitate modi executionis, et de necessitate mediorum aliquorum ad finem. *Ergo* intellectus est causa directiva tantum.

Præterea duplex actus in intellectu distingui potest;—cognitio et idea seu forma, quæ cognoscitur;—ut cognitio, dirigit, quia illuminat quoad convenientiam rerum et mediorum; ut idea, est causa exemplaris, non

physice sed moraliter influens non in res externas, sed in voluntatem exequentem.—*Ergo*

Arg. 2. Pro voluntate.

a) Principium totale effectivum est intellectus et voluntas. Atqui intellectus non causat immediate. *Ergo* voluntas immediate agit ad extra.

b) Intellectus est *intelligere* assimilando se objecto; præterea intellectus agit ad intra. — Voluntatis vero est tendere ad extra, ubi objectum vel invenit vel facit, si non invenit. *Ergo* voluntas agit ad extra, resque producit.

c) Voluntas infinite efficax debet esse efficax per sese, nec dependere in efficacia sua ab alio attributo: nec potest objici, voluntatem dependere tamen ab intellectu; hoc enim fit ex natura voluntatis, quia intelligibile non intrat in ambitum voluntatis, sed *supponitur* ante actionem voluntatis; efficacia autem in volendo pertinet ad activitatem voluntatis tanquam aliqua affectio actus volendi.—*Ergo* voluntas divina debet ex sese et immediate rem producere.

Arg. 3. Ex Patribus.

PP. docent Deum de facto universum hoc sola voluntate creasse.—*Ergo* hæc sola est causa effectrix.

Ad maj. Clemens Alexand. (Or. hortat. adversus Gentes, n. 18,) "Ipsius Dei sola voluntas est mundi creatio; sola voluntate ille operatus est." — Damasc. lib. 2. de Fide, c. 2. "Ejusque (Dei) procreandi et conservandi et providendi potentia nihil aliud est, nisi bona ipsius voluntas."— S. Basilius (in hexæm. hom. 1. n. 2.) "Universi hujus opifex effectricem potentiam habens in infinitum excedentem, rerum, quæ conspiciuntur, magnitudines *sola voluntatis nutu condidit.*"

PP. igitur docent Deum sola voluntate creasse, et potentiam non præter sed in voluntate esse ponendam.

Coroll. Ergo recte ponitur potentia executiva ut ratione tantum seu inadæquate distincta a voluntate, sicut memoria distinguitur ab intellectu. S. Th. 1. 25. a. 1. ad 4. "Potentia non ponitur in Deo ut aliquid differens a scientia et voluntate secundum rem, sed secundum rationem, in quantum scilicet potentia importat rationem principii exequentis id quod voluntas imperat, et ad quod scientia dirigit; quæ tria Deo secundum idem conveniunt. Vel dicendum, quod ipsa scientia

vel voluntas divina, secundum quod est principium effectivum, habet rationem potentiæ. Unde consideratio scientiæ et voluntatis præcedit in Deo considerationem potentiæ, sicut causa præcedit operationem et effectum."

§ IV.

Qualis actio ipsa creativa sit.

1. Nulla actio sine termino, qui producatur. (Suar. M. d. 48. S. 2. n. 16–20.) — Est enim agere idem ac facere. Sed facere postulat fieri; fieri autem exigit aliquid, quod fit. — Præterea in omni actione aliquid intenditur, vel secundum destinationem, si causa necessario agat, vel secundum intelligentiam, si libere agat. Illud autem, quod proxime per actionem intenditur, debet per ipsam actionem produci. Unde in omni actione aliquid producitur.

2. Illud quod producitur, aut in agente ipso producitur et manet, aut producitur in alio subjecto. Prior actio est actio immanens, altera transiens. — Quæritur, qualis sit actio creativa. Spinoza cum pantheistis censet, esse actionem immanentem tantum, hinc terminum productum esse in ipsa divina substantia et ejusdem naturæ, sicut idea intellectus spiritualis est, sicut ipse intellectus. Actio producens non est nisi evolutio et pura emanatio.

Suarez, qui ponit principium creativum esse omnipotentiam, consequenter docet, actionem creativam esse transeuntem.—Potentia enim ut distincta ab intellectu et voluntate non agit proprie vitaliter et immanenter; quia vita omnis spiritualis est tantum in intellectu et voluntate. Objectum denique formale non est objectum *sibi* vel intelligendum vel volendum, sed objectum ut extra et in se ponendum.—S. Thom. cum sententia communi docet esse actionem formaliter immanentem, virtualiter transeuntem.—

3. De natura actionis transeuntis et passionis.

a) *Passio*, quæ latissime sumpta est remotio a dispositione præcedente, definitur a Suar. (M. d. 49. s. 1. n. 3): "passio est nihil aliud quam fieri formæ seu (fieri) formalis termini actionis prout recipitur in subjecto et illud immediate reducit a potentia in actum."

b) *Actio* definitur a Suar. (M. d. 48. s. 2. n. 15.) "est nihil aliud in re,

quam specialis illa dependentia, quam effectus habet a causa sua efficiente."

Quæritur quomodo cohæreant. *Arist.* Phys. 3. c. 3. docet actionem et passionem in re esse *eundem* actum seu modum et differre tantum penes diversos respectus."—Idem docet S. Thom. Cf. Ferrar. Cg. l. 2. c. 1.

Expl. Quando res aliqua transeunter agit, non prius immutat se et dein agit, ita enim ageret immanenter et transeunter simul, quia immutatio esset terminus immanens; sed immediate agit in alium terminum cui applicatur.—Difficultas concipiendi pro nobis duplex: quia assueti sumus nostro modo agendi per organa corporea, quæ potius transmittunt motum a voluntate in ipsis productum; et quia concipimus actum per modum motus localis, i. e. causam agentem, intermediam actionem, terminum recipientem. Sed actio illa intermedia admitti nequit; qualis enim esset? vel substantia vel accidens; neutrum admitti potest. Debet igitur vis cogitari ut immediate applicata alteri termino, in quo simili modo agit, sicut facultas immanter agens in subjecto suo agit. — Hinc agere est ipsum fieri ut respectum dicit ad causam, a qua procedit. Quodsi non immediate termino applicatur, debet applicari intermedio alicui quo uti possit tanquam instrumento transferente.

Actio, in quantum respectum dicit ad originem a qua; passio, in quantum respicit objectum in quo. Eo vero ipso effectus intrinsece dependet a causa saltem in fieri.-

c) In creatione, censet Suarez d. 20. s. 5. n. 11–23. "dependentia illa non est res omnino distincta realiter a termino creationis, neque est sola relatio resultans a termino creationis, sed est *modus* quidam ex natura rei distinctus ab ipso termino" (n. 25.). Modus autem ille maxime apparet in ipso fieri; quumque fieri distinguatur a termino ut facto, quid sit ille modus in fieri, qui distinguatur a creatura in facto esse; in quonam subjecto, inhæreat, quæritur. Ad hoc Suarez (n. 27.) "Quatenus illud fieri concipitur ut prius naturâ suo termino, concedendum est, non esse in subjecto sed concipi quasi in se; quod non est inconveniens; imo potius hæc est singularis excellentia et modus dependentiæ creaturæ." — Hinc et in conservatione, dependentia a creatore est modus ab ipsa creatura distinctus. *Ergo* quod actioni transeunti respondet formaliter est illud fieri tanquam modus distinctus, et ratione ipsius respondet creatoni

creatura ipsa. Non præcedit illud fieri secundum tempus (omnia enim fiunt in instante), sed natura.

PROPOSITIO VI.

Merito actio creativa formaliter immanens et virtualiter transiens *dicitur, seu in quantum a voluntate procedit immanens, in quantum a potentia procedit (tanquam attributo voluntatis) transiens esse statuitur.*

St. Q. 1. Quum in Deo esse et velle sint idem, patet, non posse in Deo poni voluntatem tanquam potentiam productivam sui velle; nihilominus ipse actus, quo Deus se vult, potest alia extra se velle et non velle; hinc in ipso actu Dei ponitur *potentia* relate ad externa, quæ vocatur voluntas. Actus igitur ipse voluntas est; unde fit, ut, si actus velit aliquid ad extra, hoc non debeat fieri per novum actum sibi superadditum, actus enim non agit novum actum,— sed immediate. Quare S. Thom. Cg. l. 2. c. 10. "Quum divina actio non sit aliud quam ejus potentia, manifestum est, quod potentia non dicitur in Deo sicut *principium actionis*, sed sicut principium facti."

2. Est communior sententia; eam defendit S. Thom. cum Thomistis; præterea Tolet. (phys. l. 3 q. 3 a. 2.) Gregor. a Valentia (in p. 1. disp. 3. q. 2. punct. 1.) Cardin. Cienfuegos (Ænigm. theol. disp. 8. s. 3. § 1. n. 7. et disp. 11. s. 4. § 4. n. 40.). — Vasquez, qui eam (in p. 1. disp. 173. c. 2.) dicit communem et antiquam Scholastic.; dein Petavius (de Deo, l. 5. c. 11.) Card. de Aguirre (theol. S. Anselmi tom. 1. disp. 19). Anton. Casinius Encycl. S. Script. vol 1. q. 2. disp. 1–2 etc.

Arg. 1. Scriptura sacra obvio sensu intellecta ita exhibet Deum operantem ad extra, ut ejus imperium immediate *a*) dirigatur ad extra, *b*) immediate effectivum sit. *Atqui* non est sine gravi ratione ab obvio sensu recedendum. *Ergo. Prob. maj.* "Ipse dixit, et facta sunt."—Ps. xxxii. 19. et cxlvii. 5. etc., Gen. i. 3., Apoc. iv. 11. etc.

Ad min. rationes graves non sunt, ut patebit ex sequentibus.

Arg. 2. Facultas executiva est voluntas (prop. 3. et 5.) cujus actus primarius et essentialis est immanens, ita ut efficacia tantum ejusdem actus per quamdam quasi concomitantiam producat externa, sicut per concomitentiam quamdam ad objectum primarium *intelligibile* intelligit alia. Atqui actus voluntatis est essentialiter immanens, et quate-

nus efficacia est attributum seu virtus ejusdem actus operatur ad extra, hinc transiens est. *Ergo* actus creativus est formaliter immanens et virtualiter transiens.

Arg. 3. Secundum Suarez actio transiens est fieri ut procedens seu dependens a causa. Atqui fieri (natura saltem) præcedit factum esse . . ergo fieri in creatura (saltem natura) præcedit esse creaturæ. Atqui hoc admitti nequit; nam supponeret fieri et creari tanquam modum substantialem distinctum ab ipsa creatura, ut substantia est, et præcedentem ipsum esse creaturæ (saltem natura.) Quid vero ille modus sit, qui extra Deum et extra esse creaturæ sit et in se sit, intelligi non potest.—Præterea creatio fit in instante teste S. Thom. 1. 45. a. 2. ad 3. —"Quum creatio sit sine motu, simul aliquid creatur et creatum est." Ideoque terminatur ad ipsum esse.—Insuper actio transiens est accidens. Ergo supponit terminum, in quo recipiatur.

Denique ex parte Dei quando egreditur, debet egredi in tempore. Hoc autem quomodo cum immutabilitate, æternitate, simplicitate conciliari possit, non potest intelligi.

Coroll. 1. Ergo ex (falso) supposito, omnipotentiam esse distinctam ab intellectu et voluntate, tota demonstratio P. Suarez procedit;— quumque illa distinctio non careat probabilitate sua, neque hæc de actione transeunte doctrina suâ probabilitate caret; quamvis sententia negans sit *multo probabilior.* Argumenta ex Patribus videntur potius supponere hæreticos docentes, Deum non immediate per se, sed per intermediam creaturam (verbum, angelos, etc.) omnia creasse, regere, etc.; hinc si ad voluntatem Dei opera externa referunt, voluntatem opponunt externis mediis, non vero internis v. g. imperio rationis, actui omnipotentiæ. Unde nec Thomistarum sententia, creationem ab imperio procedere, excluditur per PP. sententias.

Coroll. 2. Recte igitur voluntati tribuitur actio formaliter ut immanens, potentiæ formaliter ut transiens; sed quia potentia est virtus non disincta a voluntate, sed reponenda in voluntate, recte eadem actio transiens *voluntati* tribuitur non formaliter sed virtualiter.

Coroll. 3. Ergo terminus creationis ponitur immediate totum esse creaturæ, et vis creativa recte ponitur principium facti, non actionis facientis distinctæ, nec fieri alicujus.

Optime totam rem explicat Toletus (Enarr. in 1. 25. a. 1.) "In agen-

Ergo quum non sit medium inter eductionem et creationem, resurrectio videtur fieri per creationem, unde creationis objectum formale non est *esse producendum ex nihilo.*

2.—In transsubstantiatione producitur (secundum unam sententiam) Corpus Christi in locum annihilatæ substantiæ panis — hinc ex nihilo. *Atqui* transsubst. non est creatio. *Ergo* creatio non ex nihilo tendit in ens.

PROPOSITIO II.

Ratio sub qua actio creativa objectum suum attingit, est ipsum esse primum et per se.

St. Q. 1.—In objecto actionis duplex ratio distinguenda: *formalis*, quæ est id, quod per actionem in objecto intenditur; *materialis*, est objectum ipsum, in quantum patitur. Qui vult in cera formam rotundam producere, respicit ceram sub respectu producendæ rotunditatis; producenda igitur rotunditas (in cera) est ratio formalis; cera ipsa ratio materialis— prior forma, altera materia; prior objectum formale, altera objectum materiale.

2.—In objectum creationis ratio formalis est ipsum esse; ratio materialis est objectum *in quo*, v. g., esse in materia, spiritu. Quod si objectum formale creat. ab aliquibus dicitur esse *ens*, non intelligitur *ens abstractum*, sed *ens physicum* i. e. illud præcise, per quod res aliqua EST.

3.—Distinguendum est *esse*, et *esse tale;* actus igitur creationis non intendit esse tale, sed *esse simpliciter.*

ARG. 1. Creatio intendit productionem ex nihilo, hinc oppositionem ad nihilum. *Atqui* non per esse tale, sed per esse opponitur nihilo—*ergo* hoc intenditur.

Ad maj. Formale objectum cognoscitur ex oppositione ad terminum a quo, quatenus hic intenditur abire et alter succedere. Terminus *a quo* est nihilum, (quod intenditur desinere). Terminus autem oppositus est ESSE.

ARG. 2. Creatio est actio nobilissima ideoque illi respondet nobilissimus effectus. *Atqui* nobilissimus effectus est ipsum esse, quia fundamentum omnium est. *Ergo.*

Ad maj. Productio vel est immutatio accidentalis, vel est generatio,

immutatio substant.; utraque dependens ab objecto. Creatio vero independens est omnemque effectus sufficientiam habet in se, unde nobilissima est.

Ad min. "Esse autem est illud, quod est magis intimum cuilibet, et quod profundius omnibus inest, quum sit formale (sc. principium) respectu omnium, quæ in re sunt." S. Thom. (1. q. 8. a. 2. c.)

Arg. 3. Creationi ut actioni ab omni objecto præsupposito independenti respondet etiam effectus ab objecto independens. *Atqui* talis effectus est tantum *ipsum esse. Ergo.*

Resp. ad sup.

Ad 1. Non est creatio, sed mirabilis conjunctio animæ ut formæ cum materia sua secundum potentiam passivam non eductionis sed receptionis.

Ad 2. Nota: Sententia de physica efficientia sacramentorum admodum dubia est; verumtamen et in hac sententia notandum:

a) Verba consecrantis non *annihilant* substantiam panis, quia annihilatio non est nisi cessatio influxus conservantis ex parte Dei; quam cessationem verba consecrantis physica actione producere non possunt.

Præterea, "*nihilum*" non potest esse terminus alicujus actionis positivæ, quia terminus claudit actionem; nihilum vero claudere non potest.

b) In sententia reproductionis corporis Christi esse ipsum Corporis Christi non creatur, secus enim haberentur duo vel plura corpora Christi, sed idem esse ponitur hic actione quidem in se incomprehensibili, ideoque aliunde dijudicanda.

Præterea, licet terminus transsubstantiationis sit dignior, quam terminus creationis, nihilominus secundum vim actionis minor est, ut S. Ambrosius dicit (l. 4. de Sacram. c. 4.)

"Si tanta vis est in sermone Domini Jesu, ut inciperent esse, quæ non erant: quanto magis operatorius ut quæ erant in aliud commutentur!" (Cf. Sylv. t. 1. q. 45. a. 5. ad 4.)

Coroll. 1. *Ergo* recte dicitur objectum formale creationis esse *ens* (vid. stat. q. n. 3.).

Coroll. 2. Quum esse ut sic sit esse subsistens, creatio recte dicitur esse effectio subsistentium (S. Thom. 1. q. 45. a. 4.)

Coroll. 3. Quum in physicis esse sit semper esse tale, patet *accidentia* in omni creatione substantiæ *concreari.*

Coroll. 4. Si accidentia crearentur immediate, hinc non ex potentia passiva, — possent dici creari relate ad terminum a quo; non creari relate ad terminum ad quem; hinc in toto *non adæquate* creari.

Suarez (M. d. 20. S. 1. n. 1.) definiens creationem esse productionem vel *subsistentium* vel habentium se *per modum subsistentium*, censet, talia accidentia posse dici simpliciter creari, quum habeant se per *modum subsistentium.*

§ III.

DE ACTU CREATIVO.

(S. Thom. 1. q. 25. a. 1.; Cg. l. 2. c. 6.–15.; de Potent. q. 1. a. 1.)

Actus, quo Deus creat, potest considerari

I. Secundum principium actus, i. e., potentiam;

II. Secundum actum ipsum;

III. Secundum relationes ex actu ortas.

I. DE PRINCIPIO ACTUS.

Esse qua tale (sub hoc suo conceptu) non activum quidem, sed in rebus finitis multiplicabile, in Deo infinito communicabile est, vel in eadem linea (Trinitat.), vel infra se in esse analogico. Hinc sequitur, debere esse in Deo potentiam communicandi. Præterea, ut Deus sibi est plenitudo essendi, ita aliis extra se principium essendi debet esse (sive in ordine possibili sive existente). Quidquid enim extra Deum est, *habet esse*, non *est* esse; unde participat esse; sed participatio supponit ens imparticipatum, a quo sit. Iterum, quidquid non per se est, insufficiens sibi secundum similitudinem et possibilitatem; sed quod tale est, debet habere in Deo principium similitudinis et possibilitatis. Quidquid denique præter Deum est, imperfectum est; sed imperfecta a perfectis sumunt originem, sicut semen ab animali. Ex his omnibus patet, esse in Deo principium essendi aliis. — Quæritur vero, quodnam illud principium sit? Quæstio hæc duplex: quodnam a parte rei? quodnam secundum conceptus nostros?

A.

PRINCIPIUM CREATIVUM A PARTE REI.

1. In homine substantia est distincta a facultatibus suis activis, in Deo vero substantia identificatur cum facultatibus suis. Nam Deus est simplicissimus; *ergo* omnia, quæ habet, est; unde *est* sua potentia (homo habet, non est sua potentia). Præterea potentia, quæ semetip-

sum ducit in actum, debet esse substantia; sed ita est in Deo. Iterum, potentia, quæ non est substantia, inhæret substantiæ; sed in Deo nihil inhærere potest; quod enim inhæret, est finitum et imperfectum. Denique, in Deo sunt omnia a se et infinita; *ergo* et potentia, hinc non potest esse a substantia, sed debet ipsa esse substantia.

PROPOSITIO III.

Quum in Deo potentia et actus sint idem, sequitur in Deo actum agere ideoque non nova actione in se, sed immediate ad extra, ita ut recte juxta S. Thom. potentia in Deo dicatur "non sicut principium actionis, sed sicut principium facti." (Cg. l. 2. c. 10.)

Arg. 1. In Deo potentia est substantia. *Atqui* in Deo substantia est actus, ita ut distinctione tantum rationis (ratiocinantis) distinguantur. *Ergo* potentia est actus.

Prob. min. Substantia potest agere ad extra; jam vero si vellet agere et non esset actus, deberet reduci in actum;—quod repugnat.

Arg. 2. Deus est actus purus. *Atqui* actus purus agit continuo ad extra. *Ergo.—Atqui* quatenus agit ad extra, fit continuo principium effectus sine nova actione intermedia. *Ergo* potentia in Deo concipitur non ut principium actionis sed ut principium facti.

Expl. Supponamus motum in aliqua re infinitum; si ille motus posset alium motum producere, certe deberet illum producere extra se idque immediate. Ita actus Dei—totus actus—immediate *non per novam actionem* sed per se ipsum effectum producere debet.

Coroll. 1. *Ergo* in Deo potentia est in ipso actu reponenda, ita ut actus potens sit, non ut in homine, in quo præcedit actum eumque elicit.

Coroll. 2. *Ergo* in Deo actus ipse per sese cum respectu ad terminum debet esse sufficiens principium termini (de quo postea).

Coroll. 3. *Ergo* multitudo actionum, quæ de Deo prædicatur, sumitur a terminis, non ab actu ipso, qui in se tantum unus est. — *Expl.* Quum actus Dei unus et infinitus sit, æquivalet infinite multis actionibus, potestque per se unum terminos illos producere, qui actionibus illis responderent. A terminis autem illis denominatur, quia per terminos se manifestat. Hinc et unus actus per se sufficit, ut possit idem, quod actus varii—amoris, odii, justitiæ, misericordiæ, etc.— facerent. Unde neque in Deo mutabilitas est, si modo peccatorem odit, modo eundem ut justum amat.

Coroll. 4. *Ergo* relationes ex terminis ortæ immediate terminantur per ipsam essentiam divinam, non per aliquid, quod superadditur essentiæ divinæ.

B.

PRINCIPIUM CREATIVUM SECUNDUM CONCEPTUS NOSTROS.

1. Deus, secundum Damascen. (l. 1. c. 12.), est "immensum essentiæ pelagus, universum quod est suo complexu continens." Quomodo igitur homo, qui est particula τοῦ esse, totum pelagus essendi; spiritus creatus, utpote compositus utcumque, infinite simplicissimum ens; utpote analogum ens, ipsum suum infinitum exemplar in se intueri et non potius in aliis analogiis concipere debeat?— Hinc fit, ut inadæquatis conceptibus *ex manifestationibus analogicis* Deum intelligat et sibi repræsentet. Inadæquatis autem conceptibus respondent perfectiones in Deo, ideoque varias in Deo perfectiones distinguit.

Expl. In Deo, a parte rei, essentia et sapientia et potentia sunt unum idemque. Homo autem, quum esse concipiat in ordine ad sese, quia esse *constituit*, neque est ad aliud, sapientiam vero, potentiam, etc., concipiat in ordine ad alia, recte distinguit essentiam a sapientia et a potentia, etc. Alius est igitur conceptus essentiæ inadæquatus, alius conceptus sapientiæ, etc. Neque vero asserit illam distinctionem esse a parte rei, sed tantum esse opus intellectionis.

2. Ratio igitur hujus distinctionis est perfecta identitas omnium rerum, perfectiones secum supereminenti modo identificans quatenus *multiplici modo* in opere externo se manifestat. Homo igitur ex perfectionibus operis externi Deum concipiens, dijudicans, denominans, in infinita illa re, quæ Deus est, perfectiones illas distinguit (secundum conceptum tantum). Vocatur vero illa distinctio virtualis seu distinctio cum fundamento in re, seu destinctio rationis ratiocinatæ, quia ratiocinio facto ex creaturis distinctas perfectiones invenit et transfert. Præterea vero, quia homo Deum concipit *analogice* ad modum creaturarum, aliam ponit in Deo distinctionem, quæ vocatur distinctio rationis tantum vel rationis ratiocinantis, ubi tota ratio distinctionis tantum in ratiocinio est, non in opere externo. Est igitur duplex distinctio: *virtualis* et *rationis.*

Ratio quæ prioris est supereminens Dei perfectio et virtus; *ratio alterius*, infirmitas intellectus.

Ratio ex quibus est multiplex manifestatio externa.

Ratio ad quam (mensura secundum quam) est homo potissimum.

Quæritur, quomodo utraque distinctio adhibenda?

R. a) Quum virtualis distinctio ad modum perfectionum in rebus separatarum facienda sit, sequitur, id quod separatas perfect. in creatis distinguit, distinguere etiam perfectiones in Deo. Distinctivum vero est *objectum formale;* unde ubi distincta objecta formalia, quorum unum objectum formale est extra ambitum alterius, ibi in creatis distinctæ plane perfectiones ac potissimum facultates; ubi objecta formalia non sunt plane distincta, ibi neque perfectiones vel facultates sunt distinctæ.

Expl. Objectum formale intellectus, i. e., verum, est extra ambitum objecti formalis pro voluntate, i. e., bonum (volibile). *Ergo* distinctæ facultates.—Objectum formale memoriæ, ratiocinii, etc., non est extra ambitum objecti formalis intellectus, sed intra ambitum ejusdem objecti formalis tantum varietas aliqua; ideoque memoria non plane distin-

guitur ab intellectu, etc., saltem non ut potentia a potentia, sed ut potentialitas activa a potentia, seu ut formalitas a potentia. Distinguitur vero inadæquate, quatenus non cum tota potentia identificatur. Simile quid est in voluntate.

b) Quidquid in Deo ponitur debet poni dignum Deo ideoque in sua linea infinitum; ideoque nullum attributum, nulla facultas in Deo ponenda, quæ sit vel in se imperfecta, vel impediat, quominus alia ut infinita poni possit.

His positis, quæritur, quænam sit potentia creativa ponenda in Deo?

TRIPLEX SENTENTIA.

I. Suarez post Durand. ponit, proximum principium creandi esse *omnipotentiam* (sub influxu voluntatis) ut *virtualiter* distinctam ab intellectu et voluntate.

II. Thomistæ plurimi ponunt, esse intellectum per visionem, quæ actum voluntatis connotet.

III. Communior sententia tenet, esse voluntatem dirigente intellectu per simplicem intelligentiam.

I. *Sententia*, potentiam virtualiter distinctam esse.

Durandus (in primum dist. 38. q. 1.), Suarez (M. disp. 30. n. 45–50.), aliique censent, potentiam in Deo ratione (i. e. ratiocinata seu virtualiter) distingui ab intellectu et voluntate.

Rationes:

a) Objectum formale potentiæ executivæ est ens producibile ad extra; objectum formale intellectus et voluntatis divinæ est Dei essentia. *Atqui* potentiæ distinguuntur sicut eorum objecta formalia. *Ergo.*

b) Quemadmodum *intelligibile* est extra ambitum *volibilis*, ita volibile et intelligibile extra ambitum possibilis. *Ergo* si ponitur intellectus respondens intelligibili *virtualiter* distinctus a voluntate respondente volibili, debet etiam poni potentia *virtualiter* distincta ab intellectu et voluntate.

c) Deus potens est operari extra se quatenus infinitus est non in genere scientis et volentis, sed simpliciter in genere entis. Hæc enim infinitas in genere entis simpliciter convenit Deo; quatenus eminenti quadam ratione habet in se omnem perfectionem, quam aliis communicare potest. *Ergo* ratio omnipotentiæ non convenit Deo ratione intellectus et voluntatis, sed ratione essentiæ infinitæ (Suar. M. d. 30. n. 47.

in fine) et vere, non quia vult, hinc potest; sed quia *potest*, hinc vult.

d) Formæ subsistentes non ratione sui, sed ratione finitudinis habent, ut per accidens superadditum operentur. Deus igitur, quum sit forma infinita per se debet agere ad extra.

e) Si voluntas est infinite efficax, potest efficaciam exercere ad intra erga suam omnipotentiam infinitam.

f) Ideo definit Suarez omnipotentiam Dei "esse ipsammet divinam naturam, quæ quatenus est ipsum esse per essentiam, est effectrix cujuslibet esse participati seu participabilis, si accedant voluntas applicans et scientia dirigens" (M. d. 30. S. 17. n. 45.). Comparat præterea cum calorico, quod si subsisteret, ageret immediate ad extra; simili modo essentia divina ut forma subsistens et simplicissima.

g) Hinc deducit Suarez (n. 49.) actionem omnipotentiæ debere esse *transeuntem* tam in creando quam in concurrendo. Immanenter enim intellectus et voluntas tantum agunt.

h) Cohæret præterea, quod docet Suarez (M. d. 20. S. 5. n. 7.):

"Si Deus potest elevare creaturam, ut per suammet entitatem absque alia superaddita efficiat effectum, excedentem virtutem suam naturalem, quod ego *longe probabilius* judico (sic enim existimo, elevare aquam ad torquendos spiritus et verba ad transsubstantiandum); si hoc (inquam) verum est, non video, qua ratione consequentia negari valeat, posse Deum uti una creatura ut *instrumento* ad creandum aliam."

N. B.—Duplici ratione posset creatura habere vim creandi:—*a*) ut naturalem, *b*) ut instrumentalem; loquitur hic de vi instrumentali.

De vi naturali ita loquitur Suarez (M. d. 20. § 2. n. 4.):

a) . . . "Nulla hactenus inventa sufficiens ratio est nedum demonstratio, quæ persuadeat requiri ad creandum virtutem simpliciter infinitam. Loquor autem de virtute principali, quæ sua vi potest effectum producere."

b) In quæstione, num angeli vim creativam naturaliter *possent* habere (quamvis de facto non habeant), *vel non;* negantem sententiam putat veram; addit: "difficillimum tamen censeo, cogentem demonstrationem ad illam confirmandam afferre." (n. 12.)—Addit dein duas rationes novas:

a) Si posset esse creatura naturaliter habens vim creativam, perfectio totius ordinis universi postularet, ut existeret. "Constitueret enim alium ordinem et gradum creaturæ præter eos, qui nunc sunt, quia haberet distinctum et altiorem operandi modum: ergo pertinuisset ad perfectionem universi, ut in eo esset talis creaturarum ordo seu gradus. Ergo e converso, cum Deus condiderit universum sine tali creatura, signum est, illam non contineri in ordine creatur. neque esse possibilem. (n. 12)

b) Inter substantias creabiles nullus esse potest altior gradus quam sit Angelorum, seu intellectualium rerum; inter accidentia vero (philosophice loquendo) nulla sunt

i) Intelligitur etiam, cur Suarez inhæreat tantopere efficientiæ physicæ sacramentorum, præsertim verborum consecrantis sacerdotis ad transsubstantiandum.

PROPOSITIO III. a

Merito rejicienda videtur sententia, omnipotentiam VIRTUALITER *distinctam ab intellectu et voluntate, esse facultatem immediate elicitivam creationis.* (Cf. Vasquez, tom. 1. disp. 102. c. 3. n. 10.)

St. Q. 1. Negatur virtualis distinctio, quæ ponat omnipotentiam tanquam completum ac sui ordinis attributum in Deo, sicut intellectus et voluntas est.

2. Non negamus distinctionem rationis a voluntate potissimum, sicut formalitas a forma integra, v. g., ut memoria ab intellectu. Est distinctio inadæquata.

ARG. 1. Omnipotentia ut attributum distinctum supponit voluntatem non ex sese et infinite efficacem. *Atqui* debet voluntas in Deo esse infinite efficax. *Ergo.*

Ad maj. Voluntas in homine non est ex sese efficax, hinc uti debet organis corporalibus tanquam instrumentis. — *Ergo* a pari, si voluntas Dei deberet uti omnipotentia tanquam instrumento executionis, nec esset ex sese, nec infinite efficax.

Ad min. Infinita voluntas debet ita concipi, ut si quid efficaciter desideret ac velit, id etiam per sese assequatur.

ARG. 2. In ente intellectivo omnis facultas ad illum ordinem *ex natura sua* pertinere debet. *Atqui* potentia ex sua natura non refertur ad illum ordinem ; invenitur enim in brutis quoque.—*Ergo* nec potentia infinita ex sese in ente intellectivo poni tanquam attributum potest. — Omne enim attributum debet naturam intellectualem participare.

ARG. 3. Secundum adversarios *esse ipsum* ponendum esset ut principium activum. *Atqui* quamvis *in re* esse ipsum sit in Deo etiam in-

meliora, quam ea, quæ his supremis substantiis connaturalia sunt (theologice loquendo) ; nulla possunt esse meliora, quam ea quæ pertinent ad ordinem gratiæ et visionis beatæ. Si ergo in his supremis ordinibus rerum non invenitur potentia creandi, in nulla creatura possibilis est. Nam quod in gradu Angelorum possint fieri alii perfectiores in specie, quam sint omnes facti, non est satis, ut habeant modum operandi tam diversi ordinis et rationis." (n. 13.)

telligere et velle, *secundum nostrum tamen conceptum* esse non *agit* sed *constituit* ens, facultates vero tantum agunt.—*Ergo* esse ipsum non potest concipi ut activum et executivum ideoque neque ut potentia executiva in Deo.

Respons. ad super.

Ad a) Objectum formale omnipotentiæ est producibile ad extra *adæquate* distinctum ab objecto formali voluntatis *N.;* inadæquate distinctum, quatenus nihil est aliud quam *efficaciter* volitum, *C.*

Præterea, ponere in Deo attributum, cujus objectum formale non sit Deus ipse, sed aliquid extra Deum, videtur in se repugnare.

Ad b) Responsum patet ex priore.— Formalitas enim *producibilis* non est plane extra ambitum *volibilis*, sicut intelligibile est; quum enim nihil aliud sit, nisi volitum efficaciter, patet, adjectivum "*efficaciter*" non trahere objectum extra ambitum voluntatis.

Ad c) Patet respons. ex thesi. — Recte potest dici: Deus potest, quia vult, i. e., quia voluntatem infinitam habet et ex se efficacem.

Ad d) Si formæ subsistentes non agunt per accidens superadditum nisi ratione finitudinis, sequeretur, Deum utpote formam infinitam neque intelligere et velle per facultates, quæ a nobis concipiuntur ut supervenientes ipsi esse. *Atqui* ita tamen Deus intelligit et vult.—*Ergo* rejicienda ratio P. Suarez. Præterea, in re omnia in Deo identificantur; distinctio fit ex parte manifestationum; quare recte in Deo ponuntur facultates manifestationibus correspondentes.

Ad e) Supponeret omnipotentiam infinite mobilem secundum potentiam passivam; quod absurdum. Infinita enim potentia non potest concipi ut indigens motu infinito.

Ad f) Comparatio cum calorico convenit cum omnipotentia, ut est a parte rei, non autem ut a nobis concipitur. Si enim caloricum esset subsistens, nos distingueremus rationem substantiæ et principium activitatis. — (De reliquis postea.)

Sententia II.

Nota: 1. Certum est apud Theologos, causam rerum esse divinam scientiam; nam "*Dominus sapientia fundavit terram*" Prov. iii. 19. "*Scientia Divina omnium est artifex.*" Dionys.

2. Scientia ut causa dupliciter intelligi potest, vel ut dirigens, i. e., proponens modos executionis, vel ut immediate efficiens. Prior, scientia dirigens, est scientia simplicis intelligentiæ; altera, scientia visionis practicæ.

3. Thomistæ in suo systemate præmotionis physicæ ponunt tanquam principium verba aliquorum Patrum: "Quia Deus videt res, ideo sunt." *Ergo* intellectus per visionem producit res. Explicant ita: Ponunt in visione duo momenta; prius, quando visio terminatur ad existentiam rei decretam et ipsa visione producendam;— vocatur scientia *approbationis* seu *practica*. Alterum momentum, quando res producta est, visio eam attingit ut eam contempletur;—vocatur visio *speculativa*. Simili modo, dicunt, Pater in divinis videndo format Verbum, et formando videt Verbum. Quia vero Deus producendo videt res et contemplatur, censent Thomistæ, posse aliorum Patrum dicta explicari: "Ideo Deus res videt, quia sunt." *

4. Rationes Thomistarum sunt:

a) In S. Scriptura refertur Deus agens semper cum imperio. *Atqui* imperium est actus rationis, et quidem videntis. *Ergo* Deus agit ad extra per visionem. *Prob. Maj.* Gen. 1.: "Dixit Deus '*Fiat lux*"; Ps. cxlviii: "*Ipse dixit, et facta sunt.*" *Prob. min.* Jam vero dicere est loqui, loqui autem pertinet ad intellectum. Præterea per imperium intellectus rem ut existentem attingit, non vero amplius ut mere possibilem. Jam vero actus attingens existentiam est visio.

b) S. Thom. (1. q. 14. a. 8. c.): "*Forma intellectus est principium operationis, sicut calor est principium calefactionis.*" Sed calor agit per se et immediate, si applicatus fuerit.

* Thomistæ duplicem ordinem statuunt, intentionis et executionis. —In ordine intentionis series actuum hæc: Intellectus divinus concipit gloriam suam in creatione manifestabilem tanquam bonum; proponit voluntati;—hæc annuit, intendit; intellectus quærit inter possibiles creationes eam, quæ fini respondet; voluntas eam vult —hucusque ordo intentionis; scientia hujus ordinis est simplex intelligentia. — In ordine executionis intellectus imperat executionem, quumque imperium sit per se efficax, immediate producit effectum. Est autem imperium actus rationis ordinantis, sed ita ut adjunctum habeat actum voluntatis moventis.—Ex motione vero voluntatis manet aliquid in actu rationis, unde S. Thom. (1-2. q. 14. a. 1. c.): "Imperium *est aliquis actus rationis, secundum quod virtute manet in ipso aliquid de actu voluntatis.*"

Videndo igitur existentiam termini ut decretam accedente virtute voluntatis moventis imperat non per modum judicii, sed imperii: "*Fac hoc;*" "*Sit;*" "*Fiat.*" — Hinc principium Thomisticum: "Videndo producit, et producendo videt."

PROPOSITIO IV.

Scientia visionis practicæ seu approbationis non est causa creativa.

Arg. 1. Intellectus est essentialiter facultas cognoscitiva et judicativa, i. e., facit objecta *in se* existere semetipsum objectis assimilando; (voluntas est impulsiva ad extra.) *Ergo* si imperium fit ab intellectu, non potest fieri nisi per modum judicii. *Atqui* tale judicium vel imperium in Deo admitti non potest. Nam tale imperium, ortum ex motione libera voluntatis et immediate efficax *vel* intelligitur referri immediate ad ipsum Deum, ita ut intelligatur Deus *sibi* imperans, ut creet, sicut homo sibi imperat, ut ambulet; *vel* intelligitur referri immediate ad creaturas, quibus Deus imperat, ut sint.

Atqui a) *non prius:* nam tale imperium non tendit immediate ad extra, sed ad intra, essetque quasi efficax applicatio potentiæ divinæ ad opus. Præterea, actus qui post decretum efficax voluntatis sequitur in intellectu est vel cognoscitivus vel judicativus hoc sibi faciendum. Jam vero talis actus est prorsus superfluus, nec intelligitur, quomodo ex tali actu possit ulla ratione *immediate* sequi effectus externus.

b) *non alterum*, i. e., non potest referri ad extra.

Nam imperium est intimatio et manifestatio ad extra. *Atqui* talis actio supponit *intellectum* (vel quid locum tenens in brutis); creaturæ autem nondum existunt; supponit obedientiam, tanquam terminum correlativum; sed quæ non existunt non possunt obedire. *Ergo* non potest referri ad extra.

Arg. 2. ex S. Thom. (in 1. Sent. disp. 38. q. 1. a. 1. c.): "Sciendum est, quod scientia secundum rationem scientiæ non dicit causalitatem ... sed in quantum est scientia artificis operantis res, sic habet rationem causæ respectu rei operatæ per artem. Unde sicut est causalitas artificis per artem suam, ita consideranda est causalitas divinæ scientiæ. Est ergo iste processus in productione arteficiati: primo scientia artificialis ostendit finem; secundo voluntas ejus intendit finem illum; tertio voluntas imperat actum, per quem educatur opus, circa quod opus scientia artificis ponit formam conceptam. Unde scientia se habet ut ostendens finem, et voluntas ut dirigens actum et informans opus imperatum, et ideo constat, quod quidquid accidit in effectu per defectum

a forma artis vel a fine, non reducitur in scientiam artificis, sicut in causam. Patet etiam, quod principalitas causalitatis consistit penes voluntatem quæ imperat actum."

Ex hoc loco patet, S. Thomam docere:

a) Loquendum de causalitate divina, sicut de causalitate artificis humani; unde exponit causalitatem artificis humani. Quæ vero in hac sunt imperfecta, non possunt transferri ad Deum.

b) Scientia artificis est scientia *dirigens* tantum secundum finem et ideam exemplarem; ergo est simplex intelligentia tantum.

c) Voluntas imperat actum (in artifice) et præcipit, quo actu opus educatur, *circa quod* tantum formam ponit intellectus. Pictor, v. g., variis actibus utitur manuum etc., inter quos actus seligit;—impellit, urget voluntas. Denique ipsa voluntas informat opus per illam formam, quam ponit intellectus. Quum vero in Deo *non* sint alii actus executivi et instrumentales, v. g. omnipotentiæ etc., intermedii, sicut in humano artifice actus manuum etc. intermedii sunt, patet voluntatem Dei immediate formam per se producere, præsertim ubi *forma non aliud est, nisi esse*, ut obtinet in creatione.

Coroll. *Ergo* imperium divinum: "Fiat lux! etc." est metaphorica locutio, ut ostendatur efficientia et vis voluntatis divinæ, non autem actus in intellectu divino et locutio correspondens, emissa in spatium vacuum. Estque hæc metaphora frequens; v. g. Job, xxxviii. 11. mari præcepit Deus: "Usque huc venies, et non procedes amplius." Rom. iv.: "Vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt." Suar. (M. disp. 30. S. 17. n. 40-41.)

Resp. ad sup. sub n. 4.

Ad a) Imperium Dei verum *non* existit (v. arg. 1.) sed est metaphoricum, sicut Deus dicitur etiam dolere, irasci, pœnitentia duci, etc. Scientia dirigens est simplex intelligentia, quæ judicat de aptitudine rerum secundum convenientiam in notis inter se et cum aliis.

Ad b) Forma intellectiva est principium operationis sicut calor principium calefactionis, ut exemplar et finis *C.*; ut physice agens et exequens *N.*—*Explicatio*: In quonam enim architecto idea ecclesiæ esset physice exequens ædificationem ecclesiæ? —Quomodo præterea posset idea elabi ex capite artificis, ut calor elabitur ex principio calefactionis? Producit igitur calor egrediens ex igne similem formam (secund. Scholasticos) in objecto; simili modo forma (*analogice, non univoce* ut in calore) similis ideæ exprimitur non per sese ut in calore, sed per executionem aliunde factam in opere artificiato. Præterea, expressio hujus ideæ agit et urget ut finis utique libere assumptus ab homine; calefactio calorici est finis igni necessarius.

Ad c) De Patrum dicto: "Res sunt, quia videntur." Actum Dei cognoscitivum, quem Scholastici ratione termini (vel possibilis vel ex-

istentis) distinguunt in simplicem intelligentiam et visionem, Patres non distinguunt, vocantque simpliciter visionem. Debet itaque per visionem intelligi simplex intelligentia, a qua, si decretum voluntatis accesserit, multo plus pendet, v. g., in causando actu humano, quam ab homine. Unde ratione hujus causalitatis sub aliquo respectu majoris potest simpliciter dici visio esse causa, cur res sint.—Præterea comparatio cum productione *Verbi* non valet; nam præsupponitur *essentia* divina ex cujus contemplatione etc. exprimitur Verbum. Verbum denique est immanens expressio rei vel existentis vel possibilis; quomodo vero talis expressio comparari possit cum productione alicujus esse physici, non intelligitur.

Sententia III.

1. Omnipotentia Dei reponenda est in voluntate, quatenus dirigente simplice intelligentia efficaciter aliquid velle potest. Defendunt hanc sententiam auctores Societatis communiter, ut Ruiz (De scientia Dei etc. disp. 15. sectio 4.), Tolet. (tom. 1. q. 25. a. 1.—q. 19. a. 5.), Vasquez (tom. 1. disp. 102. c. 3. 4. 5.), Viva (Th. tom. 1. p. 1. disp. 3. q. 5. n. 4.)

2. Multi ex S. Script. argumenta desumunt, quibus efficacia voluntatis divin. probatur, non vero immediata efficacia; si enim ad nutum voluntatis ageret omnipotentia distincta *prompte* et *perfecte*, omnes textus explicari possent, v. g.: "Omnia quæcumque voluit, fecit." Ps. cxxi. — Item dicta Patrum propter eandem rationem sæpe non probant: "Cujus voluntas, opus; cujus velle, posse est" S. August. (l. medit. c. 29.); "Deus cujus natura bonitas, cujus voluntas potentia est" (Leo I. in sermon. 3. de Nativitate.)—Vasq. (ut supr. n. 9.)

PROPOSITIO V.

Principium elicitivum creationis est intellectus simul cum voluntate; prior ut dirigens per scientiam simplicis intelligentiæ, altera ut immediate et per sese executionem efficiens.

Nota: Duæ partes: *a*) utramque facultatem concurrere; *b*) modus, quo operetur utraque.

Pars I.

Arg. 1. S. Scriptura et SS. PP. tribuunt opus creationis intellectui, per sapientiam agenti, et voluntati.—*Ergo.*

Prob. Ant. pro intellectu:

"Dominus sapientia fundavit terram." Prov. iii. 19. "Quis, horum quæ sunt, magis quam illa (Sapientia) est artifex?" Sap. viii. 6.—Dio-

nys. (de Div. Nom. a. 7.): "Hæc (Sapientia), ut scripta divina tradunt, omnium est artifex, et semper omnia componit, estque causa indissolubilis cohærentiæ et ordinis omnium, finesque priorum cum sequentium principiis semper connectit, et unam universi conspirationem concentumque pulcherrime efficit .... Omnium causa in se æquabiliter anticipatas habet." *Ergo*, si S. Scriptura docet in Sapientia omnia facta, S. Dionys. ostendit, quomodo sint facta.

Prob. Ant. pro volunt. (vide supra n. 2.) "Propter voluntatem tuam erant et creata sunt." Apoc. iv. 11.

Arg. 2. ex ratione.

a) Deus est primum ens in ordine agentium. *Atqui* tale ens agit per intellectum et voluntatem, non per necessitatem naturæ. — *Ergo.* Insuper Deus agit multis modis, ens per naturam agens agit uno modo. —*Ergo* agit per voluntatem; voluntas vero supponit intellectum.

b) Omnia procedunt a causa, secundum quod in causa præexistunt. *Atqui* præexistunt in Deo tanquam intelligente. *Ergo intelligibili* etiam *modo* a Deo procedunt.

Pars ii.

De modo, quo agit utraque facultas.

Arg. 1. Pro intellectu.

Intellectus essentialiter intellectivus non factivus est. *Atqui* ut intellectivus dirigit tantum, quatenus cognoscit, inquirit, illuminat de possibilitate modi executionis, et de necessitate mediorum aliquorum ad finem. *Ergo* intellectus est causa directiva tantum.

Præterea, duplex actus in intellectu distingui potest: cognitio et idea seu forma, quæ cognoscitur; — ut cognitio, dirigit, quia illuminat quoad convenientiam rerum et mediorum; ut idea, est causa exemplaris, non physice sed moraliter influens, non in res externas sed in voluntatem exequentem. *Ergo.*

Arg. 2. Pro voluntate.

a) Principium totale effectivum est intellectus et voluntas. *Atqui* intellectus non causat immediate. *Ergo* voluntas immediate agit ad extra.

b) Intellectus est *intelligere* assimilando se objecto; præterea intel-

lectus agit ad intra.—Voluntatis vero est tendere ad extra, ubi objectum vel invenit vel facit, si non invenit. *Ergo* voluntas agit ad extra, resque producit.

c) Voluntas infinite efficax debet esse efficax per sese, nec dependere in efficacia sua ab alio attributo: nec potest objici, voluntatem dependere tamen ab intellectu; hoc enim fit ex natura voluntatis, quia intelligibile non intrat in ambitum voluntatis, sed *supponitur* ante actionem voluntatis; efficacia autem in volendo pertinet ad activitatem voluntatis tanquam aliqua affectio actus volendi. *Ergo* voluntas divina debet ex sese et immediate rem producere.

Arg. 3. Ex Patribus.

PP. docent Deum de facto universum hoc sola voluntate creasse.—*Ergo* hæc sola est causa effectrix.

Ad maj. Clemens Alexand. (Or. hortat. adversus Gentes, n. 18.): "Ipsius Dei sola voluntas est mundi creatio; sola voluntate ille operatus est."—Damasc. (lib. 2. de Fide c. 2.): Ejusque (Dei) procreandi et conservandi et providendi potentia nihil aliud est, nisi bona ipsius voluntas."—S. Basilius (in Hexæm. hom. 1. n. 2.): "Universi hujus opifex effectricem potentiam habens in infinitum excedentem, rerum, quæ conspiciuntur, magnitudines *sola voluntatis nutu condidit.*"

PP. Igitur docent Deum sola voluntate creasse, et potentiam non præter sed in voluntate esse ponendam.

Coroll. *Ergo* recte ponitur potentia executiva ut ratione tantum seu inadæquate distincta a voluntate, sicut memoria distinguitur ab intellectu. S. Th. (1. q. 25. a 1. ad 4.): "Potentia non ponitur in Deo ut aliquid differens a scientia et voluntate secundum rem, sed secundum rationem, in quantum scilicet potentia importat rationem principii exequentis id quod voluntas imperat, et ad quod scientia dirigit; quæ tria Deo secundum idem conveniunt. Vel dicendum, quod ipsa scientia vel voluntas divina, secundum quod est principium effectivum, habet rationem potentiæ. Unde consideratio scientiæ et voluntatis præcedit in Deo considerationem potentiæ, sicut causa præcedit operationem et effectum."

II. DE ACTIONE CREATIVA SECUNDUM SE.

Duplex sententia:

1. *Deus est causa mundi immanens;—actio immanens;—mundus est terminus immanens.* (Cf. Stoekl, Philosoph. t. 2. § 156.)

Pantheismus idealisticus, qui, quum rejiciat possibilitatem creationis ex nihilo, statuit, Deum per actionem immanentem se evolvere per varios gradus essendi, dum in homine pertingat ad conscientiam sui. Mundus est natura *naturata*, Deus natura *naturans*, ita tamen ut natura naturata sit evolutio naturæ naturantis. Est igitur Deus causa immanens mundi; mundus terminus immanens; ipsa actio est evolutio immanens. *Ita Spinoza.* Nituntur principio immanentiæ systemata Fichte, Hegel, Schopenhauer, Hartmann. — Quamvis Schlegel Deum aliqua ratione ponat supra mundum (secundum transcendentiam aliquam), nihilominus manifestationem in mundo statuit esse immanentem. Secundum alios mundus vestis deitatis est, quam ipsa ex se Deitas evolvit et texit, sicut bombyx ex se texturam evolvit.

Huc referri etiam possunt inter plures alias duæ sententiæ *rejectæ* a Congreg. S. Off. (18. Sep. 1861.): 6°. "Res creatæ sunt in Deo tanquam pars in toto, non quidem in toto formali, sed in toto infinito, simplicissimo, quod suas quasi partes absque ulla sui divisione et diminutione extra se ponit." — 7°. Creatio sic explicari potest. Deus ipso actu speciali, quo se intelligit et vult tanquam distinctum a determinata creatura (v. g. ab homine) creaturam producit." — Interrogatum S. Officium, num *tuto* tradi possint, respondit *Negative.* (Cf. Franzelin, de Deo, propos. xxiv.) Non enim intelligitur, quomodo mundus non sit terminus immanens in utraque sententia.

2. *Deus est causa transiens;—mundus effectus externus;—actio transiens.*

Duplex sententia:

a) Actio creativa est *pure* et *formaliter* transiens. Ita Suarez consequenter ad suam doctrinam, omnipotentiam virtualiter distinctam esse ab intellectu et voluntate. Omnipotentia enim quum non sit facultas ex sese vitalis, sicut intellectus et voluntas est, non agit immanenter sed tantum transeunter licet sub impulsu actionis vitalis, i. e., voluntatis. Potest autem agere (in tempore, *sine mutatione ulla in principio agente*, quia actio transiens non mutat principium suum (de quo post).

b) S. Thom. consequenter ad suum principium docet, actionem creativam esse actionem formaliter immanentem virtualiter transeuntem.

Coroll. *Ergo* triplex sententia:

Pantheistæ docent actionem esse *simpliciter immanentem.*

Suarez ex opposito, esse actionem *formaliter transeuntem.*

S. Thom. docet esse *formaliter immanentem, virtualiter transeuntem.*

De pantheismo tractatum est in philosophia; hinc restant sententiæ P. Suarez et S. Thomæ.

PROPOSITIO VI.

Actio creativa actio sui generis est, excedens omnem actionem immanentem et transeuntem. Nihilominus in quantum a sola voluntate procedit, recte formaliter immanens; in quantum a potentia seu virtute efficace tanquam attributo voluntatis procedit, recte virtualiter transiens esse statuitur.

I. Est actio sui generis.

Arg. Actio immanens est perfectio agentis dupliciter, tum secundum formam manentem in facultate, tum secundum finem (seu destinationem) ut patet in hominis intellectu; actio vero transiens est perfectio agentis tantum secundum finem, quia ejus finis est perficere aliud. Si enim propriam facultatem perficeret, ageret hæc facultas postea melius, ut patet ex intellectu, quod admitti nequit. *Atqui* actio creativa non complet voluntatem per novam formam manentem in voluntate, hinc neque secundum finem; *ergo* sub hoc respectu non est proprie immanens: neque perficit Deum sub respectu finis, quia Deus extra se non habet finem; *ergo* sub hoc respectu non est proprie transiens. *Ergo* est actio sui generis.

Cfrm. Ex abundantia perfectionum præhabitarum Deus agit in potentiam objectivam termini possibilis eumque deducit ad esse. *Ergo* terminus omnis novus est extra Deum, non ut finis facultatis, quasi potentia Dei ad id esset destinata, sed ex quadam connotatione abundantiæ; hinc actio sui generis est.

(Vide *excursum de actione* — præsert. de actione transeunte, Coroll. 3. 4.)

II. Recte tamen refertur ad activitatem immanentem Dei formaliter, virtualiter transeuntem.

Nota. 1. Comparamus activitatem Dei cum nostra activitate; ideoque immanentem simul et transeuntem dicimus; quum principium cre-

ationis sit voluntas, actionem esse immanentem dempta imperfectione idque formaliter immanentem, quia manet conceptus actionis aliqua ratione; — transeuntem dicimus *virtualiter*, quia effectus externus est; dempta vero imperfectione actionis transeuntis hæc ipsa actio non amplius manet.— 2. Est communior sententia; eam defendit S. Thom. cum Thomistis; præterea Tolet. (phys. l. 3. q. 3. a. 2.), Gregor. a Valentia (in p. 1. disp. 3. q. 2. punct. 1.), Cardin. Cienfuegos (Enigm. theol. disp. 8. s. 3. § 1. n. 7. et disp. 11. s. 4. § 4. n. 40.), Vasquez, qui eam (in p. 1. disp. 173. c. 2.) dicit communem et antiquam Scholastic.; dein Petavius (de Deo, l. 5. c. 11.), Card. de Aguirre (theol. S. Anselmi tom. 1. disp. 19.), Anton. Casinius (Encycl. S. Script. vol. 1. q. 2. disp. 1–2. etc.)

Arg. 1. In Deo *actus agit* ad extra non potentia; quum tamen a nobis dijudicetur per modum potentiæ vel ut intellectus vel ut voluntas, necessario dicendum, actum agere ad extra, in quantum voluntas activa sit. *Atqui* actio voluntatis est formaliter immanens. *Ergo.* —*Atqui* non potest esse simul formaliter transiens, quia hæc poneret imperfectionem in Deo. *Ergo* quum effectus tamen producatur, virtualiter transiens tantum est.

Arg. 2. Facultas executiva est voluntas (prop. 3. et 5.) cujus actus primarius et essentialis est immanens, ita ut efficacia tantum ejusdem actus per quamdam quasi concomitantiam producat externa, sicut per concomitantiam quandam ad objectum primarium *intelligibile* intelligit alia. *Atqui* actus voluntatis est essentialiter immanens, et quatenus efficacia est attributum seu virtus ejusdem actus operatur ad extra, hinc transiens est. *Ergo* actus creativus est formaliter immanens et virtualiter transiens.

Arg. 3. Secundum Suarez actio transiens est fieri ut procedens seu dependens a causa. *Atqui* fieri natura saltem præcedit factum esse. *Ergo* fieri in creatura (saltem natura) præcedit esse creaturæ. *Atqui* hoc admitti nequit; nam supponeret fieri et creari tanquam modum substantialem distinctum ab ipsa creatura, ut substantia est, et præcedentem ipsum esse creaturæ (saltem natura). Quid vero ille modus sit, qui extra Deum et extra esse creaturæ sit et in se sit, intelligi non potest.—Præterea, creatio fit in instante, teste S. Thom. (1. q. 45. a. 2.

ad 3.): "Quum creatio sit sine motu, simul aliquid creatur et creatum est." Ideoque terminatur ad ipsum esse. Insuper actio transiens est accidens. *Ergo* supponit terminum, in quo recipiatur.

Cfrm. Scriptura Sacra obvio sensu intellecta ita exhibet Deum operantem ad extra, ut ejus imperiumimmediate *a*) dirigatur ad extra; *b*) immediate effectivum sit. *Atqui* non est sine gravi ratione ab obvio sensu recedendum. *Ergo. Prob. maj.* "Ipse dixit, et facta sunt."—Ps. xxxii. 19. et cxlvii. 5. etc., Gen. i. 3., Apoc. iv. 11. etc.

Ad min. Rationes graves non sunt, ut patet ex præcedentibus.

Coroll. 1. *Ergo* recte ponitur terminus creationis ipsum esse sine fieri: unde principium creans est principium *facti*, non principium alicujus actionis intermediæ, nec principium alicujus fieri seu motus, i. e., transmutationis in objecto.

Coroll. 2. *Ergo* relatio originis, quæ est in Deo eumque denominat ut agentem, residet in actu Dei, ut a nobis concipitur tamquam voluntas efficax.

Coroll. 3. Bene explicat etiam Toletus (Enarr. 1. 25. a. 1.): "In agente possumus duas considerare actiones. Una est immanens, quæ in ipso subjectatur, ut visio, volitio, et aliæ tales subjectantur in ipso agente. Altera est transiens, qua agens operatur effectum exteriorem, et hæc est in passo. Deus igitur hoc habet proprium, ut actione sua immanente, quæ potentissima est, agat etiam exteriora; nam dum intelligit et vult, res fit. Nec alia est in Deo actio, quam volitio et intellectio; nec enim aliam habet potentiam executivam præter voluntatem: quodsi haberet, tunc actio esset extra ipsum in passo, sicut quum ignis calefacit."

§ V.

Quæritur, in quo consistat proprie creatio.

Nota: 1. Effectio est proprie deductio formæ ex subjecto in objectum. Forma autem in principio intelligente est ipsa idea exemplaris.

2. Hæc forma potest considerari in triplice statu: *a*) ut idea in architecto, *b*) ut fluens ex architecto seu in statu fieri,* *c*) ut recepta in facto esse,—seu ut est in agente, in transitu, in facto esse.—Forma domus in mente architecti, in ædificatione (transitu), in domo facta. Cf. Maurus (Quæst. Philos. l. 3. q. 20.), Mazzell. (de Deo Creante disp. 1. a. 1. in nota p. 18.)

3) Hinc et varia rei relatio: forma active respiciens terminum efficiendum; in termino effecto passive respiciens causam; in statu fieri respectus mixtus.

* In statu fieri vocatur etiam in motu; qui motus non est *motus localis*, sed mutatio rei ex statu in statum.

4) Cum in creatione intermedius status non existat, quia creatio est instantanea, sequitur duplicem tantum esse respectum. Quare recte creatio sine statu intermedio dicit immediate relationem passivam in creatura, seu relationem dependentiæ passivæ a Deo tanquam suo principio, dicitque hanc dependentiam secundum se totam. Supponamus intellectum producere ideam aliquam; tria distinguenda: intellectus ut potentia activa, productio seu actio seu fieri ideæ, terminus productus, seu idea perfecta. Jam intellectus non prius immutat se ac dein producit ideam, sed immediate facit et idea immediate fit; unde potentia ut sic manet immutata, omnis autem mutatio est in idea secundum fieri et esse.—Hinc triplex respectus seu relatio: activa ex parte intellectus, activa et passiva simul in ipso fieri ideæ,* et passiva simpliciter. Quodsi cogitatur idea ipsa extra intellectum et posita in se, manet in potentia sine mutatione potentiæ respectus activus, et in termino respectus passivus, et si fieri non esset sed continuo factum ut in creatione obtinet, manerent duo illi respectus soli.

5) Dicimus igitur, voluntatem Dei velle essentiam suam tanquam bonum; quumque essentia ut bona sit participabilis ab aliis, hinc connotat alia, velle divinam voluntatem illa connotative, quatenus cohærent. Etenim si patrem aliquem amamus, amamus etiam ea, quæ patris sunt, v. g. vestem, domum, familiam, liberos, etc.; non vero in se, sed quatenus connotantur a patre, quatenus esse patris quasi complent. Inter ea igitur, quæ voluntas Dei *connotative* vult, aliqua ita vult, ut *ipsis velit etiam physicam existentiam*, seu ut non solum possint, sed de facto etiam participent divinam bonitatem, et quoniam Deus ita vult, eo ipso habent. Accedit igitur connotatio eorundem secundum alium statum, hinc connotatio activa.

PROPOSITIO VII.

Merito S. Thom. creationem activam definit, ut "designet Dei actionem, quæ est ejus essentia, cum relatione ad creaturam" (Pot. q. 3. a. 3. c.); *creationem vero passivam, ut "nihil aliud sit realiter, quam* relatio quædam ad Deum cum novitate essendi." (loco citat.)

St. Q. 1. *Ergo* duo requiruntur: *actus ipse Dei*, et *conversio activa ad terminum producendum*, seu relatio activa. Hinc relatio sola non sufficit, quia non agit; nec actus solus sufficit; sed utrumque conjunctum esse debet.

2. *Relatio ad Deum cum novitate essendi.* Adam ut homo potuit esse etiam generatus; quæritur ergo, quid creatio ponat in Adamo? *R.* Relationem non ad patrem aliquem ut causam, sed ad Deum, eamque integram; præterea novitas in Adamo completa seu novitas *simpliciter* est, quum in generatione sit tantum novitas *secundum quid*.

* Fieri enim ex se passivum est, sed quia ordinatur ad esse ut factum et completum producendum, hinc et actionis quidam respectus est.

Arg. 1. Triplex in efficentia pro triplice statu relatio: secundum actionem, secundum transitum, secundum passionem in facto esse; — hinc relatio activa, mixta, passiva. *Atqui* in creatione non est status intermedius, quia esse ipsum non potest esse in statu fieri, quum non supponat potentiam, in quo lateat, sed est continuo in statu facti. *Ergo* adest tantum duplex relatio, ex parte causæ et ex parte effectus.

Arg. 2. Connotatio ad actionem immanentem non potest esse nisi relatio activa ejusdem actionis. *Atqui* creatio est ex parte actionis in efficacia ejusdem actionis (vid. sup.).—*Ergo* non est nisi relatio activa. *Atqui* qualis natura actionis talis natura passionis. — *Ergo* et creatio passiva erit relatio passiva.

Arg. 3. Ex S. Thom. Vid. in prop.—Præterea (1. q. 45. a. 2. ad 2.): "Unde relinquitur, quod creatio in creatura non sit nisi relatio quædam ad creatorem ut ad principium sui esse." Et ibidem ad 3.: "Creatio importat habitudinem creaturæ ad creatorem cum quadam novitate seu inceptione."

III. DE RELATIONE ORTA EX ACTU CREATIVO.

Generalia quædam.

a) Absolutum est, quod independens est et ut tale cogitatur; relativum, quod refertur ad aliud nec concipi potest, quin aliud simul concipiatur, sicut homo ut homo absolutum quid, ut pater relativum est, quum sine filio, qua pater, nec cogitari nec esse possit; unde relatio in eo est, quod totum esse ad aliud est; quare si aliud desinat esse, eo ipso exstinguitur relatio.

b) Requiritur ad relationem subjectum quod, terminus ad quem, fundamentum, propter quod refertur subjectum.—Quum vero ad relationem exigatur, ut mens possit subjectum et terminum inter se comparare, ad comparationem vero requiratur forma una, sub qua possint inter se referri, v. g., quantitas, sub qua duo quanta; qualitas, sub qua duo qualia; vita sub qua pater et filius conferuntur,—sequitur, si forma utrique termino insit realiter, esse relationem realem; si vero in uno tantum *vere*, in altero vero ab intellectu *fingatur* inesse, esse relationem in priore realem, in altero *rationis* tantum; v. g., scientia et objectum scibile, visio et objectum visibile non possunt sub una forma quasi altiore et utrique communi inter se comparari, unde in scientia est relatio realis, in scibili relatio rationis. Similiter inter hominem et umbram ejus, inter Cæsarem et statuam ejus, relatio ex parte hominis est rationis tantum, ex parte umbræ, etc., realis; quia non cum homine comparari potest sub altiori quodam respectu, sed tota quanta refertur ad hominem. Ratio autem ultima est, quod unum est analogatum ad aliud; exemplar autem ad suum analogatum non refertur realiter, licet analogatum referatur totum ad suum exemplar. Scientia, visio referuntur ad objecta

tanquam analogata: item umbra, statua, etc. Littera vero scripta non refertur ad hominem ut analogatum, sed ut materiale ad manum tanquam causam suam materialem.

c) Potest aliquid ad aliud referri vel *α*) per accidens superveniens ipsi esse, v. g., per colorem, quantitatem, actum aliquem; vel *β*) per ipsum suum esse, v. g., oculus ad objectum suum. Prior est prædicamentalis relatio, in qua nova relatio supponit novum accidens, hinc mutationem (S. August. de Trinit. l. 5. c. 16.). Altera transcendentalis, quæ transcendit prædicamenta.

His præmissis, *quæritur quænam sint relationes inter Creatorem et creaturam ortæ ex creatione?*

Duplex sententia:

1. Suarez (M. disp. 57. s. 15. n. 19–23.), Gregor. a Val. (in S. Thom. 1. q. 13. punct. iv.), aliique censent posse dici relationem, qua Deus ut creator referatur ad creaturas, vere realem, modo imperfectiones, quæ in creaturis soleant comitari relationes reales, excludantur; nec ullam exinde poni in Deo imperfectionem, quum non sit univoca cum relatione reali in creaturis. Nihilominus propter communem loquendi formam et ne male attribuatur Deo relatio realis, putant auctores illi, non recedendum a locutione S. Thomæ, qui statuit, esse tantum relationem rationis in Deo. Fundamentale principium illius sententiæ est, quod Deus *vere* sit causa creans.

2. S. Thom. (1. q. 13. a. 7.; de Potent. q. 7. aa. 8. 10.; 1. sent. dist. 30. q. 1. a. 1.; Cg. l. 2. cc. 11. 12. 13.) docet non esse relationes in Deo reales, "sed tantum secundum intelligentiæ modum, ex eo quod alia referuntur ad ipsum." Secundum doctrinam S. Thomæ imperfectio est de essentia relationis realis; quare si tollitur illa, tollitur etiam relatio.

PROPOSITIO VII a

Merito asserit S. Thomas, relationes Dei ad creaturas esse relationes rationis tantum; relationes vero creaturarum ad Deum esse relationes reales.

PARS I. *Relatio ex parte Dei* rationis.

ARG. 1. Esse relationis ex essentia sua est esse ad aliud. *Atqui* in Deo nihil esse potest reale, quod sit ad aliud extra se. *Ergo* in Deo non potest esse relatio realis.

Ad min. Ipsa essentia divina sine ulla alia actione producit creatu-

ras; *ergo* si ideo realiter referatur ad creaturas, ipsa essentia divina esset tota in eo, quod sit ad creaturas;—quod est absurdum.

Arg. 2. Nulla est relatio realis inter aliquod ens quod est actu ad aliud quod est in potentia tantum; hinc nulla relatio realis Dei ad possibilia. Ut enim sit relatio realis, debet utraque forma realiter existere. *Atqui* in creatione *non mutatur Deus*, sed possibilia tantum novum quid accipiunt. *Ergo* manet in Deo relatio rationis, quæ fuit ante creationem.

Arg. 3. Deus et creaturæ non sunt in eodem ordine univoco. *Atqui* ad realem relationem videtur hoc requiri. *Ergo.*

Prob. min. Ordo analogus rerum est totus quantus ad Deum, sicut umbra ad hominem, imago ad exemplar. *Atqui* Deus non potest realiter referri ad id, quod est totum quantum ad se ipsum. *Ergo.* Quomodo enim homo posset referri ad suam umbram?

Præterea, nulla existit forma superior, sub qua possint Deus et creaturæ inter se comparari; si enim relatio realis—utriusque termini dicit participationem ejusdem mensuræ, certe Deus nullam mensuram participat, sed solus mensura omnium est.

Pars ii. *Relatio* realis *in creaturis.*

Creaturæ procedunt et dependunt a Deo secundum ipsum suum esse tanquam a causa exemplari, physica, finali,—ideoque independenter ab omni mentis consideratione. *Ergo* profecto realiter ad Deum referuntur.

Coroll. 1. *Ergo* recte Deus dicitur non similis suis creaturis, sicut nec homo similis est suæ imagini; sed creaturæ sunt similes Deo.

Coroll. 2. *Ergo* Deus terminat relationem creaturarum non per aliquod relativum, sed per aliquod absolutum; nihilominus *vere* terminat, quia est vere causa exemplaris, etc.

Expl. Filiatio in homine completur non humanitate in parte sed paternitate; quia relativum relativo completur. Ita vero non est in Deo, quia Deus cum creaturis non participat eandem mensuram vel formalitatem.

Coroll. 3. *Ergo* hinc etiam intelligitur, cur Deus non ex sua relatione reali, sed ex relatione reali creaturæ denominetur. Hæc igitur relatio ex parte creaturæ specificat relationem ex parte Dei; unde si creatura sit amica Dei, relatio ex parte Dei est relatio amoris; si sit inimica Dei, est ex parte Dei relatio odii, etc. Quumque terminatur relatio per ipsam substantiam Dei, recte Deus dicitur vero odio habere peccatorem, etc. Specificatio vero relationis Dei ad creaturas per re-

lationem creaturæ ad Deum non tam clare videtur in sententia altera, in qua ex parte Dei ponitur relatio realis.

Objectio. S. Thomas negat, posse Deum denominari relatione externa; *ergo* non potest denominari relationibus creaturarum.

R. D. Ant. Non potest denominari relatione externa formali *C.;* formalis enim relatio creaturæ est relatio dependentiæ, ex qua Deus formaliter denominari nequit, secus enim denominaretur dependens.— Non potest denominari relatione externa tanquam ex principio et mensura, in quantum relationi passionis respondet relatio actionis. *N.*— *Expl.* Omnis relatio supponit correlationem sive realem sive mentalem. Quum igitur Deus per absolutum terminet relationes creatur., concipitur tamen a nobis hæc terminatio per modum relationis; hinc mente referimus Deum ad creaturas.

Quæritur, qualis sit relatio creaturæ ad Deum, prædicamentalis, an transcendentalis?

Duplex sententia: S. Thomas tenet esse prædicamentalem seu quasi-prædicamentalem; Scotus tenet esse transcendentalem.

S. Thom. (in 2. d. 1. q. 1. a. 2. ad 4.): "Si [creatio] sumatur passive, sic est quoddam accidens in creatura et sic significat quandam rem, non quæ sit in prædicamento passionis proprie loquendo, sed quæ est in genere relationis; et est quædam habitudo habentis esse ab alio, consequens operationem divinam. Et sic non est inconveniens, quod sit in ipso creato, quod educatur per creationem, sicut in subjecto." — *Expl.* Substantia ex sese abstrahit, num sit creata vel generata, etc. Quod igitur creata sit, accedit ad substantiam per modum accidentis, hinc quasi prædicamentaliter.

Ratio Scoti: Quum creatura per ipsum suum esse referatur ad Deum tanquam causam multiplicem (exemplarem, etc.), relatio est transcendentalis. Est autem relatio creationis, quia totum pendet immediate a solo Deo.

EXCURSUS DE NATURA ACTIONIS.

Ut intelligatur, quid actio creativa sit, inquirendum prius est, quid actio in se sit.

A. De Actione.

I. Est de natura actionis ut habeat terminum intrinsecum.

Omnes conveniunt, actionem transeuntem ex sese producere terminum; ratio est, quia ad id est instituta; est enim principium talis actionis transeuntis principium mutandi *aliud qua aliud*, hinc actio hujus principii actualis mutatio alterius objecti. Num vero actio immanens producat terminum, varia sententia:

1ª. tenet, actiones immanentes non ponendas in genere actionum, sed esse qualitates. Ita Soncinas (5. Met. q. 26.) cum aliis multis Thomistis. Ratio est: Omni actioni respondet *fieri* per motum, hinc successiva est; respondet passio, respondet immutatio; sed actioni immanenti non re-

spondet fieri, quia instantanea est; non respondet passio, nec immutatio. *Ergo.*— Falsa sententia. Nam motus et immutatio sunt idem in re; potestque immutatio esse instantanea, ut in angelo intelligente objectum; estque passio in eadem potentia in qua actio est. Præterea, sequeretur intellectum et voluntatem non esse potentias activas.

2ª. tenet, actionem immanentem ut sic nihil producere, quod sit proprius terminus ejus, sed esse puram actionem, quamvis interdum ex illa aliquis effectus resultet. Cajetan. (1. q. 27. a. 1. dub. 1. et 3.), Ferrariens. (in cg. l. 1. c. 53.), Capreol. (in 1. dist. 27. q. 2.), etc. Docent hi auctores actionem et terminum actionis esse realiter distincta [quod negat Suarez: "quod repugnat actioni et proprio termino intrinseco, quia actio potest esse solum modus illius rei, quæ est terminus, non res realiter distincta" (Met. disp. 48. s. 2. n. 5.)].

Rationes: a) Visio oculorum nihil producit neque in objecto neque in sensu nisi seipsam, similiter et alii sensus. *Ergo.*—Hinc docent illi auctores a beatis non produci verbum in intelligendo Deo, quod et Ferrariens. probabile dicit, quamvis et alteram sentent. probabilem esse concedant (loco citat.)—*b*) Actiones immanentes non sunt institutæ a natura ad producendum aliquid, sed ad efficiendam cognitionem.

3ª. tenet omnem actionem etiam immanentem producere ex natura sua terminum. Suar. (M. disp. 48. s. 2. n. 7. etc. præsert. n. 16.)

Rationes: a) Omnis actio est productio; *atqui* productio ex sese est productio termini; *ergo:* — est via intermedia; *atqui* via non est sine termino; *ergo.*

b) Toto ambitu actionis immanentis nihil est, quod terminum excludat: nam vel *α*) ideo est sine termino, quod manet intra; sed terminus potest manere intra: vel *β*) quod sit actio vitalis, quæ exigit permanentem influxum; sed hoc neque in termino repugnat; imo et actiones vitales vegetativæ postulant perpetuum influxum et producunt terminos: vel *γ*) quod actio immanens versatur circa extrinsecum objectum, quod non immutat; sed licet agat de objecto, tamen objectum est tantum materia circa quam, materia vero ex qua est subjectum ipsum, quod vere immutatur. *Ergo* omnia illa momenta admittunt terminum.

c) Potest mens reflectere in actum cognitionis etiam secundum objectum cognitionis; sed non apparet, quomodo in solam actionem ut sic reflectere possit.—Hinc

Resp. ad superiora. a) Ipsa visio producit speciem expressam, quum sit aliqua reactio vitalis; reactio autem omnis determinata per influxum objecti eo ipso secundum influxum objecti illius imaginem in se reproducit, uti fere apparet in globulo gummico, cui moneta imprimitur.

b) Institutæ sunt ad cognitionem reproducendo imaginem objecti, hinc producendo illam objecti expressionem tanquam terminum.

Coroll. 1. *Ergo* terminus ingreditur metaphysicam essent. actionis.

Coroll. 2. *Ergo* nulla actio ut sic terminus esse potest.

Coroll. 3. *Ergo* specificatio actionis non ex ipso principio primario neque ex modo actionis, sed ex ipso termino actionis primario et ex principio agente secundarie seu consequenter petenda est; ut patet ex intellectu et voluntate. Censet etiam Suarez (M. disp. 48. s. 3. n. 8. etc.) si idem terminus sit, et duplex principium naturaliter agens, acti-

onem non esse specifice diversam; v. g., si sol calefaciat et ignis; calefactio communis terminus productus, productio specifice eadem.

II. De actione transeunte.

Quum hæc actio non maneat in agente sed transeat in passum, quæritur, quidnam proprie transeat, seu si actio ut distincta consideratur a termino, quæritur, quodnam sit subjectum, cui actio ut actio inhæreat, sitne subjectum agens an objectum patiens?—Triplex sententia:

1ª. *Sententia* ponit realem distinctionem inter actionem et ejus terminum; actionem ponit inhærere in principio agente, terminum vero in objecto patiente. Nulla est igitur actio proprie transiens, sed omnis actio est immanens et transiens secundum efficaciam. Ita Cajet. (in 1. q. 25.), Hispal. (in 1. dist. 27. q. 1.).—Rationes sunt:

a) Actio est accidens; *ergo* debet habere subjectum, cui inhæreat. *Atqui* non potest aliud subjectum inhæsionis habere nisi principium agens. *Ergo.* Nam actio denominat subjectum suum agens, sicut album denominat suum subjectum. *Atqui* non denominat passum nec denominat aliquod intermedium agens. *Ergo* non potest inhærere nec passo nec intermedio.

b) Potentia agens actuatur per actionem, i. e., ex potentia educatur in actum; *atqui* actuans inhæret potentiæ actuatæ. *Ergo.* Præterea, causa agens distinguitur per actionem a se nondum agente; jam vero si actio esset extra agentem, non distingueretur, — quia per externum nulla res distinguitur, præsertim quum in causa agente distinctio sit intrinseca.

c) Actio est perfectio agentis; *ergo* est in agente. Cf. S. Thom. (de Pot. q. 7. a. 10. ad 1.).

d) S. Thom. (l. 2. cg. c. 9.): "Actio, quæ non est substantia agentis, inest agenti ut accidens."

2ª. *Sententia: a*) Actio pro formali habet solum agens pro subjecto inhæsionis. Scotus (4. d. 13. q. 1. n. 10., et 4. d. 43. q. 5. n. 9.).

b) Actio pro formali est *relatio extrinsecus adveniens* agentis ad passum, vel formam inducentis ipsi, vel etiam transmutantis ipsum; sive forma sit substantialis vel accidentalis, sive actio sit instantanea vel successiva, immanens vel transiens. Scotus (7. An. nn. 6. et 9., Met. n. 41. et 1. d. 3. q. 6. n. 35.). *Ratio est* quia actio denominat principium suum agens; *atqui* non potest principium denominare nisi in quantum se ipsi communicat. *Ergo.* (Cf. Philosoph. P. Joannis a Cruce, ord. minor.,—ad mentem Joan. Scoti, disp. 32. n. 30. etc.)—Tenent igitur Scotistæ, actionem esse relationem tantum agentis ad passum; nec posse quidquam poni ante illam relationem.

3ª. *Sententia* tenet actionem transeuntem esse in passo, i. e., *ipsam actionem* transire, ideoque vocari actionem transeuntem. Suarez (M. disp. 48. s. 4. n. 10.): "Hæc sententia, quatenus negat, actionem transeuntem ponere in agente aliquid prævium ad effectum, verissima est." —Hanc docet Aristot. (Phys. l. 3. c. 3.), ubi eundem motum esse dicit actionem et passionem esseque actum agentis et patientis, illius ut *a quo*, hujus ut *in quo*. Hinc secundum ipsum actio est in passo; motus in mobili. Item (Met. 9. c. 9., de Anim. 2. c. 2. text. 24. 26.): "Actus agentium in eo, quod patitur et disponitur, videtur esse." Iterum:

"Actio et passio non in agente est, sed in eo, quod patitur."—S. Thom. (cg. l. 2. c. 1.), Ferrariens. (in loc. illum et in c. 9. inferius), Capreol. (in 2. dist. 1. q. 2. a. 3. etc.)— Secundum Suarez (M. disp. 48. s. 4. n. 6. in fine) receptissima sententia inter recentiores.—Rationes:

a) Causa ex sese dicit immediatum respectum ad effectum. *Atqui* si prius ageret in se et dein ad extra diceret mediatum tantum respectum. *Ergo.*

b) Si deberet prius agere in se et dein ad extra, non esset completa potentia ad agendum ad extra, sed deberet prius se complere. *Atqui* hoc falsum; foret enim potentia tantum remota ad agendum. *Ergo.*

c) Terminus productus prius in se esset vel *medium quo;* vel esset per concomitantiam et quamdam quasi resultantiam, sicut quando in globulo gummico imprimitur moneta, ex reactione contra monetam oritur per resultantiam figura monetæ in superficie. *Atqui* utrumque absurdum—prius, quia in hoc casu potentia non esset proxime activa; alterum, quia non produceret in altero similitudinem suam, sed in se similitudinem alterius. *Ergo.*

d) Quæri posset cujusnam similitudinis ille terminus productus in potentia esset? Profecto in sententia superiore solvi quæstio non posset.

e) Actio fluit immediate et per se ex agente. *Ergo* ibi est, ubi recipitur.—*Ad Antec.* Secus duplex esset actio: prior ad intra, et altera ad extra; et prior actio deberet alteram producere. Præterea, "causa est principium per se influens esse in aliud" Arriaga (Phys. disp. 7. s. 1. n. 1.) — seu secund. Arist. (Met. l. v. c. 12.): "Potentia activa est principium transmutandi aliud in quantum aliud."

Coroll. 1. *Ergo* actio et passio non distinguuntur in re sed tantum secundum respectum originis et termini.

Expl. Est eadem res, quæ quatenus procedit ab agente vocatur actio, quatenus recipitur in objecto vocatur passio. Sed notandum: *a*) Actio ut actio non necessario supponit aliquod objectum, in quo recipiatur, ut patet in actione creativa, quæ objectum sibi facit; exigit igitur actio ex natura sua tantum terminum quem producat, non *subjectum inhæsionis* nisi ratione termini. Terminus enim vel ut accidens postulat objectum inhæsionis, vel ut substantia subsistit in se.—*b*) Actio potius infert passionem objecto quasi active; *ergo* sub formali suo conceptu non efficit passum; sed infert passionem ideoque mediante passione inest in passo. Hæc illatio non est causalitas quædam nova, quasi actio ageret, sed est sicut una proprietas est ratio alterius.

Coroll. 2. Quum actio mediante passione insit in termino, hinc terminum non denominat nisi in quantum passio est; ideoque et actio immanens, quatenus denominat hominem agentem, formaliter non concipitur ut inhærens homini, sed ut est ab illo.

Coroll. 3. Licet actio non sit in objecto agente, illud tamen denominat. "Duplex modus est, quo aliquid denominative prædicatur; *vel denominatur ab eo, quod extra* ipsum est, sicut a loco dicitur aliquis esse alicubi, et a tempore aliquando (Romanus a Roma); *vel ab eo, quod inest,* sicut ab albedine albus; a relatione vero non invenitur aliquid denominari quasi exterius existente, sed inhærente. Non enim denominatur aliquis pater, nisi a paternitate, quæ ei inest; item filius a filiatione. Sunt autem relationes, quia si filius moritur, pater desinit esse pater." S. Thom. (cg. l. 2. c. 14.). — Similiter causa denominatur a

relatione ad effectum; fons a relatione ad aquam. Hinc agens a relatione ad passum denominatur. Est enim actione ipsa relatio activa, quæ actione perfecta manet in causa ut *relatio originis* (relatio prædicam.). Ab hac igitur denominatur causa agens, sicut Deus ab hac relatione originis vocatur creator; voluntas divina, quatenus efficacia sua possibilia creare potest, vocatur ab hac relatione ad possibilia — omnipotens.

Coroll. 4. Causa agens transeunter non mutatur nec perficitur actione sua: nam si mutaretur, haberet ad hanc mutationem potentiam aliquam passivam; sed hoc repugnat, quum potentiam suam passivam habeat in objecto patiente; neque perfici ex actione potest, quia ut potentia activa habet jam perfectionem suam, et ex illa communicat perfectionem cum objecto, quod nondum habet; atque hac ratione distinguitur potentia activa a passiva. Est enim potentia passiva capacitas alicujus perfectionis, quam non habet; potentia activa—tota in actu—potentia producendi illam perfectionem in potentia passiva seu educendi actum ex potentia passiva. Quodsi dicitur actio perfectio agentis, non intelligitur actio perfectiorem reddens potentiam, sed potius manifestans perfectionem, quæ in potentia est. Patet hoc etiam ex actione generativa, quæ potius corrumpit principium generans, quam ut perficiat. Transit præterea actio in utilitatem totius, hinc melior est causa agens quam non agens.

Cf. Ferrariens. (in S. Thom. cg. l. 2. c. 9., *secundo*): "Aliter est complementum potentiæ actio immanens, aliter actio transiens. Immanens est complementum per modum finis et per modum formæ; dum enim potentia conjungitur suæ operationi immanenti, consequitur finem, ad quem ordinatur; est enim talis potentia propter operationem; et quia remanet in ipsa potentia, per ipsam perficitur tanquam per formam et sic completur ejus potentialitas, quæ erat receptiva propriæ actionis.—Transiens autem, quum non remaneat in agente . . . non complet aut perficit agens per modum formæ, sed tantum per modum finis." Est igitur ad id, ut aliud, non se ipsum perficiat, sicut calorieum non perficitur ex eo, quod aliud objectum calefacit, nec attractio terræ, quod alia attrahat. Est igitur finis operationis transeuntis, ut alium terminum suæ perfectionis faciat participem assimilans eum sibi externe; quando vero interne sibi assimilat, ut in *vita vegetativa*, agit jam immanenter (in ultimo quidem gradu). In superiori gradu vitæ (sensitivæ) facit jam ipsum objectum in se existens per aliquod vicarium objecti, et sic complet et perficit suam potentiam vitalem. Deus, quum omnia habeat et ex abundantia agat, non complet suam potentiam nec per modum formæ nec per modum finis, sed complet potentiam objectivam entis creabilis.

Probatur etiam ex eo, quod si actio causam semper perficeret, fieret ipsa causa agens perfectior et ageret perfectius; sed tunc leges mathematicæ, mechanices, non essent amplius tutæ, quia hæ supponunt maximam stabilitatem. Vis attractiva non crescit exercitio actionis, sed tantum per novam massam sibi junctam, etc. Actio autem transiens supponit semper subjectum conjunctum cum objecto vel immediate per proprium esse, vel mediate per instrumentum, quod motum a causa acceptum transmittat. Si enim talis conjunctio non esset, quæstio oriretur, quid illa actio esset in spatio intermedio?—Motus denique

duplex: vel localis, vel mutatio in objecto, estque idem ac *fieri* effectus.

Coroll. 5. Causa agens semper induit aliquem respectum activum ad passum, qui respectus considerari potest ut accidens aliquod.

Hinc patent responsa ad argumenta primæ sententiæ et ad principium secundæ sententiæ, quod actio denominat principium agens ideoque debet esse in agente.

Coroll. 6. *Ergo* si Deus crearet per actionem transeuntem in tempore *non* mutaretur; unde falso P. Stentrup (de Deo Uno, c. 6. th. 40.) asserit cum immutabilitate et simplicitate Dei illam actionem transeuntem non posse convenire.

B. Quæritur, quid Agere in se sit?

1. Distinguenda est *reactio* ab *actione* prima. Prior supponit impressionem erga quam fit, v. g., reactio globuli gummici erga monetam impressam; procedit reactio a vi resistentiæ seu repulsiva: altera procedit ex potentia per se activa.

2. Quum actio pertineat ad notiones primitivas sicut ens, etc., non potest analysi subjici, quum non sint ideæ notiores, per quas explicari possit; hinc *describi* tantum potest. Duæ igitur potentiæ requiruntur, activa et passiva in objecto, quæ se habent fere ut materia et forma. Quemadmodum enim materia est potentia passiva, quæ per formam accedentem fit novum unum per se, ita objectum patiens in potentia passiva jungit se principio agenti secundum potentiam activam nōn ut unum per se sed unum per accidens fiat, atque ita reducitur potentia passiva in actum, i. e., oritur in ea esse novum accidentale, simile principio agenti. Ita etiam Capreolus, quod approbat Suarez (M. disp. 18. s. 8. n. 12. B.): "Agens est quodammodo actio ipsius passi, et passum est quodammodo in potentia ad agens; actus autem et potentia ex sua ratione postulant esse indistans."—Quod autem possunt separari ita ut maneat forma accidentalis in passo, est ex eo, quod utrumque principium, agens et patiens, sunt substantiæ completæ conjunctæ per accidens.

3. Aliud est esse in quantum constituit, aliud in quantum potest se communicare; esse hoc communicabile secundum sui similitudinem seu actionem est vis. Est igitur vis esse quoddam *mobile* fluens ex esse constitutivo ideoque rationis et naturæ ejusdem. Secundum hoc esse potissimum applicat se esse totum. Ex hac applicatione potentia passiva objecti actuatur in similitudines τοῦ esse applicati.

4. In omni vi activa est respectus ad potentiam passivam actuandam. Respectus ille est relatio transcendentalis activa; in potentia passiva objecti est respectus transcendentalis passivus. Est igitur in utraque potentia aliqua conversio unius ad alteram indeterminata et in genere, quæ in applicatione fit determinata in certa causa activa ad certam causam passivam. In hac conversione activa seu respectu activo multi reponunt actionem. Sed quamvis omni actioni respectus activus sit essentialis, difficile tamen intelligitur, quomodo in *solo* illo respectu possit reponi actio. Postquam actio completa est, oritur relatio prædicamentalis, quæ per modum formæ accidentalis accedit ad causam, sicut in generatione est respectus activus; ex generatione oritur paternitas, filiatio.

5. Quando actio transit in terminum, quæritur, quidnam proprie actio in termino, seu effectus sub ratione originis sit?—Respondendum, esse effectum sub ratione dependentiæ in fieri. Si enim effectus completus est, non amplius dependet a sua causa; præterea potest unus effectus a variis esse causis productus, sicut domus vel ab hoc vel ab alio potest architecto esse producta. Hinc Suarez (M. disp. 48. s. 2. n. 15.): "Actio est nihil aliud in re, quam specialis illa dependentia, quam effectus habet a sua causa efficiente;" et (disp. 20. s. 5. n. 11–25.) loquens de creatione explicat Suarez, quid illa dependentia sit: "Dependentia illa non est res omnino distincta realiter a termino creationis, neque est sola relatio resultans a termino creationis, sed est modus quidam ex natura rei distinctus ab ipso termino." Modus autem ille maxime apparet in ipso fieri; hinc (n. 27.): "Quatenus illud fieri concipitur ut prius natura suo termino, concedendum est, non esse in subjecto, sed concipi quasi in se; quod non est inconvèniens; imo potius hæc est singularis excellentia et modus dependentiæ creaturæ." Hinc et in conservatione dependentia a creatore est modus ab ipsa creatura distinctus. *Ergo* quod actioni transeunti respondet, est illud fieri tanquam modus distinctus, quumque actio præcedat effectum, modus ille ut præcedens effectum concipiendus est. In re vero quum non sit successio, sed modus et res existant simul ut terminus, simili modo sicut objectum formale et materiale, apparet inconvenientia. Nihilominus, si modus potest esse effectus ipse actionis—seu actio ut procedens—non apparet, cur non ipsum esse quod fit, posset esse effectus; præterea prius ponere modum et dein rem in qua sit modus, videtur contradictio; modus enim ex natura sua supponit subjectum in quo sit. Hinc alii ponunt ipsum esse cum relatione originis. Fingatur effectus, qui producitur tanquam forma accidentalis in objecto, prius elaborari in causa agente et dein transire in objectum; ille effectus totus exiret ex causa retinens tantum relationem originis ad causam, sicut aqua ad fontem. Jam vero quod in hoc casu formaliter procederet, de facto virtualiter, i. e., secundum virtutem procedit; retinet igitur ad causam tantum relationem originis, et sub hoc respectu a causa fit, seu causa producit et agit.

C. De Actione Formaliter Immanente Virtualiter Transeunte.

Actio transiens potest dividi in actionem formaliter transeuntem et virtualiter transeuntem, i. e., formaliter immanentem secundum virtutem tantum transeuntem. Videtur autem hæc admittenda tum ex activitate Dei ad extra quæ fit per voluntatem, tum ex activitate animæ in corpus; quatenus anima voluntate movet corpus, angelus item corpora voluntate movet. Varie explicatur:

1°. Manet terminus actionis intra, sed efficacia transit ad extra. Difficile intelligitur, si actio maneat intra, quomodo efficacia possit transire.

2°. Causa agit ad extra ratione termini producti, quod Suarez ita explicat: "Si reductionem aquæ ad pristinum frigus actionem immanentem vocemus (licet ex eo proveniat, quod aqua facta frigida rem extrinsecam frigefaciat), actio illa reductionis non dicitur proprie transiens quoad efficaciam, quia illa sistit in suo termino; altera vero actio se-

quitur ex virtute termini prioris actionis tanquam ex principio novæ actionis. Ad hunc ergo modum intelligendum est, quotiescumque actus immanens est principium alicujus effectus extra operantem." (M. disp. 48. s. 6. n. 11.) Difficilis tamen sententia, quum reductio ad minus frigus non fiat per actionem immanentem; et si reducta sit aqua, agit ad extra per actionem transeuntem.

3°. Causa attingit objectum externum ratione connexionis cum termino immanente. — Explicatur in actu creationis. Deus amat suam essentiam et consequenter terminos possibiles utpote imitantes et pertinentes ad suam essentiam. Quando igitur vult hos terminos efficaciter, ut existant, vult eos eodem actu quo suam vult essentiam et quidem ut connotatos ad suam essentiam; hinc per eundem actum immanentem propter nexum cum sua essentia.

Ad rem Ferrar. (Cg. l. 2. c. 16., *Utrum actio transiens in Deo?*): "Actio divina, qua res producuntur, quum non sit aliud, quam ipsum velle divinum et ipsa Dei substantia . . . non est actio transiens secundum rei veritatem, sed actio immanens, quæ est velle et intelligere. Secundum enim quod Deus intelligit et vult, ita res in esse procedunt absque alia media actione et motu. Sed verum est, quod habet aliquam similitudinem cum transeunte, in quantum per ipsam aliquis effectus in creaturis relinquitur, et ideo a nobis significatur per modum actionis transeuntis in aliud . . . . Unde potest dici actio transiens productive, quia habet terminum extrinsecum productum, non autem subjective, quod est proprie esse actionem transeuntem, quia non recipitur in aliquo extrinseco subjecto, sed remanet in agente." Aliis verbis, est actio formaliter immanens, sed non *formaliter* transiens, quia qua talis deberet recipi in aliquo patiente; sed *virtualiter* transiens; i. e., actio immanens non exit simul ex se, sed habet virtutem statuendi terminum extra se.

Conclusio. Actio creativa est actio sui generis, nec immanens nec transiens, sicut nostræ actiones vel immanentes vel transeuntes sunt, sed conjungit in se utrumque elementum. Ratio est, quia actio immanens complet et perficit potentiam secundum formam et finem; actio transiens complet secundum finem (vide supra de actione transeunte coroll. 4.). Non autem actio creans fit ex defectu alicujus formæ, nec ex defectu finis, sed ex plena abundantia sua. Nihilominus si secundum nostrum modum classificanda sit, rectius dicitur actio immanens formaliter, et transiens virtualiter, quia in hac actione occurrunt *efficax volitio* et factio termini externi; duo illa elementa, ex quibus actio dijudicanda. Atque ita thesis superior de natura actionis creativæ intelligenda est.

§ VI.

Quæritur, num ad actum creativum requiratur vis infinita?

Nota: Suarez (M. disp. 20. S. 2. n. 4. vid. sup. pag. 23. nota a.) censet non posse sufficienter probari requiri essentialiter ad creandum vim infinitam, ideoque censet probabilissimum posse creaturæ alicui per elevationem communicari vim creatricem (de quo post.); quare argumenta S. Thom. sectione illa a numero 22–35. infirmare conatur.

PROPOSITIO VIII.

Ad creandum requiritur facultas infinita.

Arg. 1. Mensura facultatis alicujus est objectum ejus formale; i. e., amplitudo facultatis est tanta, quanta amplitudo objecti formalis; — sunt enim correlativa, ideoque objectum formale est objectum adæquatum adæquans vim facultatis. *Atqui* objectum formale facultatis creativæ est ipsum esse, esse autem est universalissimum. *Ergo* amplitudo facultatis creativæ est universalissima—ideoque facultas infinita.

Ad maj. Explicatur *a*) ex natura et relatione objecti formalis. Quum omnis facultas sit certo modo in se ipsa constructa et secundum hanc constructionem internam agere debeat, id quod in termino huic constructioni respondet, vocatur ejus objectum formale.— Habet enim suam constructionem propriam intellectus, propriam sibi voluntas, item aliam oculus, aliam auris, etc.; hinc et in termino proprio cuique respondet ratio. Quum hæc constructio particularis sit, ideoque et particularis cuique respondet ratio; si vero universalis sit, hinc et ratio in effectu universalis, et vice versa, si ratio in effectu universalis sit, erit et universalis in facultate. Si sigillum in cera imprimitur, cera refert formam sigilli. Simili modo facultas exprimit se in effectu; quare sicut ex forma ceræ ad formam sigilli concludi potest, sic ex forma termini ad formam facultatis.

b) Ex multiplicabilitate.

Forma sigilli *ex parte materiæ*, non enim omne subjectum recipit formam sigilli, *et ex se ipsa* admodum restricta est.—Multiplicabilis igitur est in substantiis similibus; et si in uno subjecto potest exprimi, potest idem exprimi in similibus subjectis, in *quantum possunt formam suscipere.* Quo autem *minus* est restricta forma ex sese, et quo est *minus restricta per materiam*, hinc minus pendens a materia, eo amplior est formæ latitudo, ideoque et facultatis latitudo formaque ipsa magis multiplicabilis.

c) Ubi igitur esse ipsum forma est, quæ ex sese non restringitur ad certum genus vel speciem, et ubi ex parte materiæ nulla est restrictio

nisi ex ordine possibilitatis, i. e., ut debeat esse possibile—ibi est etiam in facultate nulla restrictio.

d) Potest autem possibilitas considerari ut potentia objectiva; i. e., quod cera est pro sigillo, id analogo quodam modo possibilitas alicujus entis est pro esse. Quare esse toties multiplicabile, quoties potentia objectiva seu possibilitas alicujus entis adest.

Prob. min.—Objectum formale est esse ipsum.

a) Vid. Prop. III.

b) S. Thom. (Cg. l. 2. c. 21. . .): "Sic igitur, quum fit aliquod ens, ut homo vel lapis, homo quidem per se fit, quia ex non homine; ens autem per accidens, quia non ex non ente simpliciter, sed ex non ente hoc . . Quum ergo aliquid fit omnino ex non ente, ens per se fit." Unde secundum S. Thom. in generatione per se intenditur homo et ratione hominis etiam ens; in creatione intenditur ens, et quia ens semper in concreto est in certo prædicamento, hinc et ratione esse physici intenditur et illud prædicamentum (v. g. certa species, etc.). Quum vero esse sit universalissimum, debet illud esse habere in se saltem virtualiter, quia illud secus dare non posset; sicut sigillum habet prius formam in se. Unde quum omnis perfectio sit creabilis, debet omnem habere in se, hinc causa creativa necessario infinita est.

Confirm. Vis aliqua productiva non tantum ex termino, sed etiam ex distantia termini producendi a suo opposito dijudicanda est; v. g., calefactio alicujus ligni non tantum ex carentia caloris, sed etiam ex distantia a frigore. *Atqui* licet terminus, qui producatur, finitus sit, ejus tamen distantia a nihilo ex quo infinita est. *Ergo* vis talem distantiam superans debet esse infinita.

Ad maj. Supponamus duos sculptores, quorum quisque in marmore æqualis bonitatis figuram Cæsaris exprimat. Profecto illius ars erit major, qui meliorem formam educit; quodsi marmor fuerit inæquale, et nihilominus ex deteriore marmore sculptor meliorem figuram elaboraverit, erit ars etiam major. Ratio est, quia in omni subjecto, quum non ex omni re omnia fieri possunt, sed tantum certum aliquid, debet esse proportio ad effectum. Hinc quo minor est proportio seu major disproportio ad effectum, et tamen effectus melior, eo major est vis. — *Ergo* non tantum effectus, sed etiam relatio effectus ad terminum ex quo ut mensura alicujus facultatis habenda est.

Ad min. Disproportio illa concipitur a nobis per modum distantiæ; quare quo magis crescit disproportio eo magis crescit distantia: unde si nulla sit proportio, hinc disproportio ultra finitam, distantia dicitur

esse infinita. Difficultas, quomodo, quum terminus *finitus* sit, possit *cogitari infinite* distare a non ente, ita solvitur a S. Thoma (de Veritate q. 29. a. 3. ad 9.; de Potentia q. 3. a. 1. ad 3.): "Notandum est, distantiam duorum ad invicem posse tripliciter se habere: primo, quod sit ex utraque parte infinita, sicut si unus haberet albedinem infinitam et alius infinitam nigredinem; et hoc modo est infinita distantia inter esse divinum et non esse simpliciter. Secundo, ita ut ex utraque parte finita, sicut dum unus habet albedinem finitam et alius finitam nigredinem; et talis distantia est inter ens creatum et non esse secundum quid. Tertio, ut ex una parte sit finita et ex alia infinita; velut si unus haberet albedinem finitam et alius infinitam nigredinem; et hujusmodi distantia est inter esse creatum et non esse simpliciter, quia esse creatum est finitum, non esse autem simpliciter infinitum."

Expl. Nigrum et album sibi opponuntur, unde infinitum nigrum est in oppositione (formaliter considerata) infinitum. Quare si unus terminus sit finitus, hinc in oppositione finitus et alter infinitus in oppositione, ex parte altera infinita oppositio et distantia, quia non incipit; quod autem non incipit, non habet finem ex ea parte; unde ex parte altera infinitum quid est. Quare vis superans hanc infinitam oppositionem et distantiam non potest esse finita.

Arg. 2. Suarez ex S. Thom. ita proponit (M. disp. 20. S. 2. n. 29.): "Quidquid creat aliquid, creat absolute ens et non tantum applicando esse seu naturam entis ad hoc ens. *Ergo* quantum est ex se, potest creare quodlibet ens creabile."

Explicatur antecedens. Nam fieri non potest ut qui participat aliquam naturam producat *absolute* illam, sed applicando illam ad aliquid, ut Petrus non potest esse causa sui naturæ humanæ absolute, alias posset esse causa sui ipsius; unde solum potest esse causa, ut natura humana sit in Paulo vel Francisco. Sicut autem hic homo participat naturam hominis, ita quodlibet ens creatum participat naturam entis. Non ergo potest producere absolute naturam entis, sed applicare illam ad hoc ens. Ergo sicut homo non potest per actionem vel productionem suam applicare naturam hominis ad hoc, nisi præsupponendo aliquid, quo illa determinatio naturæ communis ad hoc individuum fiat, ita in universum non potest ens per participationem communicare naturam entis nisi præsupponendo aliquid, quo determinetur natura entis ad hoc; quod repugnat creationi. Ergo e converso omnis potentia, quæ potest producere absolute ens, nihil præsupponendo, producit absolute naturam entis et non tantum applicando illam ad hoc; ergo omnis potentia, quæ potest sic creare, est universalis; unde non potest esse ens per participationem sed ens per essentiam."

Nota. Objectiones, quas Suarez (n. 30.) huic argumento opponit, sunt hæ duæ: *a*) "quum generatur v. g. tritricum, non solum per se generatur triticum, sed etiam vivens, quia non præsupponitur ratio viventis; generatur enim triticum ex terra non vivente; tamen qui habet potentiam ad generandum triticum non propterea habet potentiam ad generandum omne vivum." *b*) Si ens universaliter est objectum adæquatum creationis, "non erit tantum ens creabile, sed absolute ens; ergo comprehendet sub se omne ens, hinc et ipsum Deum."—*Resp.* ad

te possumus duas considerare actiones. Una est immanens, quæ in ipso subjectatur, ut visio, volitio, et aliæ tales subjectantur in ipso agente. Altera est transiens, qua agens operatur effectum exteriorem, et hæc est in passo. Deus igitur hoc habet proprium, ut actione sua immanente, quæ potentissima est, agat etiam exteriora; nam dum intelligit et vult, res fit. Nec alia est in Deo actio, quam volitio et intellectio; nec enim aliam habet potentiam executivam præter voluntatem: quodsi haberet, tunc actio esset extra ipsum in passo, sicut quum ignis calefacit." Hinc recte Stentrup De Deo c. 6. th. 40. "Aliquo eoque verissimo sensu affirmari potest, actionem Dei creantem esse transeuntem *productive*, habet enim terminum extra Deum productum; non autem *subjective*, quia non recipitur in aliquo subjecto a Deo distincto, sed manet in Deo."

§ V.

Quæritur, in quo consistat proprie creatio.

Nota: 1. Effectio est proprie deductio formæ ex subjecto in objectum. Forma autem in principio intelligente est ipsa idea exemplaris.

2. Hæe forma potest considerari in triplice statu: *a*) ut idea in architecto, *b*) ut fluens ex architecto seu in statu fieri, *c*) ut recepta in facto esse,— seu ut est in agente, in transitu, in facto esse.—Forma domus in mente architecti, in ædificatione (transitu), in domo facta. Cf. Maurus (Quæst. Philos. l. 3. q. 20.) Mazzell. de Deo Creante disp. 1. a. 1. in nota p. 18.

b) Hinc et varia rei relatio; forma active respiciens terminum efficiendum; in termino effecto passive respiciens causam; in statu fieri respectus mixtus,

c) Cum in creatione intermedius status non existat, quia creatio est instantanea, sequitur duplicem tantum esse respectum. Quare recte creatio sine statu intermedio dicit immediate relationem passivam in creatura, seu relationem dependentiæ passivæ a Deo tanquam suo principio, dicitque hanc dependentiam secundum se totam. Supponamus intellectum producere ideam aliquam; tria distinguenda; intellectus ut potentia activa, productio seu actio seu fieri ideæ, terminus productus, seu idea perfecta. Jam intellectus non prius immutat se, ac dein pro-

ducit ideam, sed immediate facit et idea immediate fit; unde potentia ut sic manet immutata, omnis autem mutatio est in idea secundum fieri et esse.—Hinc triplex respectus seu relatio: activa ex parte intellectus, activa et passiva simul in ipso fieri ideæ,*et passiva simpliciter. Quodsi cogitatur idea ipsa extra intellectum et posita in se, manet in potentia sine mutatione potentiæ respectus activus, et in termino respectus passivus, et si fieri non esset sed continuo factum ut in creatione obtinet, manerent duo illi respectus soli.

d) Dicimus igitur, voluntatem Dei velle essentiam suam tanquam bonum; quumque essentia ut bona sit participabilis ab aliis, hinc connotat alia, velle divinam voluntatem illa connotative, quatenus cohærent. Etenim si patrem aliquem amamus, amamus etiam ea, quæ patris sunt, v. g. vestem, domum, familiam, liberos etc; non vero in se, sed quatenus connotantur a patre, quatenus esse patris quasi complent. Inter ea igitur, quæ voluntas Dei *connotative* vult, aliqua ita vult, ut *ipsis velit etiam physicam existentiam*, seu ut non solum possint, sed de facto etiam participent divinam bonitatem, et quoniam Deus ita vult, eo ipso habent. Accedit igitur connotatio eorundem secundum alium statum, hinc connotatio activa.

PROPOSITIO VII.

Merito S. Thom. creationem activam definit, ut "designet Dei actionem, quæ est ejus essentia, cum relatione ad creaturam." (Pot. q. 3. a. 3. c.); *creationem vero passivam, ut "nihil aliud sit realiter, quam* relatio quædam ad Deum cum novitate essendi. (loco citat.)

St. Q. 1. Relatio habet esse debilissimum, quia ex natura sua pendet non solum a termino, in quo inest, sed etiam a termino, ad quem refert; ponit igitur in subjecto inhærentiæ non absolutum quid, ut alia accidentia, sed relativum i. e. "*esse ad aliud.*"

"Relatio realiter substantiæ adveniens et postremum et imperfectissimum esse habet. Postremum quidem, quia non solum præexigit esse substantiæ, sed esse aliorum accidentium, ex quibus causatur relatio . . Imperfectissimum autem, quia propria ratio relationis consistit in eo, quod est ad alterum; unde esse ejus proprium quod substantiæ super-

*Fieri enim ex se passivum est, sed quia ordinatur ad esse ut factum et completum producendum, hinc et actionis quidam respectus est.

additur, non solum dependet ab esse substantiæ, sed etiam ab esse alicujus exterioris." (Cg. l. 4. c. 14.)

2. Relatio passive spectata supponit fundamentum, ex quo procedat; relatio vero actionis identificatur cum ipsa actione, quum nihil aliud sit nisi activus respectus.

Arg 1. Triplex in efficientia pro triplice statu relatio: secundum actionem, secundum transitum, secundum passionem in facto esse;—hinc relatio activa, mixta, passiva. *Atqui* in creatione non est status intermedius, quia esse ipsum non potest esse in statu fieri, quum non supponat potentiam, in quo lateat, sed est continuo in statu facti. *Ergo* adest tantum duplex relatio, ex parte causæ et ex parte effectus.

Arg. 2. Connotatio ad actionem immanentem non potest esse nisi relatio activa ejusdem actionis. Atqui creatio est ex parte actionis in efficacia ejusdem actionis (vid. sup). —*Ergo* non est nisi relatio activa. Atqui qualis natura actionis, talis natura passionis. — *Ergo* et creatio passiva erit relatio passiva.

Arg. 3. Ex S. Thom. Vid. in prop. — Præterea, 1. q. 45. a. 2. ad 2. "Unde relinquitur, quod creatio in creatura non sit, nisi relatio quædam ad creatorem ut ad principium sui esse." Et ibidem ad 3. "Creatio importat habitudinem creaturæ ad creatorem cum quadam novitate seu inceptione."

Scholium.—Quæritur, qualis illa relatio sit in creatura et in Deo.

1. Generalia quædam.

a) Absolutum est, quod independens est et ut tale cogitatur; relativum, quod refertur ad aliud nec concipi potest, quin aliud simul concipiatur, sicut homo ut homo absolutum quid, ut pater relativum est, quum sine filio qua pater, nec cogitari nec esse possit; unde relatio in eo est, quod totum esse ad aliud est; quare si aliud desinat esse, eo ipso exstinguitur relatio.

b) Requiritur ad relationem subjectum quod, terminus ad quem, fundamentum, propter quod refertur subjectum. — Quodsi hæc omnia independenter a mentis consideratione sint in rerum natura, oritur relatio realis; v. g. inter duo quanta, linea sub respectu quantitatis; inter duo alba sub respectu similitudinis; inter causam et effectum, pater et filius sub respectu vitæ productæ. Quæ autem ad sese referuntur, debent inter sese comparari a mente considerante; omnis autem comparatio supponit unam formam, sub qua comparentur; hinc etiam in unum colliguntur a ratione. — Quodsi requisita vel omnia vel aliqua tantum in mente existant ut entia rationis, oritur relatio logica seu ratonis; v. g. inter conceptus universales, homo secundum conceptum et animul secundum conceptum; aut inter universale et individuum etc.

Si aliqua in mente existunt, ex illa parte est logica relatio, ex alia vero potest esse realis; v. g. honor existit in alieno judicio realiter, affigitur vero homini alteri; unde in subjecto honorato est relatio rationis; in honorante relatio realis.

c) Est igitur inter subjectum et terminum ordo aliquis, seu forma, sub qua conferuntur et comparantur, ita ut oriatur relatio realis;—v. g. quantitas, qualitas, *vita* (in dante patre et accipiente filio), etc. Inter objectum vero scibile et scientiam, visibile et visionem, talis ordo non est; scibile enim et visibile non sunt in eodem ordine cum scientia et visione. Hinc quamvis scientia dependeat a scibili, scibile tamen non pendet a scientia; quare si refertur ad scientiam, fit per intellectum, qui concipit illud tanquam terminans actionem sciendi et ipsam ingrediens. Est igitur relatio rationis seu logica tantum.

d) Res aliqua potest referri ad aliam rem per aliquid superveniens v. g. per colorem, vel per ipsum suum esse. Prior est relatio prædicamentalis; estque *accidens* reale (vid. stat. q.); v. g. amicus refertur ad amicum per actum amandi supervenientem amico, ut homo est; item paternitas — item quantitas, quæ inter accidentia refertur; quare nova relatio supponit novum accidens, hinc mutationem in subjecto. (S. Aug. de Trinit. l. 5. c. 16.) Altera relatio vocatur transcendentalis; — hæc enim non in eo est, ut respiciat alium terminum, sed ut determinet esse ipsum, in quantum hoc esse ex sese ordinatur ad aliud; v. g. oculus ex sese ordinatur ad lumen, auris ad sonum, non per aliquod superveniens sed per ipsum esse. Vocatur autem transcendentalis, quia in nulla classe decem prædicamentorum (substantia et novem accidentia constituunt prædicamenta) reponi potest, sed per omnia vagatur, quum unumquodque prædicamentum, substantia et accidentia possint ex sese referri. Talis relatio est in facultate relate ad objectum, in accidente relate ad substantiam, in forma relate ad materiam.

2. *Applicatur a*) ad creaturam relate ad Deum.

"Si (creatio) sumatur passive, sic est quoddam accidens in creatura et sic significat quandam rem, non quæ sit in prædicamento passionis proprie loquendo, sed quæ est in genere relationis; et est quædam habitudo habentis esse ab alio, consequens operationem divinam. Et sic non est inconveniens, quod sit in ipso creato quod educatur per creationem, sicut in subjecto." (in 2. d. 1. q. 1. a. 2. ad 4.)

Id est, substantia ut sic non dicit creationem ex ipso suo esse; unde hæc *quodammodo* ipsi supervenit et est in ea tanquam in subjecto. Non tamen *plane* ut accidens supervenit, quum terminus creationis non sit accidens, sed ipsa substantia. Ideoque quatenus *concipitur* supervenire substantiæ potest dici relatio prædicamentalis oriri non simpliciter ut in aliis rebus, sed sui generis pro natura creationis;—est sententia Thomistarum.—Quum vero ipsum esse sit terminus creationis, conservationis etc, et per ipsum suum esse sit simile et referatur ad Deum, oritur secundum *Scotistas* relatio *transcendentalis*.

b) relate ad Deum.

Quia Deus est realis causa creaturarum, hinc alii censent, relationem in Deo esse realem.—Sed notandum, Deus non per aliquod reale sibi superveniens est causa, sed per ipsum suum esse, unde relatio creationis *in tempore* ipsi superveniens non superaddit ipsi aliquid reale; ergo nec

relatio realis in Deo dici potest.—Præterea Deus et creaturæ non sunt in eodem ordine, (v. g. ipsius esse) ut possint sub hac quasi forma et fundamento relationis communi inter se comparari ;— entia enim creata sunt extra ordinem Dei et analoga tantum ad Deum. Insuper quum creaturæ sint termini voluntatis Dei per connotationem (non immanentes, ut patet,) se habent simili ratione ad Deum, sicut terminus voluntatis, etiam intellectus nostri ad nos. Jam vero nos non possumus dici referri ad ideas nostras vel desideria voluntatis nostræ.—Ergo a fortiori neque Deus potest dici referri ad creaturas suas. Alio modo possent loqui, qui dicunt, creationem fieri per omnipoteniam, ut Suarez. Et vere res se habent ad Deum, sicuti umbræ nostræ se habent ad nos. Quamvis vero fundamentum umbrarum in nobis sit maxime reale, nihilominus non possumus dici referri nos ad umbras nostras. Quum vero creaturas comparemus cum Deo (ex creaturis enim procedimus ad Deum), etiam Deum referimus ad creaturas, sed mentis tantum operatione; quare illa *relatio* est *in Deo rationis* tantum seu *logica*, in *creaturis realis*.

§ VI.

Quæritur, num ad actum creativum requiratur vis infinita.

Nota : Suarez M. disp. 20. S. 3. n. 4. (vid. sup. pag. 20. nota a.) censet non posse sufficienter probari requiri essentialiter ad creandum vim infinitam, ideoque censet probabilissimum posse creaturæ alicui per elevationem communicari vim creatricem (de quo post.); quare argumenta S. Thom. sectione illa a numero 22–35. infirmare conatur.

PROPOSITIO VIII.

Ad creandum requiritur facultas infinita.

Arg. 1. Mensura facultatis alicujus est objectum ejus formale ; *i. e.* amplitudo facultatis est tanta, quanta amplitudo objecti formalis ; — sunt enim correlativa, ideoque objectum formale est objectum adæquatum adæquans vim facultatis. *Atqui* objectum formale facultatis creativæ est ipsum esse, esse autem est universalissimum. *Ergo* amplitudo facultatis creativæ est universalissima—ideoque facultas infinita.

Ad maj. Explicatur *a*) ex natura et relatione objecti formalis. Quum omnis facultas sit certo modo in se ipsa constructa et secundum hanc constructionem internam agere debeat, id quod in termino huic constructioni respondet, vocatur ejus objectum formale. — Habet enim suam constructionem propriam intellectus, propriam sibi voluntas, item aliam oculus, aliam auris, etc; hinc et in termino proprio cuique respon-

det ratio. Quum hæc constructio particularis sit, ideoque et particularis cuique respondet ratio; si vero universalis sit, hinc et ratio in effectu universalis, et vice versa, si ratio in effectu universalis sit, erit et universalis in facultate. Si sigillum in cera imprimitur, cera refert formam sigilli. Simili modo facultas exprimit se in effectu; quare sicut ex forma ceræ ad formam sigilli concludi potest, sic ex forma termini ad formam facultatis.

b) Ex multiplicabiltate.

Forma sigilli *ex parte materiæ*, non enim omne subjectum recipit formam sigilli, *et ex se ipsa* admodum restricta est.—Multiplicabilis igitur est in substantiis similibus; et si in uno subjecto potest exprimi, potest idem exprimi in similibus subjectis, in *quantum possunt formam suscipere.* Quo autem *minus* est restricta forma ex sese, et quo est *minus restricta per materiam*, hinc minus pendens a materia, eo amplior est formæ latitudo, ideoque et facultatis latitudo formaque ipsa magis multiplicabilis.

c) Ubi igitur esse ipsum forma est, quæ ex sese non restringitur ad certum genus vel speciem, et ubi ex parte materiæ nulla est restrictio nisi ex ordine possibilitatis, i. e. ut debeat esse possibile — ibi est etiam in facultate nulla restrictio.

d) Potest autem possibilitas considerari ut potentia objectiva; i. e. quod cera est pro sigillo, id analogo quodam modo possibilitas alicujus entis est pro esse. Quare esse toties multiplicabile, quoties potentia objectiva seu possibilitas alicujus entis adest.

Prob. minor.—Objectum formale est esse ipsum.

a) Vid. Prop. 3.

b) S. Thom. Cg. l. 2. c. 21. . . . "Sic igitur, quum fit aliquod ens, ut homo vel lapis, homo quidem per se fit, quia ex non homine; ens autem per accidens; quia non ex non ente simpliciter, sed ex non ente hoc . . Quum ergo aliquid fit omnino ex non ente, ens per se fit." Unde secundum S. Thom. in generatione per se intenditur homo et ratione hominis etiam ens; in creatione intenditur ens, et quia ens semper in concreto est in certo prædicamento, hinc et ratione esse physici intenditur et illud prædicamentum (v. g. certa species, etc.) Quum vero esse sit universalissimum, debet illud esse habere in se saltem virtualiter, quia illud secus dare non posset; sicut sigillum habet prius formam in se.

Unde quum omnis perfectio sit creabilis, debet omnem habere in se, hinc causa creativa necessario infinita est.

Confirm. Vis aliqua productiva non tantum ex termino, sed etiam ex distantia termini producendi a suo opposito dijudicanda est: v. g. calefactio alicujus ligni non tantum ex carentia caloris, sed etiam ex distantia a frigore. *Atqui* licet terminus, qui producatur, finitus sit, ejus tamen distantia a nihilo ex quo, infinita est. *Ergo* vis talem distantiam superans debet esse infinita.

Ad maj. Supponamus duos sculptores, quorum quisque in marmore æqualis bonitatis, figuram Cæsaris exprimat. Profecto illius ars erit major, qui meliorem formam educit; quodsi marmor fuerit inæquale, et nihilominus ex deteriore marmore sculptor meliorem figuram elaboraverit, erit ars etiam major. Ratio est, quia in omni subjecto, quum non ex omni re omnia fieri possunt, sed tantum certum aliquid, debet esse proportio ad effectum. Hinc quo minor est proportio seu major disproportio ad effectum, et tamen effectus melior, eo major est vis. — Ergo non tantum effectus, sed etiam relatio effectus ad terminum ex quo ut mensura alicujus facultatis habenda est.

Ad min. Disproportio illa concipitur a nobis per modum distantiæ; quare quo magis crescit disproportio eo magis crescit distantia: unde si nulla sit proportio, hinc disproportio ultra finitam, distantia dicitur esse infinita. Difficultas, quomodo, quum terminus *finitus* sit, possit *cogitari infinite* distare a non ente, ita solvitur a S. Thoma (de Veritate q. 27. a. 3. ad 9.; de Potentia q. 3. a. 1. ad 3.)—"Notandum est, distantiam duorum ad invicem posse tripliciter se habere: primo, quod sit ex utraque parte infinita, sicut si unus haberet albedinem infinitam et alius infinitam nigredinem; et hoc modo est infinita distantia inter esse divinum et non esse simpliciter. Secundo, ita ut ex utraque parte finita, sicut dum unus habet albedinem finitam et alius finitam nigredinem; et talis distantia est inter ens creatum et non esse secundum quid. Tertio, ut ex una parte sit finita et ex alia infinita; velut si unus haberet albedinem finitam et alius infinitam nigredinem; et hujusmodi distantia est inter esse creatum et non-esse-simpliciter, quia esse creatum est finitum, non-esse autem simpliciter infinitum."

Expl. Nigrum et album sibi opponuntur, unde infinitum nigrum est in oppositione (formaliter considerata) infinitum. Quare si unus terminus sit finitus, hinc in oppositione finitus, et alter infinitus in oppositione, ex parte altera infinita oppositio et distantia, quia non incipit; quod autem non incipit, non habet finem ex ea parte; unde ex parte altera infinitum quid est. Quare vis superans hanc infinitam oppositionem, et distantiam non potest esse finita.

Arg. 2. Suarez ex S. Thom. ita proponit M. disp. 20. S. 2. n. 29.

"Quidquid creat aliquid, creat absolute ens et non tantum applicando esse seu naturam entis ad hoc ens. Ergo, quantum est ex se, potest creare quodlibet ens creabile.

Explicatur antecedens. Nam fieri non potest ut qui participat aliquam naturam producat *absolute* illam, sed applicando illam ad aliquid, ut Petrus non potest esse causa sui naturæ humanæ absolute, alias posset esse causa sui ipsius; unde solum potest esse causa, ut natura humana sit in Paulo vel Francisco. Sicut autem hic homo participat naturam hominis, ita quodlibet ens creatum participat naturam entis. Non ergo potest producere absolute naturam entis, sed applicare illam ad hoc ens. Ergo sicut homo non potest per actionem vel productionem suam applicare naturam hominis ad hoc, nisi præsupponendo aliquid, quo illa determinatio naturæ communis ad hoc individuum fiat, ita in universum non potest ens per participationem communicare naturam entis nisi præsupponendo aliquid, quo determinetur natura entis ad hoc; quod repugnat creationi. Ergo e converso omnis potentia, quæ potest producere absolute ens, nihil præsupponendo, producit absolute naturam entis et non tantum applicando illam ad hoc; ergo omnis potentia, quæ potest sic creare, est universalis; unde non potest esse ens per participationem sed ens per essentiam."

Nota. Objectiones, quas Suarez (n. 30.) huic argumento opponit, sunt hae duæ: *a*) " quum generatur v. g. tritricum, non solum per se generatur triticum, sed etiam vivens, quia non præsupponitur ratio viventis; generatur enim triticum ex terra non vivente; tamen qui habet potentiam ad generandum triticum non propterea habet potentiam ad generandum omne vivum " *b*) Si ens universaliter est objectum adæquatum creationis, "non erit tantum ens creabile, sed absolute ens; ergo comprehendet sub se omne ens, hinc et ipsum Deum."—Resp. ad

priorem objectionem. Si vivum ut vivum esset terminus generationis, et non potius semen et ratione seminis ipsum vivum, *C*;—si vero ratione seminis, et tritici quod *per se* intenditur, *N.* (vid. arg. 1.) Resp. ad alteram :—Objectum creationis est ens ut inclusum in creabili ; potest enim in creabili forma accidentalis, ratio generis etc., distingui et ratio ipsius esse. Hinc differentia ; in generatione intenditur animal specificum et ratione illius animal in genere vivum, esse ; in creatione intenditur esse et ratione illius individuatio.

§ VII.

Quæritur, num vis creativa possit communicari cum aliqua creatura.

Nota : Potest quæstio ita poni, num

1. *De facto* aliqua creatura vim illam acceperit.

2. Num si (de facto) non acceperit, potuerit saltem accipere illam vim.

Quod ad primam quæstionem attinet, censet Avincenna (1. Suffic. cap. 10. et 9. Metaph. c. 4.) superiores intelligentias creasse inferiores, infimam denique intelligentiam seu formam subsistentem formas inducere in substantias materiales. Hæc sententia est contra fidem, quum Deus solus sit creator omnium visibilium et invisibilium. Quum igitur nemo præter Deum creaverit, sequitur, etiam neminem præter Deum, habuisse vim creandi. Omnis enim vis in rerum ordine agere debet, quum si numquam ageret, frustra esset ; nulla autem vis frustra est; a fortiori vis tam nobilis, ac creativa est frustra esse non potest. Suarez M. d. 20. s. 2. n. 1. 2. 3.

Quoad secundam quæstionem omnes conveniunt, non posse ita dari, ut sit independens a prima causa ; quia nulla creatura independens esse potest a Deo. Hoc posito, duo quæri possunt : *a*) num creatura aliqua creari possit, quæ habeat vim creativam ut *naturalem* sicut habemus naturalem vim eundi, cogitandi etc., vel ut supernaturaliter additam, sicut homo justus habet virtutem fidei, spei, charitatis ut habitum supernaturalem, quo possit uti pro libitu. Aliis verbis : num possit creatura aliqua esse causa *principalis secundaria ;* primaria enim principalis semper Deus est.

b) Quæri potest, num creatura possit esse causa instrumentalis. Est

autem duplex causa instrumentalis, *moralis* et *physica*; *moralis*, quando causa physicum effectum producit, cum quo aliud connexum est in ordine morali; v. g. producuntur verba, cum quibus suasio, imperium, commonefactio alicujus promissionis vel obligationis conjuncta est; v. g. Sacramentum baptismi tanquam una actio conjuncta, aqua cum verbis, physicum quid est; nihilominus hoc physicum est a Christo assumptum tanquam verbum suum vel mandatum suum, quo petit a Patre meritum suum ut applicandum animæ baptizandi. Est igitur applicationis meriti Christi causa moralis, quatenus revocat Patri in mentem obligationem erga Filium suum; et quatenus est a Filio assumpta causa instrumentalis est.— *Causa instrumentalis physica* est, quæ inter causam principalem (v. g. pictorem) et objectum actionis (v. g. parietem) intermedium est (v. g. penicillus), ut motum a causa principali acceptum transferat. Potest esse vel merum instrumentum, ita ut nihil ex suo addat (non existere videtur in rerum natura); vel *causa* instrumentalis, ita ut non motum tantum transferat, sed proprium quoque effectum habeat. — De hac causa intrumentali agitur. — Ad hanc igitur causalitatem requiritur

1. Ut sit conjunctum instrumentum cum causa principali, hinc non sit sui juris. 2. Ut motum accipiat a causa principali, hinc orginem motûs non habeat in se; ideoque directionem motûs etc. adaptare debet priori causæ. 3. Ut qua *causa etiam* agat, hinc etiam se manifestet et effectum *sibi* quoque assimilet; v. g. calamus scribentis literam integram vel a vel b adaptat manui moventi; modum autem linearem tam sibi quam manui assimilat. — Est itaque instrumentum et causa simul, nec sunt actu separatæ duæ illæ rationes, ita ut in litera tanquam termino effectus utriusque rationis separatus appareat, sed unus effectus totus; totus (non totalis) attribuendus causæ principali, totus (non totalis et secundario) causæ instrumentali.

PROPOSITIO IX.

Repugnat produci creaturam, quæ vim creativam etiam ad certam speciem limitatam habeat vel ut naturalem vel ut supernaturaliter sibi additam, seu repugnat creatura habens vim creativam etiam limitatam ut causa principalis.

St. Q. 1. Suarez M. disp. 20. s. 2. n. 7. De tali virtute creandi agi-

tur, quæ sit limitata ad certum ordinem v. g. ad corpora creanda vel has species angelorum, vel aliquid simile. Et de hac potentia non apparet ratio sufficiens, cur requirat perfectionem simpliciter infinitam, aut cur non possit *communicari creaturæ*.

Patet enim non posse habere talem creaturam objectum adæquatum creationis; hoc enim utpote ens creabile complecteretur etiam ipsam creaturam. "Impossibile autem est, aliquam creaturam posse seipsam claudere sub objecto suo adæquato." (l. c. n.5.) Loquitur autem Suarez de potentia principali ut in thesi.

2. Ratio dubitandi potest esse: Angelus est supra hominem; atqui homo potest generare alium hominem; ergo angelus debet posse creare angelum saltem inferioris speciei.

2. Præterea negandum est, ens distare infinite a nihilo. Nam ens creatum superat nihilum sua entitate; atqui hæc finita tantum est. *Ergo* finite tantum superat et distat a non-ente.

3. Tenet sententiam, posse creaturam habere hanc vim, Durandus in secund. disp. 1. q. 4. vid. Vasquez tom. 1. disp. 175. c. 1., qui sicut et Suarez multum insistit in eo, quod unus Theologus alterius Theologi argumenta *invalida* habeat v. g. Scotus argumenta S. Thomæ; Scoti argumenta iterum Cajetanus et Ferrariensis etc.

4. Proposit. defendunt Magist. in 4. d. 5.; S. Thom. 1. 45. a. 5. et alibi; Scotus in 4. d. 1. q. 1.; Ocham in 1. q. 7.; Vasquez (l. c.) De Suaresio vid. supra p. 20. in nota. Cf. Sylv. in 1. q. 45. a. 5.

Arg. 1. Ex Patribus. Cyrill. Alex. l. 5. thesauri cap. 2. "Nulla creatura unquam substantiam a nihilo producere poterit; finitæ namque virtutis esse non poterit. Filius autem creator omnium est. Quomodo igitur erat creatura?"

Ergo clare hic edicitur *a*) creare supponere vim infinitam, *b*) ideo convenire creaturæ non posse.

Præterea idem Pater, l. 2. cont. Julian.: "Hoc maxime contra divinam gloriam militat, etiam alios putare posse creare et ex nihilo producere. Non enim fas est dicere, quod ea, quæ divinæ et ineffabilis naturæ propria et eximia sunt, naturaliter possunt inesse quibusdam ab ipso factis. Congruit autem ipsi et soli et ad summam pertinet gloriam ejus res illa; *nam inaccessa naturæ sunt* ea quæ proprie sunt solius

et omnium summæ substantiæ, quorum unum esse dicimus, efficaciter operari posse ut Creatorem et producere res, quæ aliquando non erant."

Ergo docet S. Pater: *a*) pertinere ad solam naturam divinam posse creare, *b*) ad summam Dei gloriam id pertinere, *c*) esse proprium div. naturæ, ita ut nefas sit cogitare, alias res posse creare. Ex quo sequitur, vim creativam convenire Deo, qua Deo. Quæ autem Deo qua Deo conveniunt, communicari non possunt. Nec dici possunt Patres negasse vim creativam posse esse in creatura independentem a prima causa, non autem exclusisse posse in illis esse dependentem a prima causa; nam Patres loquuntur absolute, et tanquam rationem addunt, pertinere ad summam Dei gloriam, quam participare creatura non possit; arguunt denique contra Arianos, qui dicunt a Verbo creata fuisse reliqua; tum vero nihil intererat, num vis creativa fuisset dependens an independens a prima causa. Quando igitur Patres probant, Verbum creasse, hinc esse Deum, eo ipso asserunt creaturam nec dependentem nec independentem vim creativam habere posse.

Cf. præterea S. Athan. (sermone 3. contr. Arianos.) — S. Basilium contra Eunom. (l. 4. c. 3.) — S. August. (de genesi ad lit. l. 9. c. 15. n. 26. 28.)—Theodor. (Hær. Fab. l. 5. c. 5.)—S. Irenæum (l. 2. c. 2. n. 5.) —S. Ambros. (Hexæm. l. 3. c. 7.)

Arg. 2. *Ex ratione.*

Potentia creativa est *a*) universalissima, *b*) infinita, *c*) exercetur per ipsum esse tanquam formam quod concipitur sub ratione voluntatis. *Atqui* nulla natura potest esse causa universalissima, est enim ipsa quoque effectus, hinc qua causa universalissima posset esse causa suiipsius, quod repugnat; nulla creatura potest habere vim infinitam; nulla creatura agit per esse suum sed per accidens, quod superveniat; si ergo creatura posset creare, crearet per actum voluntatis; actus autem voluntatis non est ipsum esse.—*Ergo.*

Nec opponi potest, quum vis creativa fingatur ad certam rerum speciem restricta, causam nec universalem nec infinitam esse, ideoque argumenta non valere; nam

a) Semper ageret per actum voluntatis tanquam formam accidentalem; jam vero effectus talis actus non potest esse substantialis. Substantia, vel esse ipsum, effectus tantum formæ substantialiter et per esse ipsum agentis esse potest.

b) Vis creatrix alicujus speciei, nihilominus infinita esse debet ; nam

1. Quum agat actu voluntatis, potest uno eodemque actu simul creare vel tria, vel mille, vel decies mille et semper plura, quam numerus finitus omnis indicat. Ergo debet etiam in se continere plura quam numerus quisque finitus exhibet. *Atqui* continentia actu non potest esse finita, ut patet ; nec indefinita, quia existit; quidquid autem existit non est indefinitum ; ergo est infinita.

2. Objectum formale talis creativæ facultatis esset ens creabile in tali specie ; jam vero hoc admitti nequit. Nam quod primo et per se attingit vis creativa est *ens*, et ratione entis attingit reliqua. Atqui ratio entis ex sese non est restricta, sed universalis. Ergo vis creativa etiam in hoc casu ens universale primo et per se, hinc tanquam objectum formale, haberet ; ideoque et facultas ipsa universalis esset.

3. Si esset restricta ad certam speciem, restrictio illa esset aut ex 1) parte potentiæ, quæ vel esset data ut restricta, vel utpote in subjecto 2) finito existens per ipsum subjectum restricta esset ; aut esset ratione 3) termini restricta, quum repugnaret, hominem v. g. creare angelum ; aut 4) esset limitata ratione modi attingendi terminum. Atqui non esset ratione potentiæ ; nam potentia illa esset *voluntas* efficaciter volens ; hæc autem restringi nequit ; cur enim posset hoc velle efficaciter, aliud autem non? *Præterea repugnat* facultatem ad partem objecti formalis restringi, sicut v. g. intellectus, quum sit ad *omne* verum ex sese, non potest restringi ad partem.

Nec posset limitari potentia ex parte subjecti propter capacitatem limitatam, quum facultas creandi sit indivisibilis et simplex, quum sit in voluntate simplex. *Non potest* limitari ex parte objecti nam quum objectum non existat, non ponit difficultatem, hinc nec unum objectum difficilius quam aliud est.—Non ex modo attingendi, quia non est actio formaliter transiens, sed immanens, ideoque nihil fingi potest, quod impediat actionem vel restringat. Ergo non potest ut restricta residere in voluntate, ideoque voluntas nullatenus hanc facultatem creandi habere potest.

Neque potest esse supernaturaliter concessa ut gratia. Nam quum sit simpliciter vis creativa infinita, nec per gratiam conferri nec residere in voluntate potest.

Resp. ad objecta. — 1) Homo potest generare i. e. potest disponere

materiam, ad quam Deus creat; præterea, generatio corrumpit causam generantem; tertio, corruptibile et mortale ens producitur. Ergo generatio sub multiplice respectu defectuosa est; atqui talis actio præcise propter perfectionem angelicæ naturæ angelo convenire non potest. Ergo tantum abest, ut angelus ideo sit imperfectior, ut sit perfectior. Præterea multo melius est, ex natura sua debere esse immediate a Deo, hinc esse filium Dei (Job. 1.), quam esse ab homine et esse filium hominis.

Ad secund. Negatur suppositum, quum non comparetur quantitas cum quantitate; angelus enim æque distat a nihilo ac lapis, et superat tamen quoad gradum in essendo lapidem; sed comparatio ipsius esse cum nihilo fit sub respectu proportionis ad activitatem. Quum nulla sit proportio inter nihilum et esse, creatio ex parte rei nullam proportionem, et eductio formæ ex objecto connaturalem proportionem ad terminum invenit. Hæc, i. e. eductio, incipit *ab aliquo*, quod finito modo distat a termino producendo; creatio ab aliquo, quod non *finito* modo, sed nec coincidit cum termino producendo, ut patet; hinc infinite distat; estque ideo eadem distantia ponenda inter creativam vim et eductivam, i. e. infinita distantia.

PROPOSITIO X.

Nec uti potest Deus ad creandum aliqua creatura tanquam instrumento physico.

St. Q. Tenent sententiam hanc Magister in 4. disp. 5. cap. ult.; Durandus loco citato. Suarez, M. disp. 20. S. 3. n. 5. negat instrumentum debere agere prædispositive in terminum, ut S. Thomas vult; dicit enim hoc valere tantum de instrumentis naturalibus, non vero supernaturaliter adhibitis, quae non habeant naturalem vim ad illos effectus. "Si igitur nihil ibi ageret (instrumentum) secundum id quod est sibi proprium, frustra adhiberetur ad agendum. Nec oporteret esse determinata instrumenta determinatarum actionum. Hæc enim ratio (S. Thomæ) optima est in instrumentis naturæ, quæ per se ordinata, determinata et necessaria sunt ad suos effectus. In instrumentis autem divinis nullam vim habet illa probatio, quia verissimum est instrumenta divina non esse determinata, sed indifferentia et quasi *universalia* per potentiam *obedientialem*; determinantur autem ad certas actiones per divi-

nam voluntatem et elevationem, seu specialissimum concursum. . . . . Quando talia instrumenta elevantur et assumuntur, vere *agunt* et non sine causa rationabili elevantur ut agant."

(n. 7.) "Si Deus potest elevare creaturam, ut per suammet entitatem absque alia superaddita efficiat effectum excedentem virtutem suam naturalem, quod ego *longe probabilius* judico . . . . non video, qua ratione consequentia negari valeat, posse Deum uti una creatura ut instrumento ad creandum aliam." *

* Quum Suarez doceat per potentiam obedientialem creaturam fieri instrumentum Dei, inprimis inquirendum, quæ sit ejus de hac potentia doctrina. Hinc

1. Docet de instrumento generatim. Quoad instrumenta conjuncta non est necessarium, causam principalem agere prius in instrumentum et ita influere in effectum. " . . . Ad rationem causæ per se in unoquoque genere solum requiritur immediatus influxus inter ipsam et effectum; ordo vero illius effectus ad aliam remotiorem causam, a qua proxima causa processit, est per accidens. Sic ergo, ut duæ causæ conjungentur vel subordinentur in agendo ut principalis et instrumentalis, per se solum requirunt debitum influxum in effectum, quod vero una ab altera procedat, nec per se, ac formaliter necessarium est; neque est conditio necessaria ad primum, quod per se requiritur. . . . Quum enim esse sit prius, saltem natura, quam causare, possunt duæ causæ conjungi ad effectum causandum, si in eis supponatur esse accommodatum ad talem causandi modum, undecunque illud habeant." Suarez (l. 1. Disputation. in part. 3. S. Thom. disput. 31. S. 6. n. C. D). ". . Non itaque necessarium est ad rationem instrumenti, ut recipiat aliquem motum seu influxum principalis agentis distinctum a suo esse et prævium ad actionem ut per illum applicetur ad agendum, quamvis hoc in instrumento artificiali quod agat per motum, necessarium sit. . . . Ita enim concurrit intellectus agens cum phantasmate (vel forma ignis cum calore juxta probabiles opiniones). Multo ergo minus in instrumentis gratiæ et omnipotentiæ divinæ est necessarium; quia etiam Deus est principale agens per hæc instrumenta et per se immediate influens in ipsum effectum; et potest elevare speciali modo cum illo concurrendo, quamvis in illo nihil prævium efficiat."

2. Potentia obedientialis duplex: passiva et activa; prior est in eo, quod v. g. ex anima possunt educi habitus supernaturales, quæ non latent in substantia animæ, sed neque contradicunt. Concurrit substantia animæ ut terminus circa quem fit aliquid, ac differt a potentia passiva naturali per id, quod hæc simul juvat artificem sua qualitate etc. potentia vero obedientialis non juvat, sed sustinet tantum. Ripalda, de Ente Supern. t. 1. disp. 25.

3. De potentia obedientiali activa, Suarez (loc. cit. S. 5. in fine): "Potentia obedientialis est in unaquaque re creata ipsamet entitas, seu est potentia ad agendum ut instrumentum Dei sicut calor per se est virtus naturalis ad calefaciendum, ita etiam *per se* est virtus obedientialis v. g. in spiritu; quæ ratio obedientialis potentiæ nihil addit entitati rei, sed includitur in essentiali conceptu entis creati. Extenditur autem ad omne id, quod non implicat contradictionem ut tali modo fiat, et hoc est quasi adæquatum objectum ejus; quum enim hæc virtus instrumentaria sit et non agat nisi in virtute principalis agentis, pro objecto habet ipsummet effectum agentis principalis, ex cujus virtute et perfectione mensuranda est perfectio talis effectus seu objecti; non ex perfectione instrumenti. Actio vero talis potentiæ obedientialis est ipsamet productio supernaturalis effectus, per quam pendet a tali instrumento, quæ actio *eadem* est cum actione principalis agentis."

Arg. Actio, qua creatura ut instrumentum cooperaretur Deo aut esset immanens, aut transiens. Atqui non transiens, hæc enim suppon it

4. Quum Suarez sententiam explicat, humanitatem Christi physice ut instrumentum concurrisse ad patranda miracula, tres refert modos, quibus physicus ille influxus explicatur: *a*) per qualitatem permanentem superadditam humanitati; hanc rejicit Suarez, quia aut spiritualis aut corporalis esse deberet, neutrum autem esse posset, ut facile patet inquirenti. Præterea vix concipi potest, quomodo talis qualitas posset esse ad varia v. g. ad expellendos dæmones et omnes morbos sanandos. Neque qualitas illa transiens esse potest propter easdem rationes. *b*) Explicatur per motum prævie impressum, quod rejicit Suarez dicens : iste motus aut esset alteratio — et tunc deberet per illum aliqua qualitas produci, quod repugnat ex præcidentibus; aut esset motus localis, qui etiam repugnat ideo quod anima Christi egit sæpe in distans. *c*) Dicendum igitur videtur, hanc virtutem instrumentalem in humanitate Christi non fuisse intrinsecum quid superadditum, sed fuisse potentiam obedientialem in ipsa humanitate existentem, cum qua Deus tantum concurrit proportionato modo ad effectum, hinc concursu, qui excessit concursum naturæ debitum. Fuit itaque assistentia externa sine mutatione interna, hæc vero assistentia in concursu indebito reponenda. (Quæ Suarez hic de humanitate Christi dicit, continent doctrinam ejus generalem).— Rationes sunt: — "quia nullam repugnantiam involvit, et per se est verisimilis et credibilis; unde

1. In rebus creatis est potentia receptiva (passiva) ut Deus faciat in illis quidquid non implicat contradictionem; cur ergo non reperietur etiam potentia obedientialis activa, ut efficiat, vel Deus per eas efficiat, quidquid non repugnaverit ita fieri. Non enim involvit hoc ullam contradictionem, ut non potuerit Deus hoc modo creaturas instituere, et est major perfectio.

2. "Unum corpus sua quantitate non potest nisi unum locum replere, et tamen per potentiam Dei fieri potest, ut repleat duo loca, nulla illi addita quantitate; et potest Deus facere, ut duo corpora simul esse possint. . . . . Similiter, licet anima natura sua informare non possit, nisi corpus tantæ quantitatis, facere potest Deus, ut det vitam corpori majori et similiter ut una albedo informet duo subjecta; si ergo ad hæc omnia est potentia obedientialis in rebus, cur ergo non erit, ut agat ultra terminos?

3. "Juxta hanc potentiam obedientialem intellectus et voluntas actus supernaturales substantiam et interdum sine habitibus cum auxilio divino eliciunt. . . . . Intelligitur etiam juxta hunc modum, quomodo duæ res, quæ ex natura sua non habent connexionem causæ et effectus, possint illum habere, etiamsi nihil addatur causæ vel instrumento. . . . . Secundum hanc enim potentiam capaces sunt illius dependentiæ, et per divinam voluntatem et concursum altera elevatur ut sit instrumentum. —Unde

a) Sicut Deus efficit, ut idem corpus sine addito sit in pluribus locis replicative, ita etiam efficere potest, ut creatura sine addito possit agere supra se per efficientiam Dei.

b) Est autem hæc potentia in se ipsa entitas rei, hinc innata omni creaturæ ;

c) Potentia vero non est potentia proxima sed remota tantum.

d) Est igitur illa potentia seu entitas ita ordinata, ut habeat paratum specialem concursum, per quem elevatur vel applicatur creatura ad agendum (per hanc potentiam, quæ in re supponitur).

e) Habens igitur hunc specialem concursum potentia remota fit potentia proxima.

f) Falsum est dicere non posse creaturam elevari a Deo, nisi præsupponatur aliqua actio naturalis ad talem actum vel effectum sub aliqua ratione communem ; v. g. ideo quod aqua sit ex sese ablutiva sordium, hinc posse elevari ut sit et ablutiva peccati originalis. Nam neque potentia oledientialis passiva supponit talem convenien-

in creatura *fieri* præcedere *factum esse* saltem natura; quod repugnat. *Ergo* esset actio immanens, hinc esset actus voluntatis. — Atqui etiam hoc repugnat; nam aut attingit actione sua effectum, ita ut effectus illi respondeat: tum vero ipsi assimilatur effectus agitque creatura ut causa principalis; aut non attingit effectum actione sua naturali neque assimilat sibi, (quemadmodum nec aqua agens ut instrumentum Dei physicum in baptismo sibi assimilat gratiam spiritualem, quum agat per potentiam obedientialem, nec verba sacerdotis consecrantis sibi assimilent corpus Christi) — Atqui utrumque repugnat; prius, i. e. ut sit causa principalis; nam, ut jam probatum est, qua causa principalis posset omnia creare; alterum, quia potentialis eo sensu accepta repugnat. *Ergo* repugnat, posse creaturam adhiberi ut instrumentum ad creandum.

Prob. talem potent. obediential. repugnare.

P. Suarez supponit, non esse entitatem qua talem, sed entitatem, quæ sit quæpiam potentia inchoativa, ut possit concursu indebito et supernaturali agere. Atqui *a)* non intelligitur, quomodo ipsa entitas possit esse potentia, quum entitas non agat; præterea non apparet, quomodo sine determinatione interna per solum concursum externum indebitum in actum prorumpere possit; non enim quædam præstabilita quasi harmonia assumenda est; v. g. si in sententia P. Suarez aqua (utpote ad extra agens) assumatur ad creandam aliam aquam. *b)* Neque intelligitur, quomodo inchoata potentia, quæ ex se remota, tantum est, posset immediate actionem elicere; fieret enim eo ipso proxima causa, quod *externe* Deus assisteret, hinc *interne* sufficiens; sed externum auxilium, quod immediate non in facultatem, sed in effectum influit, non potest facultatem interne complere. — Præterea *concursus* supponit facultatem ex parte sua completam; ergo non amplius inchoativam. *c)* Effectus non tantum exit ex causa principali sed etiam ex ipso instrumento; hinc et instrumento tanquam causæ respondet et assimilatur. Atqui non sub respectu alicujus modi, sed ipsius esse assimilaretur creatura ita producta; jam vero hoc repugnat, quomodo

tiam in qualitate, nec verba consecrantis sacerdotis habent effectum substantialem ut possint elevari ad transsubstantiandum. "In activa potentia seu in elevatione creaturæ *incredibile* videtur, *non* posse Deum *elevare* ad aliquid supernaturaliter agendum *nisi id, quod habet aliquam naturalem* vim ad aliud naturaliter agendum,"

enim angelus secundum esse assimilaretur v. g. aquæ ut instrumento suae creationis?

d) Denique assimilare sibi debet etiam causa obedientialis effectum; *vere* enim agit, hinc producit terminum. — Præterea Suarez ipse dicit, non posse nisi in certo genere et specie creaturam ad creandum assumi; ratio non est, nisi quod inferior creatura non potest sibi assimilare superiorem.

Coroll. Ergo si Deus potest in ordine gratiæ concurrere cum voluntate ad actus supernaturales sine auxilio interno, gratia tamen excitans præcedit, facultas agit, hinc et actum sibi aliqua ratione assimilat, in quantum actus vitalis est, etc.

ARTICULUS II.

DE CREATIONE QUOAD EFFECTUM, SEU DE MUNDO CREATO.

§ I.

Quæritur num probari possit, mundum esse creatum.

Duo systemata opponuntur, dualismus et materialismus. *Dualismus* supponit duo entia ab æterno existentia, *Deum* et *materiam*, quam Plato fingit *informem*, ita ut Deus sit formator et ordinator mundi. (Timæus p. 29. sqq.). Aristoteles fingit materiam *formatam*, quum informis existere non possit; quare secundum ipsum, mundus secundum materiam et formam universam ab æterno est; in rebus tamen individuis ortus et interitus est, ita ut materia singularis novas formas successive induat. Ad formam autem semper materia moveri debet.—Hinc existere debet Deus ut motor, non quidem physicus, sed moralis, quatenus summum bonum in omnibus excitat quendam appetitum in bonum suæ naturæ conveniens. Materiæ autem bonum est forma, quare materia formam appetit. (Cf. octo libros physices et metaphys.; quibus hæc doctrina continetur.)

Alterum systema est *materialismus;* qui negat omnem causam transcendentem. (Système de la nature p. 1. ch. 1). Buechner, ("Vis et Materia." p. 247. editio 5ª). "Naturæ peritus nonnisi corpora et qualitates corporum novit; quod ultra hæc est, transcendentale vocat; omnem vero transcendentiam errorem humanæ mentis esse censet." Hinc ponit hæc principia tanquam fundamentalia:

a) Duæ tantum existunt res; materia et vis, quæ separari non pos-

sunt. Materia ut substratum nequit cogitari sine vi, nec vis cogitari potest sine materia, cui inhæreat. Non minus esset contradictorium ponere vim sine materia, quam materiam sine vi.

b) Ex quo sequitur, non posse materiam esse productam: si enim producta esset, assumenda esset vis supra materiam existens. Jam vero nulla vis cogitari potest sine materia. Unde productio materiæ impossibilis.

c) Materia igitur cum viribus ab æterno et improducta est. Sed vires agunt semper secundum leges constantes; quare materia per vires suas eadem semper ratione agens, causa mundi est. Unde notum illud: "*Omnipotentia creans est affinitas materiæ*".

d) Mundi hujus constructio *non* est opus intelligentis potentiæ, sed vel casus, ut veteres censebant Materialistæ, vel necessitatis cujusdam cæcæ, ut recentes docent Materialistæ. (Système de la nat. p. 1. cc. 1–3.; Buechner, loc. cit. 1–8.).—Teleologia omnis negatur.

e) Quodsi in his principiis omnes Materialistæ conveniunt, differunt tamen eatenus, quatenus alii totam formam ab æterno perfectam ponunt, adhuc est et manebit; alii vero formam hanc ex successiva evolutione uti nunc ortam volunt.

f) Ponit igitur materialismus *atomos* immutabiles viribus donatas tanquam substratum mundi. "Ponimus atomos componentes totam materiam per mutuam attractionem et repulsionem existentes et conservantes suas qualitates." Buechner, (opus citat. p. 21.).

2. Si materialismus negat Deum ut causam, Pantheismus e contra ponit Deum ut causam creaturarum sed per identitatem. Alii reponunt hanc identitatem in emanatione et evolutione, alii in varia rerum apparentia; est mundus quasi vestimentum Dei seu manifestatio Dei, ipsi Dei substantiæ inhærens.—Est autem Pantheismus vel *a*) *realisticus;* ponitur vera realitas, quæ accidentatur (Spinoza), i. e. quidquid fit, est accidens hujus realitatis; *b*) *idealisticus*, qui non est nisi evolutio entis abstracti. In utroque systemate assumitur emanatio. "Deus est causa efficiens universi orbis, sicut aranea suæ telæ est causa." (*Vedanta* ex Vedis Indicis). Simili modo Cousin, (Introd. a l'histoire de le philosophie, leçon 5.). Homo non ex nihilo, sed ex se ipso educit actionem. . . . . En creationis imago! divina creatio ejusdem naturæ est. . . . . Dum Deus mundum creat, eum non ex nihilo, sed ex se-

ipso trahit (en créant l'univers, il ne le tire pas du néant, il le tire de lui même.). *c*) *hylozoisticus*, (ὕλη materia, ζωή vita) in quo Deus consideratur ut *anima mundi;* omnia vivunt licet secundum varios gradus communicatur vita per Deum, ita ut tota non sit nisi vita Dei. Ita veteres, tempore reformationis Giordano Bruno, hac ætate multi.

His præmissis, rationes dubitandi, num probari possit creatio.

a) Verbum *Bara* significat *cædere*, formare, (Rosenmuller). Jos. xvii. 15. "Ascende in silvam et succide (Veberehta) tibi illuc." Item Ezech. xxiii. 47. Convenit Schultens, Scheidius, Gesenius.

b) Sap. xi. 18. "Fecit Deus mundum ex informi materia." *Ergo* S. Script. ipsa docet, ex præjacente materia mundum fuisse formatum.

c) Atomi seu substratum sunt immutabiles licet in varias combinationes intrent. Atqui mutabilia tantum debent esse ab alio. — Ergo atomi possunt esse a se.

d) Repugnat ab ente intelligente creatum mundum, quum nexus finalis vix inveniatur ullus in mundo, ita ut exclusio nexus finalis videatur potius lex universi (Lange); quum ingens numerus organismorum existat et pereat sine ullo fine; quum dolorum crudelitas in animalibus, (vel ægrotis vel trucidandis) in hominibus, (infantulis maxime,) benevolentiam et providentiam excludat; ita ut mundus casu etc. ortus esse dicendus sit.

PROPOSITIO XI.

Quidquid extra Deum existit, a Deo per creationem *esse accepit.*
(De fide definitum.)

St. Q. 1. Adversarii (præter supradictos) sunt Simon Magus, qui mundum per angelos creatum dixit; Marcionitæ, Manichæi, Priscillianistæ, qui *invisibilia* a Deo, *visibilia* a diabolo creata censuerunt; *Sociniani* et *Arminiani*, qui quamvis creationem admitterent, tamen negabant, posse eam probari ex Scriptura; quumque Scriptura ipsis esset regula credendi, putabant creationem pertinere *ad opiniones liberas.* (Beausobrius, Histoire des dogm. Manich. l. 5. c. 5.—Simon Bischp. Instit. theol. l. 4. s. 2. c. 14.—Thom. Burnet, Archeol. Philos. ll. 1.2.—Encyclopædistæ sæculi præteriti.— Voltaire, Rousseau (lettre à M. de Beaumont). — Alii creationem ut *inventum* Scholasticum proclamarunt. Mosheim, (Dissertatio de doctrina philosoph. de creatione mundi.). Jacob Windetus, (De statu vitæ functorum, lectio 2. p. 48.).

2. Contenditur in thesi, quemadmodum *ad intra*, per communicationem ejusdem naturæ, constituuntur Filius et Spiritus S., ita *ad extra*, per creationem naturæ et substantiæ, existunt res.

3. Creatio rerum omnium potest duobus modis intelligi; ita ut omnis res secundum se totum sit creata, aut ita ut secundum aliquid sui v. g. materiam primam, sit creata ita ut deinceps variæ formæ sibi succedant. Non sumitur *priore modo*, quum certum sit, hominem fuisse formatum ex limo terræ; sed *altero*, i. e. res creatas ut completas quidem secund. substantiam, vires etc.; ita tamen ut postea mutationes substantiales producant ex se ipsis. (Cf. Valentia, t. 1. d. 3. q. 2. p. 2.).

4. Agimus de productione non de formatione materiæ, productæ, ut narratur vers. 2. . . . . Genesis; quam productionem si quis dicere vult esse creationem *primam*, formationem vero esse creationem *secundam*, recte quidem loquitur, sed distinguenda est alia sententia, quæ censet Deum creasse mundum ordinate,— prima creatio; dein destructum hunc mundum v. g. per peccatum Angelicum, et iterum creatum esse— secunda creatio. Alii vocant primam creationem *substantialem*, alteram *modalem*.

Arg. 1. "In principio Deus creavit cœlum et terram." Genes. 1. 1. Atqui his verbis docetur 1. creatio rerum stricte dicta; 2. totius hujus *Universi*. *Ergo* Deus totum hoc universum creavit i. e. ex nihilo produxit.

Prob. min. per partes. — Pars I. Verbum *Bara* in Kal et Niphal significare potest secundum Grammat. *producere ex nihilo*. Nam 1. quod dicunt Rosenmuller, Fuerst (Lexic.), Gesenius etc., significare secundum radicem "cædere," "formare" non valet, quum in significatione *derivata* optime hunc sensum habere possit; v. g. Germanicum "*Schaffen*," "*Erschaffen*," secundum radicem *Schaben*, significat *expolire*. Atqui nemo dubitat, quin verbo "*Schaffen*" nunc exprimatur productio rei ex nihilo, seu creatio stricte dicta.—Neque alterum valet, quod *bara*, *jazar* (formare) *'asah* (facere) promiscue adhibentur sine discrimine, v. g. Gen. 1. 26. productio hominis per *'asah;* productio animalium per *bara* (G. 1. 26.). Iterum productio animalium, G. 2. 19. per *jazar;* et Isaias, 43. 7. productio hominis per tria illa verba *'asah, bara, jazar*. "In gloriam meam creavi eum, formavi eum et feci eum." Nihilominus ex hoc usu et parallelismo verborum illorum non sequitur identitas

sub omni respectu; sed *'asah* significat efficere tanquam genus; *bara* ut species efficientiæ significat producere ex nihilo; *jazar* producere ex aliquo, seu formare. Ideo ipse Gesenius in "*Thesauro*" ad Genes. 2. 3. ita explicat: Produxit faciendo i. e. fecit ~~non~~ novum quiddam producendo."

2. Judæi habebant conceptum creationis; ergo etiam verbum. Atqui non existit aliud, quam *bara*. — *Ergo.* Prob. Maj. (2. Machab. 7. 28.) "Intelligas, quia ex nihilo fecit illa (cœlum et terram) Deus, et hominum genus." Jam vero mater ex plebe expressit tantum id, quod omnibus notum erat. Non enim hoc loco ut prophetissa loquitur, nec apparet fuisse inspiratam; neque temere loquitur, quum v. 21. dicatur plena fuisse sapientia.—Præterea non potuit haurire ex se sola conceptum creationis, qui latebat sapientissimos philosophos. Ergo ex hoc loco Genesis videtur hausisse conceptum, ad quem præterea alludit, ut patet ex verbis.

3. Verbum *bara* in Kal et Niphal adhibetur in S. Scriptura quadragies septies de solo Deo deque actione omnem vim creatam excedente (de productione universi — hominum, animalium; de operatione miraculosa). Ergo *bara* non usurpatur sensu ab adversariis supposito, formandi etc.

4. Ex traditione Rabbinorum *bara* significat creare sensu stricto. — David Kimchi in Radicibus Hebræis: "Vera significatio Beria (substantiva ex bara) est *innovatio* alicujus rei et *egressio ex nihilo ad esse.*"— Idem repetit ad Isaias. 45. 7. — Moyses Nachmanides in Gen. ad v. 8. "Sanctissimus sit benedictus! Creavit omnes creaturas *ex nihilo absoluto.* "Item Obadias Sephorno, Comment. (inter Biblia magna Rabbinorum.). In Comment. Mendelsohn ac Salom Dubua: "*Bara* est educere ex nihilo ad esse. Tropice postea usurpata est ad significandam additionem, augmentum substantiæ ejusque vis."

5. Patet ex scopo Moysis, qui inexacte locutus esset valde, si præjacuisset materia, hoc non indicando. Ad omnem enim actionem requiritur *faciens, factum, ex quo fit.* Indicasset prius et alterum, non autem ultimum; nec profecto Israelitas satis instruxisset, si unum ex gravissimis omisisset.

Pars II *minoris*,— de termino.

Cœlum et terra est universitas rerum; non enim habet Scriptura terminum fixum; sed utitur paraphrasi; (cœlum et terra etc., vid. pro-

legom.). Ex his verbis apparet, non fuisse Universum creatum per modum *sphæræ ingentis gazosæ.*

Argumenta ex Patribus.

Patres *polemice* agentes docent,

1. Contra Paganos, non ex materia præjacente et ingenita Deum formasse mundum. Theoph. Antioch., (ad Autol. l. 2. n. 4. oper. S. Justin.) "Opifex apud nos, quum materiam ab aliquo acceperit, ex eo quidquid placuerit, effingit. Dei autem potentia in eo spectatur, ut ex nihilo faciat quæcunque voluerit." Tatianus, (contra Græcos n. 5.) "Universorum Dominus .. quatenus mundus nondum creatus erat, solus erat. . . . .; non enim caret initio materia . . . . sed creata est." Origines, (tom. 1. Com. in Joan. in illud: In principio creavit.) "Secus vero apud nos (Christianos) est, qui credimus ex *non-entibus* Deum entia fecisse, ut mater illa septem martyrum in Machabæorum gestis et pœnitentiæ Angelus in Pastore docuit." Item Athanas., (de Incarn. Verb. Dei n. 3.), — Tertull., (Apol. n. 17.). — Idem, (de Præscript. cap. 13.) S. Basilius, (Hom. 2. in Hexæm.).—S. Chrysost., (Hom. 2. in Gen.).

2. Contra Hæreticos docentes angelos creasse visibilia, docent, Deum, per semetipsum "omnibus consonantiam et ordinem suum et *initium creationis donasse:* spiritualibus spiritualem et invisibilem, et supercœlestibus cœlestem, et Angelis angelicam et animalibus animalem et natantibus aquatilem . . . . omnibus aptam qualitatis substantiam. Omnia autem quæ facta sunt, infatigabili Verbo fecit." S. Irenæus, (Contr. hær. l 2. c. 2. n. 1–4.).—Similiter Ambros., (Hexæm. 3. 7.).— August., (Gen. ad lit. 9. 15. n. 2.).—Joan. Damasc., (Orthod. fid. 2. 3.).

× 4. Quæstoni, quid ante creationem Deus fecerit, respondet S. Irenæus (l. 2. 28. n. 3.): "Deum solum hoc scire et dicere posse." S. August. negat fuisse aliquod *tunc;* et censet quæstionem illam esse absurdam. (Confess. 11. 13.). Alii dicunt, ante mundum ipsum Deum sibi fuisse mundum. Minut. Felix., (Octav. c. 18.). S. August. docet, spatium Dei fuisse ipsum Deum: "In se habitabat Deus; apud se habitabat". (In Ps. 122. n. 4.— Civ. Dei, 22. 2.)—Ergo docent mundum incepisse creatione.

3. Contra Emanation. et Pantheismum docentPatres non ex natura Dei, sed ex nihilo omnia facta.: S. Augst., (de Gen. Imprf. c. 1. n. 2.):

".. Omnis creatura sive intellectualis sive corporalis non de Dei natura, sed a Deo facta est de nihilo." Repetit idem (de Gen. contr. Manich. l. 1. c. 2. n. 4.) — Lactantius, (de Instit. l. 2. c. 6.): "Si Deus mundus est, et partes ejus utique immortales sunt, ergo et homo Deus est . . . si homo, ergo et jumenta et pecudes, et cetera genera bestiarum. . . . At hoc intolerabile est: nam et hæc colunt Ægyptii. Sed res eo pervenit, ut et ranæ . . . . . dii esse videantur. . . . . Ita semper argumenta ex falso petita ineptos et absurdos exitus habent."

Cf. Origin., (de Orat. n. 29.).— S. Maxim., (Scholia in Dionys. c. 2. §. 3.).—S. August., (Enarrat. in Ps. LXXXV. n. 12.)

5. Accedunt argumenta ex conciliis et symbolis:

Symbolo Apostolico: "Credo in Deum patrem omnipotentem, creatorem cœli et terræ." — Nicæno-Constantinopol.: "factorem cœli et terræ, visibilium omnium et invisibilium. . . ."

Concilium *Lateranense* in capite, *Firmiter*, definit; creatorem omnium esse Deum "qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam."

Idem repetit iisdem fere verbis Vaticanum in constitutione dogmatica de fide cath. c. 1., et postea in canone 1., Si quis unum verum Deum visibilium et invisibilium creatorem et Dominum negaverit; anathema sit. Item can. 5.

Scholium de Patribus: 1. PP. sæpe utuntur verbis creationi consimilibus; v. g. Tatian., Orat. contra Græcos: "Quemadmodum verbum principio genitum, genuit vicissim nostrum mundum; . . . . . non enim caret initio materia"—unde discrimen in verbis, non in re.—2. Euseb., Demonstrat. Evang. l. 4. c. 1., rejicit formulam, *ex non-ente*, quum Deus "quasi materiam quamdam et essentiam generationis constitutionisque universorum *suum consilium suamque potentiam* prætulerit, ut nulla jam ratione dici possit, ex non entibus esse quidquam eorum, quæ sunt; neque enim esse quidquam potest ex non-ente; quomodo enim quod non est, causa alteri erit, ut sit? Omne autem, quod est ex uno, qui solus (Deus) et ante omnia est, *esse recipiam* possidet." — Ergo quando negat, ex *non-ente* fieri creationem, intelligit causam effectivam; hinc sensus est Deum ut causam effectivam ex suo prævio consilio et sua virtute omnipotente quodammodo mundum, i. e. materiam etc. trahere.—3.

3. Sæpe, v. g. S. Justinus M., agunt contra Platonicos, quorum sæpe textus referunt non tamen approbantes; sæpe suum sermonem adaptant, ut lucrifaciunt, idque sine periculo, quia in re tantopere cognita licet quandoque loqui liberius.—Præterea, sæpe comparant creationem ex nihilo cum productione formæ ex nihilo, ut et nos facimus, ostendendo ex nihilo quidquam produci non repugnare, quum et qualitates etc. ex nihilo producantur. Ita S. Methodius (de Libero Arbitrio.)

4. Quodsi Rousseau contendit Clement. Alexand., in opere Hypotyposium, defendisse Platonic. ideam de materia æterna, notandum *a)* Clementem Alex. scripsisse octo libros Stromatum; octo Hypotyposium; unum contra Gentes; tria Pædagogi. — Omnia in illis orthodoxa sunt secundum S. Hieronymum (ad Magn.) *b)* Hypotypos. postea corruptæ sunt, teste Photio; absurdissima quæque continent, et prorsus contraria operibus reliquis ejusdem doctoris; v. g. verbum creatum; animarum migratio; multos ante Adam mundos fuisse, etc. Imo in octavo libro Stromatum multa, quae inveniuntur in Hypotypos. oppugnantur et rejiciuntur. Cf. Schrader, de Deo Creante, p. 40. .... et p. 172. etc.

Ex Ratione. — Nota: S. Thomas distinguit ens *per se* et ens *per participationem;* quid prius sit, constat; quæritur quid sit alterum. Participare significat (1) partem capere; potest vel ad *totum aliquod quantitavum* referri, ut pars corporis, pars aquæ, pars lineæ; est participatio proprie et stricte dicta: vel (2) ad *communicationem et communitatem aliquam* — subjectum participat accidens, accidens subjectum, materia formam ...; alio etiam sensu, quia forma substantialis et accidentalis universalis est, habet materia formam non secundum totam universalitatem sed ut restrictam, hinc secundum quid seu participando; est in hoc sensu participatio improprie dicta. Potest etiam referri ad qualitatem seu perfectionem secundum gradus; ita ut distinguatur inter ens, quod *totam* habeat perfectionem in conceptu latentem et expressam, et illud, quod habeat perfectionem secundum certum gradum; v. g. ens (si fieri posset) quod habet albedinem secundum totam intensitatem conceptus seu *albedinem simpliciter;* et ens, quod habet albedinem *in certo gradu;* — prius habet albedinem *imparticipative;* alterum *participative:* — prius non habet *potentiam* ullam ad recipien-

dum aliquid novæ albedinis; alterum *habet adhuc aliquam potentiam* i. e. habet albedinem mixtam cum potentialitate, seu, ut dicunt auctores, habet positivum mixtum cum negativo. Talis participatio est *impropria* seu *analoga*. Simili modo, quod habet esse secundum totum conceptum ipsius esse, est ens per essentiam, habet esse cum nulla potentia mixtum — hinc *imparticipative;* quod habet esse secundum certum gradum, hinc mixtum cum potentia, habet esse participative, estque *aliquod ens; non esse simpliciter.*—Hinc:

Arg. 1. S. Thom. q. 45. a. 2.; q. 44. a. 1..

Quod est ens per essentiam est causa omnium quæ habent esse per participationem. *Atqui* Deus est ens per essentiam; alia omnia sunt per participationem.—*Ergo.*

Prob. Maj. Quod est ens per essentiam est unum tantum et unicum, ex essentia excludens multiplicabilitatem. *Atqui* entia præter Deum sunt multiplicata. *Ergo* non sunt entia per essentiam, sed habent suum *esse* (intelligitur hic esse physicum, quamvis et esse secundum possibilitatem intelligi possit,) *ab alio ente,* quod est per essentiam.

Expl. Si ignis esset existens per suam essentiam i. e. si totus conceptus, quidquid dicit, esset realis, hinc ita in re sicut in conceptu, ita ut inter essentiam in ordine ideali et in ordine reali nulla esset distinctio, ideoque essentia metaphysica et essentia physica esset unum idemque, si ignis inquam esset ita per se subsistens, esset

a) *unicus* et *singularis;* non enim *duæ* sunt essentiæ possibiles.

b) esset infinitum; nam ignis non dicit centum vel mille gradus, sed abstrahit ab omni gradu; quare si debet existere, ut ipse conceptus dicit, hinc æquare vim conceptus, non debet includere gradus, sed excludere, ideoque esse infinitum.

A pari, quod est *ens* per essentiam est unicum et infinitum in ratione ipsius esse; — alia igitur entia non sunt entia per essentiam, i. e. habent esse suum (existens) non a se, sed ab alio extra se.—*Atqui* non a casu vel fato (vide prolegom.)—*Ergo* ab ente quod est per se; atqui non per emanationem, quum ab infinito et simplicissimo nihil emanet; ergo per productionem seu Creationem.

Arg. 2. De atomis in specie. Ad argumentum intelligendum aliquæ notiones præviæ explicandæ sunt de *essentia.*

a) *Essentia*, in primis, ab *esse* derivatur, et complectitur ea quibus ens aliquod ponitur in specie; est igitur complexus principiorum quæ *constituunt* ens, illudque reponunt in certa specie. Unde, quum omnis definitio rei debeat rem exhibere secundum genus et speciem, essentia dicitur etiam illud, quod cadit in definitionem, v. g., in humanitate inest animalitas et rationalitas; quæ duæ notæ conjunctæ essentiam constituunt. Essentia vocatur etiam radix ipsius esse; ratio est, quia ab hac pendet prima et interna possibilitas alicujus entis; per hanc fit *ens* in ordine possibili et opponitur *nihilo;* v. g., animal rationale per convenientiam harum notarum fit ens, dum circulus quadratus per non-convenientiam notarum sit nihil. Ex hoc sequitur:

1. Essentiam esse communem omnibus unius speciei, et unamquamque speciem per has notas distingui ab alia specie.

2. Unamquamque notam esse ita necessariam, ut si una destruatur, totum ens desinat esse; v. g., si rationalitas destruatur, non amplius existit homo.

3. Alia contineri in essentia *formaliter*, alia *virtualiter*, alia *secundum necessitatem unius in genere* non autem *in individuo*, i. e., unum aliquod debet adesse; v. g., in lapide hæc vel illa forma, non autem hæc forma in individuo necessaria est; continentur igitur *accidentaliter* seu ut *complementum.*

b) Essentia supra explicata est essentia *metaphysica.* Præterea et essentia *physica* existit; quæ in eo est, ut quæ in essentia metaphysica sint *formaliter* et *virtualiter*, in essentia physica sint *formaliter;* et quæ in priore continentur ut complementum (necessarium in genere, indifferenter in individuo, hinc ut mutabile quid), sint, per unum aliquod certum et determinatum, in individuo conjuncta. Atque ita distinguitur essentia physica a metaphysica.

Coroll. Est igitur metaphysica essentia in unoquoque individuo physico *realis*, et fundamentum physicum ipsius esse physici, sicut rationalitas in homine physico certe realis et physica est.

c) Essentia physica, habens quæ in metaphysica *formaliter*, *virtualiter*, *potentialiter* latent, *formaliter* et *executione completa* secundum esse physicum, hinc habens illa in se et non amplius in causa, vocatur existentia ejusdem rei. Quare ad existentiam necessario requiritur, ut formaliter adsint quæ sunt *formaliter* in essentia metaphysica; præterea,

ut ea *formaliter* adsint quæ *virtualiter* sunt in essentia metaphysica, et quod maxime notandum, ut quod secundum exigentiam in genere latet in essentia metaphysica, adsit per unum aliquod in individuo, hinc ut adsit certa magnitudo, certus actus, certus status, certus locus etc.

Quamvis igitur metaphysica essentia exigat *unum aliquod*, v. g. accidens ex multis tantum, existentia tamen actualis certum aliquod habet *actu*.

d) Ex hoc patet, si existentia pertinet ad essentiam metaphysicam, omnia, quæ ad existentiam pertineant, debere *formaliter* contineri in essentia metaphysica. Ratio est, quia quidquid in tali ente existit, habet rationem sufficientem non in alio sed in ipsa essentia metaphysica, et pertinet unumquodque ad essentiam metaphysicam, sicut rationalitas pertinet ad hominem. Hic igitur actus, hic motus, hic status, hæc magnitudo, utpote pertinens ad existentiam, pertinet etiam ad essentiam metaphysicam.

Arg. 1. Atomi, quæ ab aliquibus ponuntur ut substratum mundi, non possunt esse increatæ. *Ergo* sunt creatione productæ.

Prob. Maj. *a*) Potest in atomis distingui ipsa ratio materiæ et forma atomi finita.

Jam vero in utroque elemento esset ratio sufficiens non *extra*, sed *in* ipsa atomo, i. e., in essentia atomi. *Atqui* hoc absurdum, quum essentia materiæ ex sese non involvat figuram hanc; et generatim limitatio in specie, quæ supponit aliquid positive adesse, et aliquid positive in eadem excludi, non possit esse nota essentialis, secus enim essentia non valeret pro tota specie; quomodo humanitas, v. g., aliquid humanitatis includeret, aliquid excluderet? *Ergo* essentia non potest esse ratio existentiæ alicujus atomi.

b) Si atomus materialis existeret per ipsam rationem materiæ, nulla atomus esset possibilis, omnes vero existentes. *Atqui* hoc repugnat, quum atomus possit cogitari possibilis; quum præterea atomi non possint esse infinitæ numero. Ipsa enim essentia atomi nec per infinite multas atomos exhauriri potest. *Ergo* non possunt esse omnes existentes, hinc atomi possibiles adhuc sunt.

c) Motus et activitas habent rationem sufficientem in ipsa atomo. *Atqui* hoc repugnat, quia mutabilitas in essentia aliqua esse non po-

test ; sic humanitas est immutabilis ab æterno. Propter eamdem rationem nec potest habere ab extra. *Ergo* repugnat motus et activitas in atomo.

d) Quidquid habet existentiam a se, habet etiam finem existentiæ a se. Finis est enim id propter quod aliquid existit ; ideoque haberet etiam existentiam pro se, et hinc esset destinatum ad se. *Atqui* atomus est destinata ad compositionem cum aliis, hinc ut non sit pro se. *Ergo* atomus non habet existentiam a se.

e) Repugnat materiam, utpote extensam et divisibilem essentialiter, existere per essentiam.—*Ergo.*

Prob. Ant. Aut enim essent partes vel actuales vel potentiales a se, aut totum. Non totum, uti patet ; totum enim est ex partibus, quas præsupponit. *Ergo* partes. *Atqui* hoc etiam repugnat ; quales enim essent ultimæ partes ? extensæ an simplices ? si extensae, ergo partes potentiales essent a se, quod repugnat ; si simplices, quomodo possent facere extensum ? *Ergo* nulla atomus potest existere per essentiam materiæ.

f) Atomus finita, eo ipso quod finita est, fuit in statu possibilitatis ante statum existentiæ. *Atqui* possibile non potest sibi dare existentiam sed debet eam accipere ab alio. *Ergo* atomus finita si existit, debuit existentiam habere ab alio.

Prob. Maj. Atomus finita in ratione materiæ aliquid materiæ positive includit, aliquid positive excludit ; sicut lignum unius pedis includit illud quod habet et excludit lignum alterius pedis. *Atqui* quod ita excluditur non ideo fit impossibile, quia impossibile est *quod intrinsece repugnat*, sicut nec lignum secundi pedis ideo impossibile est, quia non continetur in priore ligno. *Ergo* quod excluditur, possibile adhuc est. *Atqui* est ejusdem rationis et naturæ, cujus est atomus materialis ipsa. *Ergo* et hæc ipsa fuit possibilis. Si enim quod excluditur non esset possibile, deberet esse existens, si prior inclusa materia esset conceptu suo existens. Aliis verbis : Omnibus, in quibus rationi *entis* est admixta aliqua ratio *non entis*, per essentiam non convenit τὸ *esse*, sed τὸ *non-esse*. *Atqui* in atomo materiali id obtinet. *Ergo* non competit atomo materiali *esse* per essentiam, sed τὸ *posse esse*.

De *Pantheismo* vide philosophiam.

Respondeo ad objecta.

a) De significatione *Bara* vide argumentum.

b) In Sap. xi. 18, materia informis et invisibilibis est mundus in statu *Tohu vabohu*, ubi *nulla* aderat *lex*; unde intelligitur creatio secunda seu modalis.

c) De atomis vide argumentum.

d) Quod plura fiunt contra leges quam secundum leges (Lange), nihil probat. Nam leges agunt mathematice, vita non agit ita, estque in eo ratio pulchritudinis. — Præterea est contra adversarium; quia licet adsint ejusmodi defectus, nihilominus tanta oritur harmonia.

Insuper objectio est similis huic: Existit liber in quo multa insunt menda; ergo liber est a se, nec habet auctorem. — Negatur denique aliqua in natura fieri contra leges, quum quæcunque fiant, ex viribus fiant, quarum quæque suas sequitur leges. — Quod autem tot semina et germina necessaria sunt, ut aliqua in specie conserventur, non est defectus, quum probet magnos naturæ thesauros; non enim naturæ est parce provisum. — Præterea mundus non est machina mechanica, in qua quod superfluum est impedit, sed est totum aliquid, variis constans gradibus in essendo. Vitæ vero proprium est, ut semet ex seipsa propaget, renovet, restauret; quumque dependeat ab externis circumstantiis, quæ non ferunt tantam copiam viventium, — si enim unaquæque quercus tot quercus gigneret quot glandes, non sufficeret spatium —, mirum non est, perire tantam copiam seminum et germinum. — Denique vita in natura præparat ea quæ hominibus vel mediate vel immediate necessaria sunt; purificat .... etc. Quodsi non possemus intelligere finem sive seminum etc., sive specierum exstinctarum animalium, tam parum sequeretur mundum esse *infectum*, quam parum locum aliquem scriptum, nobis obscurum, non fuisse scriptum. Enigma enim natura est et hieroglyphica Dei scriptura hominum studiis proposita, nec unquam explicabitur integrum, quum semper verum maneat: "Mundum tradidit disputationi eorum [hominum]." Eccles. iii. 11. Neque obligamur ut omnia intelligamus. Quodsi adversarii argumentantur ex defectu finis in vita vegetativa, cur non argumentantur pro fine ex vita sensitiva, ex oculorum, aurium etc. constructione? Dolores vero necessarii sunt in mundo. Nam *a*) voluptas sensitiva et dolor sensitivus cohærent. *b*) Dolor sensitivus necessarius est ad sanita-

tem corporis servandam et restaurandam; quum per dolorem sæpe objecta nociva distinguantur a non nocivis (ignis, ut nocivus, ab aliis etc.); *organa* curentur: — supponamus dolorem non esse in morbis, in organis contortis, quis curaret et corpus et vitam?—si *infans* non posset manifestare dolores, hinc morbos, quomodo cura circumdari ac foveri posset a parentibus, quomodo misericordiam excitare? *c*) Dolor est medium unicum domandi animalia; defendendi se ab illis; ad utilitatem suam ea adhibendi. *d*) Dolor et punitio est medium conservandi et restaurandi ordinem socialem. — Ergo tantum abest, ut sit malum, ut sit bonum in natura; est enim principium, quod bonum individuo, hoc sæpe malum toti ordini; sed bonum universale præstat bono particulari. *e*) Præterea, quidquid est compositum, natura sua tendit ad dissolutionem; unde semper patitur ab actionibus contrarie agentium. Argumenta denique omnia adversariorum probant, si quid probent, mundum non esse optimum, quod et nos sustinemus contra Optimistas.

§ II.

De Supposito Creante.

Nota: 1. In creatione, sicut in omni actione, distinguendum est principium *proximum quo*, i. e., voluntas; principium *remotum quo*, i. e., natura seu essentia; *suppositum quod*, utens utroque principio *quo* velut instrumento. Quum igitur in Deo sit suppositum triplex, quæritur, quomodo hoc triplex suppósitum intret in actionem creativam, num ut *unum* principium, an ut *triplex;* num una eademque activitate, an activitate tripartita, ita ut unicuique personæ sua quasi partialitas in actione respondeat.

2. Videntur tres personæ in creatione ita agere, ut cuivis sua specialis partialitas respondeat. Dicitur enim in Synodo Œcumenica V., c. 1.: "Unus enim Deus et Pater, ex quo omnia; et unus Dominus Jesus, per quem omnia; et unus Spiritus sanctus, in quo omnia." Jam vero hæ præpositiones varias partialitates designant. *Ergo.* Hæ partialitates procedunt a personis secundum naturam personalitatis, ut Staudenmaier (l. 2.) et Mastrofini (de Trinit. l. 6. c. 7.) dicunt.

3. Convenit cum hoc, doctrina Raimundi Lulli ejusque scholæ, Guentheri ... posse sc. SS. Trinitatem ex natura cognosci; neque enim alia ratione persona cognosci potest, nisi ex manifestatione.

4. Henricus Gandavensis (Quodlibetum 6. q. 2.) docet, Patrem creasse per Verbum et Spiritum sanctum ut terminos immanentes. Videtur tamen revocasse hanc sententiam in Summa, art. 54. q. 6. et art. 60. q. 6.

PROPOSITIO XII.

Creat SS. Trinitas, ut unum totius universi principium, actione non tripartita secundum personas sed una secundum essentiam; ac supponit quidem creatio personas SS. Trinitatis constitutas, non propter esse, sed propter essentialem exigentiam naturæ divinæ quæ creat.

St. Q. Propositio habet duas partes: parte priore probatur unam esse actionem indivisam, ita ut et partialitates excludantur; parte altera quæritur, num v. g. Pater per se solum habens essentiam omnipotentem potuerit illa uti ad creandum. Respondetur, non potuisse etc., non quod insufficiens esset ad creandum, sed quod natura creatrix exigat prius interna omnia completa, prius quam ad extra agere possit.

Pars I.

Arg. 1. S. Scriptura attribuit modo Patri, modo Filio, modo Spiritui Sancto opus creationis. *Atqui* non secundum partialitates tripartitas, sed unicuique personæ secundum totalitatem. *Ergo.*

Prob. Maj. Quoad Patrem. Act. Apost. iv. 24. "Domine, tu es, qui *fecisti cœlum et terram* et omnia quæ in eis sunt: (v. 25.) qui Spiritu Sancto per os patris nostri David dixisti: Quare fremuerunt gentes . . . (v. 27.) Convenerunt in civitate contra sanctum puerum tuum Jesum." — *Unde ita*: Pater hic opponitur Filio et Spiritui Sancto. *Atqui* ipsi, ut tali, tribuitur creatio Universi. *Ergo* Pater, ut oppositus Filio et Spiritui Sancto, creator Universi dicitur.

Quoad Filium. "Omnia per ipsum [Verbum] facta sunt." Joan. i. 3. "In ipso [Filio] condita sunt universa." Col. i. 16.— *Unde ita*: Verbum et Filius est secunda persona, *per quam* et *in qua* universa sunt condita, i. e., per quam facta (significatur auctor), et in qua sunt ordinata (significatur exemplar). *Ergo.*

Quoad Spiritum Sanctum. "Spiritus Dei fecit me, spiraculum omnipotentis vivificavit me. . . Ecce et me sicut et te fecit Deus." Job, xxxiii. 4. et 6. — *Unde ita:* Eliu, unus ex amicis Job, dicit et se et Job a Spiritu Dei factos esse. *Atqui* Spiritum Dei in fine simpliciter nominat

Deum. *Ergo* Spiritus Dei seu Deus, hinc Spiritus Sanctus, fecit illum et Job. *Atqui* supra dicitur Deus Pater et Filius fecisse omnia, hinc et duos illos viros. *Ergo* quod supra Patri et Filio attribuitur, hoc idem nunc Spiritui Sancto attribuitur.

Nota: Possunt duo objici: 1. non fuisse cognitum mysterium SS. Trinitatis Judæis; 2. Eliu, amicum Job non, fuisse inspiratum quum illa proferret, ideoque ejus testimonium invalidum esse.

R. ad primum, fuisse notum saltem optimis et sanctissimis inter Judæos. — *R. ad alterum.* Quamvis non sit certum, verba illa ex inspiratione fuisse dicta, quum non constet amicos Job fuisse inspiratos, nihilominus ex fide communi *tunc temporis* vigente dicta fuere. Accedit, quod in Ps. xxxii. 6. dicitur: "Verbo Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum." In his verbis parallelismus: "*Verbum Domini*" et "*Spiritus oris ejus*," non probat idem esse; quia parallelismus identitatem cogitationis sub aliquo respectu — hic, v. g., sub respectu effectus ejusdem — non sub omni respectu postulat. Item, Ps. ciii. 30.: "Emittes Spiritum tuum, et creabuntur;" ubi per verba "*Spiritum tuum*" non intelligitur imperium creativum, sed persona tertia; hæc enim dicitur Spiritus Dei.

Prob. min., i. e., creationem secundum totalitatem suam cuique personæ attribui. Nam:

Præpositiones *ex*, *per*, *in*, originem ex causa *indifferenter* designant, non partialitates ejusdem actionis diversas. *Ergo*, si adhibentur, (Rom. xi. 36.) non secundum aliquid, sed secundum totam creationem, ad unamquamque personam referunt. *Prob. Antec.* Præpositiones illæ in aliis actionibus significant originem totam; v. g., "Fidelis Deus, *per quem* vocati estis in societatem Filii ejus;" (I. Cor. i. 9.) ubi *per* est idem ac *a quo*. Præterea, de Filio adhibentur *per* et *in* (vide supra, Col. i. 15.); de Spiritu Sancto, *ex;* "quod natum est *ex* Spiritu Sancto, spiritus est." Joan. iii. 6.

Ergo etiam in actione creationis unaquæque significat totam. — Præterea, in materia ipsius creationis præpositio *in* adhibetur etiam de Filio. (Col. i. 16.) "*In* ipso [Filio] condita sunt universa; .... omnia *per* ipsum et *in* ipso creata sunt; v. 17. .. omnia *in* ipso constant. *Atqui* quæ sunt propria uni personæ, non possunt prædicari de alia persona. *Ergo*

si præpositio *in* significaret partialitatem actionis Spiritui Sancto propriam, non posset prædicari de Filio.

Arg. 2. *Ex Patribus.*

S. Athanasius (Orat. 3. cont. Arianos, n. 5. 48.) "Omnia," ait, "a Patre per Filium in Spiritu Sancto producta fuisse, ornata et perfecta . . . . . et de *communi* Patris, Filii et Spiritus Sancti *essentia.*" S. Ambrosius (in Hexæm. l. 1. n. 29.) explicans verba: "Spiritus Dei ferebatur super aquas," ait: "Syrus, qui vicinus Hebræo est, sic habet: '*et Spiritus Dei fovebat aquas,*' i. e., vivificabat, ut in novas cogeret creaturas et fotu suo animaret ad vitam." S. Hieronym. (lib. Heb. Quæst. in Gen. 306.): "Hebr. habet *merachepheth*, quod nos appellare possumus *incubabat* sive confovebat (loco ferebatur) in similitudinem ova calore animantis. Ex quo intelligimus, non de spiritu mundi dici, ut nonnulli arbitrantur, sed de Spiritu Sancto, qui et ipse vivificator omnium a principio dicitur. Si autem vivificator, consequenter et *conditor;* quodsi conditor, et Deus." Eodem modo S. August. (de Gen. ad lit. l. 1. n. 36.) Unde Patres attribuunt opus creationis *Spiritui Sancto.* Alii Patres, ut Justin. (Cohort. ad Græcos, n. 15.), Origen (in Joan. t. 1. n. 22.), Marius Victorin. (in Phil. ii. 11.; Eph. i. 2.; iii. 9.) *Patrem* nominant creatorem. Alii *Filium* creatorem vocant, ut Tertull. (contr. Hermog. xxii.), qui admiratur Scripturæ plenitudinem, quæ initio factorem et facta, in Evangelio vero distinctius ipsum Verbum ut arbitrum et ministrum (executorem) creationis posuisset.

Cf., præterea, Clem. Rom. (I. Cor. n. 19.); Irenæus (adv. Hær. l. 2. c. 2.); Athanas. (Expos. Fid. n. 1. et in verba: "Omnia mihi tradita sunt a Patre meo." n. 1.); Theoph. Antioch. (ad Autol. l. ii. n. 10.); Gregor. Nyss. (de Spirit. S., apud Mai t. 8. p. 2. pag. 15.); Tatian. (adv. Græc. n. 5.) etc.

S. Anselmus (de Processione Spirit. S., c. 9.) comparat principium creationis cum principio spirationis. Quemadmodum *lacus* est de aqua quæ fluit ex fonte per rivum, ideoque non ut fons et rivus inter se distinguuntur, sed ut sunt unum, et unum quasi principium constituunt ad aquam transmittendam, ita et Pater et Filius non secundum quod sunt diversi, sed secundum quod unum principium sunt, essentiam divinam Spiritui Sancto communicant. Simili modo sub respectu unitatis se habet principium creationis. "Quippe quum dicimus Deum

principium creaturæ, intelligimus Patrem et Filium et Spiritum S. unum principium non tria principia, sicut unum creatorem non tres creatores ..... quoniam per hoc in quo unum sunt, non per hoc in quo tres sunt, est Pater aut Filius aut Spiritus S. principium sive Creator."

Arg. 3. *Ex Conciliis.* Concil. Lateran. IV. 1215. sub Innocent. III. (cap. 1.): "Firmiter credimus ... quod Pater et Filius et Spiritus Sanctus .... unum universorum principium, Creator omnium visibilium et invisibilium, spiritualium et corporalium etc. est."

Cf. Concil. Lateran. (sub Martino I. 649., can. 1.); — Concil. Toletan. IV. cap. 1.; Epist. Agathonis Papæ recepta in Synodo sexta (act. 4. et act. 15.) — Synodus Toletana undecima (in Confessione Fidei): "Inseparabiles inveniuntur personæ in eo quod sunt, et in eo quod faciunt."

Arg. *ex ratione.* 1. Nomen Dei tunc certe significat essentiam in recto, SS. Trinitatem in obliquo et per adsignificationem quandam in confuso, si prædicatur aliquod de Deo, quod ad essentiam pertinet, non ad personas; quod commune est, non quod proprium est. *Atqui* virtus creativa nihil continet, quod ad relationes et processiones internas — Paternitatem, Filiationem, Spirationem — pertinet, sed tantum quod essentiam refertur. *Ergo.*

2. Interna propria sunt; externa, communia. *Atqui* creatio respicit externa.—*Ergo* est communis.

3. Forma, per quam creatio fit, est esse; assimilat enim sibi effectum sub ratione esse. *Atqui* esse commune est. *Ergo* et forma creans.

Pars II.

Non ratione creationis, sed ratione naturæ infinitæ, processiones ad intra præcedunt actionem ad extra et necessariæ sunt.

Arg. 1. Creatio ex sese non postulat formaliter processionem, quia et Spiritus S. vere et adæquate creat. — *Atqui* Spiritus S. nullam personam producit. *Ergo* creatio non postulat productionem personæ.

2. Pater per essentiam fit potens ad creandum non vero per productionem Verbi. *Ergo* creatio per se non postulat processiones personarum.

Expl. Antec. — Sicut Pater per productionem Verbi non fit intelligens, sed *quia* est intelligens producit Verbum, ita nec per productio-

nes personarum fit potens ad extra. Præterea, Pater est Deus independenter ab aliis personis, et aliæ personæ unaquæque independenter ab alia, quia in ratione Deitatis unaquæque independens est. Jam vero ut Deus unaquæque persona omnipotens est.—*Ergo.*

3. Omnis natura postulat, ut prius sit completa et absoluta in ratione suppositi, quam agat; est enim natura per se quasi instrumentum pro supposito; instrumentum vero non agit solum. *Atqui* infinita natura postulat ut sit subsistens in tribus suppositis. *Ergo* natura Divina postulat, ut sit subsistens in tribus personis, prius quam agat. *Ergo.*

4. Natura divina postulat, ut ea quæ essentiam consequuntur, æque de Patre, ac de Filio, ac de Spiritu Sancto prædicari debeant. *Atqui* creatio sequitur essentiam. *Ergo.* Præterea, Deus creat per intellectum et voluntatem; hæ vero debent prius esse completæ ad intra per terminos immanentes quam possint agere ad extra. *Ergo.*

Coroll. Falsum igitur est, posse ex creaturis cognosci Trinitatem, ut supra affirmatum fuit. Totum patet ex argumentis.

Scholium de appropriatione.— Actus naturæ non naturæ sed personæ dicitur proprius, quia persona possidere potest ac sui juris est. In Deo igitur actus tribus personis proprius esse debet. Quum vero tres personæ, quæ sibi actum proprium dicunt, sint realiter inter se distinctæ, et id quod uni proprium est non sit alteri proprium, hinc fit, ut idem actus sub alio et alio respectu personis attribuatur. Principia attributionis sunt; 1. Norma communicationis naturæ Divinæ est etiam norma attributionis activitatis. Ex Patre, tanquam *principio sine principio*, communicatur natura Filio, hinc attribuitur Patri simili modo processio mundi, quod exprimitur præpositione, *ex*; "*ex* quo omnia." Per Filium communicatur natura Divina Spiritui Sancto; in quo sistit, ita ut amplius non communicetur. Simili modo per Filium producitur esse externum; "*per* quem omnia;" et sistit secundum conservationem et cohærentiam in se, sub quo respectu assimilatur esse in Spiritu Sancto; unde "*in* quo omnia." 2. Sicut attributa secundum similitudinem originis attribuuntur personis, ita et opus attributorum: unde *omnipotentia* Patri; *scientia et ars*, quæ quum in intellectu sint, Filio attribuuntur; *bonitas*, quæ objectum est voluntatis, Spiritui Sancto qui per voluntatem procedit. Hinc Pater ut omnipotens creat *per artem*, i. e., *per Verbum; in bonitate*, i. e., *in Spiritu Sancto.* In bonitate enim omnia

consistunt, et inter se cohærent quasi communi vinculo; ideo enim unumquodque nectitur alteri, quia ipsi conveniens et bonum. Producta igitur artificiose ordinata per convenientiam cohærentiæ referunt omnipotentiam, artem, bonitatem.

Scholium de dictione (verbo). — Dicere sumitur *sensu lato*, et est idem ac intelligere; ita et Spiritus S. dicit, quia intelligit; denotat igitur intellectum essentialem. *Sensu stricto*, in quantum terminum producit, convenit tantum Patri, qui dicendo Verbum seu Filium producit; denotat intellectionem notionalem. Quando igitur in S. Scriptura dicitur: "Dixit Deus, fiat Lux!" intelligitur dictio sensu lato.

§ III.

De exemplari creationis mundi.

1. Idea (ἰδεῖν) est imago repræsentans rem vel *existentem*, estque simplex rei conceptus, species vel impressa vel expressa— vel rem *faciendam*, estque rei exemplar. Vocatur etiam *forma*. Triplex formæ significatio: *a*) forma *activa*, v. g., ens agit per formam; *b*) forma in re existens vel substantialis vel accidentalis — determinat esse; *c*) forma mentalis vel facta a re in mente — est forma cognitionis (species), vel facienda in re — est forma exemplaris: prior vocatur etiam forma puræ *inhæsionis*, altera *imitationis*; prior forma *speculativa*, altera forma *practica*.

2. Quum forma sit objectum scientiæ, triplex existit scientia: *a*) *mere speculativa*, quæ præsupponit veritatem, quam contemplatur, hinc respicit mere scibile; *b*) *mere practica*, quæ intendit factibile in re; *c*) *mixta*, quæ contemplatur *factibile*, i. e., in opere artis considerat totum ut factum et ut factibile sine intentione exequendi; ita quis contemplatur imaginem secundum regulas artis.

3. Est igitur idea exemplar in Deo. Quæritur quomodo fiat. Essentia divina ut imitabilis ad extra est objectum cognitionis divinæ, et qua tale præsupponitur ante cognitionem divinam. Intellectus divinus cognoscens essentiam secundum se et imitabilitatem multiplicem exprimit et essentiam et omnes imitationes seu terminos imitantes; unde hi termini imitantes existunt in intellectu divino unusquisque sub propria sua forma ut distinctus ab alio, hinc formaliter ut intellecti. Fingas

lineam mathematicam, quæ per se divisibilis est. Qui comprehenderet lineam mathematicam, eo ipso et omnes divisiones comprehenderet et illas *mentaliter* exprimeret. Quare divisiones existerent in linea mathematica secundum fundamentum; in mente vero comprehendentis ut intellectualiter expressæ. Jam vero cognitio talis essentiæ divinæ et omnium terminorum possibilium est cognitio simplex—sive directa — sive fundamentalis. In quantum vero intellectus quassi reflectit in actum priorem, et in specie in quantum actus prior attingit terminos imitantes, concipit illos terminos ut *exemplaria* rerum, et alia ut exemplaria in ordine possibilitatis tantum, alia vero in ordine existentiæ physicæ pro beneplacito suæ voluntatis.

4. *Definitio. Idea est rei faciendæ exemplar in mente artificis existens, quod intuens operatur.*

Expl. Distinguendum est fundamentum ideæ—in Deo *essentia Divina*, et idea ipsa formaliter; illa [essentia] est exemplar fundamentale, altera exemplar formale. Idea, præterea, est forma extra rem faciendam existens. Potest autem existere in alia re, v. g., in Cæsare relate ad statuam suam, hinc Cæsar est exemplar statuæ suæ, sed talis forma non vocatur idea exemplaris; potest etiam existere in mente artificis, et hæc vocatur idea exemplaris. Idea est *objectum* cognitionis ad quod respicit artifex, licet possit etiam esse medium in quo artifex cognoscat opus suum. Idea vocatur causa exemplaris, tum quia dirigit causam efficientem ad opus perficiendum, tum quia determinat ipsum opus non quidem per inexistentiam in opere sed per sui imitationem, tum quia est velut finis, quatenus agens operatur similitudinem exemplaris sui (Cg. 3. c. 19.). Influxus ille causativus, ut patet, est influxus moralis.

5. Idea in Deo existit tum totius systematis mundani, tum rei cujusque individuæ. *Expl.* Non tantum res individuæ, sed totum quodque ut tale, per singulos essendi, vivendi, etc. gradus et varietates compositum imitatur essentiam divinam; est enim ordo in essentia summus per identitatem, virtualiter multiplex secundum imitabilitatem. Rationes igitur multiplices debent esse inter se connexæ unitate aliqua qua inter sese conveniunt, non tantum in ordine abstracto, in quo conveniunt sub ratione entis universalissima, ita ut ab illa ratione descendatur per minus universales ad singulares, sed etiam in concreto physico. Multos autem ordines et multa systemata concipit ut exemplaria, ex quibus

unum elegit, quod convenit mundo actuali. Exemplar vero vel mundi totius vel hominis, v. g., Petri, convenit huic individuo tantum, nec possunt secundum hanc individualem similitudinem alia individua creari; v. g., architectus, qui ideam ecclesiæ concepit, plures potest secundum hanc ideam ecclesias construere, quia tantum formam ecclesiæ concepit, non autem materiam; Deus vero in idea Petri et formam et materiam concepit, hinc et individuationem. Unde idea tantum quadrat in Petrum.

6. Quia in exemplari essentia divina relucet, recte vocari potest manifestatio Dei ad intra, dum ipsa creatio ad extra recte vocatur manifestatio ad extra. Exemplar potest etiam vocari locutio Dei ad intra, creatio locutio ad extra. Cf. S. Anselm. (Monol. c. 10.)

PROPOSITIO XIII.

Existit in mente Divina idea exemplaris æterna et immutabilis tam mundi totius quam rerum omnium singularium; quæ fundamentaliter *est ipsa essentia Divina ut imitabilis, ad extra;* formaliter *est distincta Divina cognitio omnium possibilium, prout hæc cognitio est objectum cognitionis reflexæ.*

St. Q. Duæ partes; 1. Existit norma exemplaris. 2. Ostenditur in quo sit reponenda.

Pars I.

Existit norma exemplaris.

Arg. 1. *Ex S. Scriptura.* Prov. iii. 19. 20. "Dominus sapientiâ fundavit terram, stabilivit cœlos prudentia." Postea, viii, 22. "Deus possèdit me in initio viarum suarum. v. 27. Quando præparabat cælos aderam; quando certa lege et gyro vallabat abyssos; v. 28. quando æthera firmabat sursum, et librabat fontes aquarum; v. 29. quando circúmdabat mari terminum suum et legem ponebat aquis, ne transirent fines suos; quando appendebat fundamenta terræ, v. 30. cum eo eram cuncta componens."

Unde ita: Sacer auctor describit nobis Deum per sapientiam suam omnia tam quoad totum, quam quoad singulos effectus et determinatos ordinantem et exequentem, idque ita, ut initio creationis jam sapientia adesset. *Atqui* non potuit Deus per sapientiam, quæ est in intellectu, alio modo omnia fundare, ordinare, exequi, nisi secundum ideas, quæ

sunt exemplaria rerum ordinandarum, etc. *Ergo* exstiterunt initio et ante, i. e., ab æterno, in Deo ideæ determinatæ omnium rerum, prout totum constituunt, et prout in se considerantur.

Expl. Maj. "*Initio viarum*," i. e., operationum Domini, hinc in creatione, quando cœlos separabat a terra et extendebat; quando littora per orbem (gyrum) circumponebat vastita ti maris; quando superiores regiones, per quas moventur nubes, constituebat, et in illis nubibus fontes aquarum lege æquilibrabat; ..... quando terram stabiliebat in se, quasi appendens seu suspendens in aera. Jam vero operationes illæ determinatæ sunt; hinc et earum ideæ.

* 2. Gen. i. 26. "Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram."—His verbis Deus significat, se antequam faceret opus suum, mente illud concepisse, non in confuso, sed determinate; se conceptum hujus operis determinati sumpsisse a se; secundum hunc conceptum exequi opus suum. *Atqui* hoc est agere per ideas non extra se positas (quales videtur posuisse Plato), sed in se existentes. *Ergo.*

Arg. 2. *Ex Patribus.* S. August. (Tract. 1. in Joan.) "Faber facit arcam. Primo in arte habet arcam. Si enim in arte arcam non haberet, non esset unde fabricando illam proferret. Sed arca sic est in arte, ut non arca ipsa sit, quæ videtur oculis. In arte invisibiliter est, in opere visibiliter erit ... Attendite ergo arcam in arte, et arcam in opere. Arca in opere non est vita, arca in arte vita est, quia vivit anima artificis, ubi sunt illa omnia antequam proferantur. Sic ergo, fratres carissimi, quia sapientia Dei, per quam facta sunt omnia, secundum artem continet omnia antequam fabricet omnia, hinc quæ fiunt per ipsam artem, non continuo vita sunt, sed quidquid factum est, vita in illo est." Unde ita: Sicut opus non in se sed in arte artificis vivit, i. e., in intellectu artificis, sic et mundus non in se sed in arte, i. e., in intellectu Dei vivit. *Atqui* vivere in arte seu in intellectu non est nisi vivere secundum ideam, seu ideam ejus vitali modo esse in intellectu vivente. *Ergo* et idea mundi, etc. in Deo est, et ita mundus in Deo vivere dicitur. Cf. S. August. (l. 83. QQ. q. 46.); Origin. (in Joan. ad verba: "*In principio erat Verbum.*"); S. Dionys. (de Nominib. Dei, c. 7.); S. Maxim. (apud Euthymium p 1. Panop. Tit. 3.); Justin. (Cohortat. ad Gentes); Tertullian. (de Anima), etc.

Arg. 3. *Ex ratione.* Deus ut ens primum et summum causat intel-

lectu et voluntate, et ut ens infinitum debet esse causa efficiens et exemplaris omnium rerum. *Atqui* causare ut exemplar et simul intellectu non potest fieri alio modo, nisi ut exemplar sit in intellectu, hinc idea exemplaris. *Ergo.* (vide supra.)

Pars. ii.

Quæritur quid sit idea.

Nota. Idea a S. Thom. (Sent. 1. q. 15. a. 2.) definitur: "Idea est ratio æterna in mente divina, secundum quod aliquid est formabile ad extra." (vide etiam supra definit.) Est igitur idea objectum, quod cognoscitur, quia illam artifex intuetur, ut secundum illam formet. In mente divina existit essentia divina ut intellecta, et cognitio possibilium, quæ cognitio utraque quamvis in Deo realiter non distinguatur, tamen ratione distingui potest. Quæritur ergo, num essentia divina ut intellecta sit idea, an cognitio possibilium per essentiam divinam determinata, prout est objectum cognitionis reflexæ. Tenemus ultimam sententiam.

Arg. 1. Idea debet in se ipsa distincte et proprie repræsentare res faciendas, ideoque eas formaliter repræsentare. *Atqui* essentia divina nullam rem faciendam *formaliter* repræsentat, sed *virtualiter* continet, utpote omnia eminenter in se præhabens; scientia vero divina distincte et proprie omnes res possibiles exprimit, et qua exprimens omnia potest esse objectum cognitionis reflexæ, in qua est ratio ideæ. *Ergo* cognitio possibilium ut objectum cognitionis reflexæ idea esse potest. Posse autem ratione distingui in Deo cognitionem directam et reflexam, patet ex eo, quod Deus non tantum intelligit, sed intelligit etiam se intelligere.

Convenit S. Thom. (1. q. 15. a. 2. ad 2.): "Deus intelligit *se intelligere* multa per essentiam suam; .. sed hoc est, esse plures ideas in intellectu ejus.." Cf. etiam (de Verit. q. 3. a. 2. ad 4.) Quare si alio loco docet S. Thom. essentiam ut intellectam esse ideam, non videtur distinguere ideam fundamentalem et formalem, sed utramque per modum unius sumere.

Scholium. 1. *Ergo* ideæ rerum sunt essentiales non pertinentes ad notionalia, quia tota Trinitas est causa efficiens et exemplaris *secundum essentiam.*

2. Recte vocantur a S. August. (l. 83. QQ. q. 46.) ideæ "rationes æternæ et incommutabiles." S. Dionys. (de Nom. Div. c. 5.): "Exemplaria vero dicimus esse rationes in Deo substantificas rerum et unite præexistentes, quas divinus sermo vocat prædestinationes et divinas ac bonas voluntates, rerum definitrices ac effectrices secundum quas qui est super substantiam, omnia quæ sunt, prædefinivit et produxit." Joan. Damasc. (Orat. 3. de Imag.): "Imagines enim et exempla futurarum rerum, quas ipse facturus est, nihil sunt aliud, quam cujusque notio, atque a S. Dionysio præfinitiones nuncupantur. In ejus namque concilio expressæ erant et exsculptæ formæ et imagines eorum, quae priusquam fierent, ab ipso præfinita erant et immutabiliter futura." S. Anselm. (Monol. c. 9.): "Ea, quæ facta sunt ex nihilo, non nihil erant antequam fierent, quantum ad rationem facientis." Hinc satis frequens distinctio inter mundum visibilem et intelligibilem. Clemens. Alexand. (Strom. l. 5. n. 24.) duplicem mundum a barbara philosophia cognitum esse dicit, alterum intelligentia perceptibilem (νοητόν), alterum sensibus perceptibilem (αἰσθητόν); priorem fuisse archetypon, alterum præclari exemplaris imaginem. Boetius (in 2. de Consolat. philos., metro 9.)

> . . . . Tu cuncta superno
> Ducis ab exemplo pulchrum pulcherrimus ipse
> Mundum mente gerens, similique ab imagine formans
> Perfectasque jubens perfectum absolvere partes.

§ IV.

Utrum in mundo sit repræsentatio Dei.

I.

Nota: 1. Repræsentare est præsens sistere quod abest vel loco, vel loco et tempore (præteritum tantum), vel licet præsens sit localiter, non tamen cognoscibiliter adest. Quod præsens sistit seu repræsentat, est medium, seu locum tenens objecti incogniti; quare in tali medio debet esse aptitudo et nexus cum re repræsentata.

2. In quantum effectus repræsentat causam, nexus cum causa potest esse vel physicus, v. g., arbor et folium; vel, si sunt physice separata causa et effectus, loco vinculi physici jungit vinculum ordinis, quod consistit in relationibus. Jam vero aut sunt causa et effectus in

eodem ordine, et tunc se complent quodammodo, quia effectus pertinet ad causam, ut pater et filius unam stirpem constituunt atque in utroque termino est ordinabilitas): aut sunt in ordine diverso, ita ut causa sit in uno ordine, effectus in alio. Tum vero duplici modo ordo effectus se habere potest ad ordinem causæ: aut *secundum aliquid tangit*, v. g., litera scripta ab homine tangit, ut effectus manus humanæ, ordinem hominis, quamvis sit extra ordinem hominum; aut *nullatenus tangit*, ita ut nihil reale habeat ex ordine causæ sed tantum imitetur illam. Quando ordo causæ per nullum reale cohæret cum ordine effectus, nulla ordinabilitas in causa, sed omnis ordinabilitas et dependentia est in effectu. Ita se habet Deus ad creaturas.

3. Creaturæ igitur sunt imitationes Dei; sed imitatio efficit similitudinem. Cohærent igitur cum Deo in quantum sunt effectus similes, et ut tales repræsentant Deum.— Hinc oritur prima quæstio, Quid sit similitudo?

II.

De conceptu similitudinis.

1. Similitudo aut sumitur *fundamentaliter*, estque tunc rerum differentium eadem qualitas, sive convenientia plurium in uno; aut sumitur *formaliter*, estque relatio plurium inter se secundum qualitatem: hinc dicit similitudo relationes formaliter, qualitatem causaliter. Similitudo igitur importat unitatem et distinctionem. Ita S. Bonav. (tom. i. l. sent. 1. dist. 31. q. 2. conclus.; præterea, l. 1. dist. 2. dub. 5.)

2. "Similitudo attenditur secundum convenientiam in forma." S. Thom. (1. q. 4. a. 3.) Forma illa, quæ terminis inest, est vel substantialis—duo equi; vel accidentalis—duo alba; vel intrinseca vel extrinseca secundum esse vel secundum accidens.

3. Forma intrinseca potest terminis inesse vel *secundum eamdem rationem* aut *a*) integra secundum genus et speciem, aut *b*) non integra sed secundum genus tantum—homo et animal, aut *c*) secundum esse tantum — homo et lapis; vel *non* secundum eamdem rationem, sicut forma (figura) in homine vero et homine picto; vel etiam, si albedo esset existens, infinita esset et omnem realem albedinem absorberet in se. Charta igitur alba nihil ex realitate albedinis haberet, sed tantum ex imitatione esset alba. Tali modo existit esse in Deo et in creaturis.

Coroll. 1. Sunt igitur creaturæ similes Deo similitudine analogica, qualis est fere inter hominem verum et hominem pictum.

Coroll. 2. *Ergo* creatura similis Deo, non autem Deus similis creaturis, sicut homo verus non dicitur similis homini picto. "In his quæ

unius ordinis sunt, recipitur mutua similitudo, non autem in causa et causato; dicimus enim, quod imago est similis homini, et non ex converso." S. Th. (1. q. 4. a. 3. ad 4.) Cf. Sent. 1. dist. 19. q. 2. a. 2. c.

III.

De Divisione.

1. S. Bonav. (t. 1. l. Sent. 1. dist. 2. q. 2. concl.) distinguit similitudinem per modum *umbræ, vestigii, imaginis.* "Differentia . . . accipitur penes modum repræsentandi. Nam umbra dicitur, in quantum repræsentat in quadam elongatione et confusione; vestigium in quadam elongatione, sed distinctione; imago vero in quadam propinquitate et distinctione." — N. B. In umbra minima causalitas; in vestigio major; in imagine maxima.

2. S. Thom. distinguit tantum *vestigium* et *imaginem.*

a) *De vestigio.* "Vestigium demonstrat motum alicujus transeuntis non autem qualis motus sit." (1. q. 45. a. 7. c.) Repræsentat autem partem, i. e., pedem, eumque "secundum inferiorem superficiem tantum." (Sent. 1. d. 3. q. 21. a. 1. c.) Hinc metaphora est, quæ adhibetur ut exhibens confusam tantum repræsentationem, ex qua per varias combinationes aliqualis causæ notitia haberi potest. Ratio igitur vestigii est in eo, ut *solam causalitatem* causæ repræsentat, non vero formam causæ; sicut fumus causalitatem ignis non autem formam ignis repræsentat.

b) *De imagine.* "Imago, idem ac *imitago*, est similitudo producta ad instar alterius." Duo continentur: 1. *similitudo*, 2. *productio.*—1. *Similitudo* non in confuso, sed forma ipsa apparet vel in se vel in signo aliquo, quod est *figura* externa. "Imago duplex est: aliquando enim signum est repræsentans speciem, in nullo cum ipsa conveniens, sicut imago hominis in pariete, quæ in nullo habet veram speciem hominis. Aliquando vero assimilatur ei in specie, non tantum in repræsentando, sed etiam in essendo, sicut filius est vera imago patris." S. Thom. (in Ep. ad Hebr. l. 2.) *Nota:* figura censetur manifestare formam secundum genus et speciem, quia nullum aliud classificandi animalia secundum species naturalistæ habent.—2. *Productio.* Ad rationem imaginis requi-

ritur, ut sit actione ex sese et naturaliter in imaginem tendente producta. Ovum enim quantumvis simile alteri non est ejus imago ; albedo parietis non est, proprie loquendo, imago albedinis meæ. Cf. S. Aug. (de Gen. ad lit. imperf. n. 57.) ; S. Thom. (1. q. 93. a. 1. c.) Intentio vero talis potest esse vel naturalis ut in generatione, vel artificialis ut in pictore.

N. B. Ipsa verba: *imago — imitago — repræsentatio,* hoc significant. Quis enim diceret albedinem chartæ repræsentare albedinem meam, saltem proprie loquendo ?

Coroll. 1. Imago itaque species est similitudinis, et super vestigium superaddit, tanquam differentiam specificam, ut referat formam causæ distincte et formaliter sive univoce sive analogice.

Coroll. 2. *Ergo* si S. Hilar. definit imaginem : "est *species indifferens,*" vel, "est rei ad rem coæquandam indiscreta et unita similitudo," intelligit perfectam imaginem, qualis est in ordine generationis. S. Thom. (1. q. 93. a. 1. ad 3.)

PROPOSITIO XIV.

Quamvis creaturæ sint effectus æquivoci Dei, nihilominus Deum repræsentant, irrationalia per modum vestigii, rationalia per modum imaginis.

St. Q. 1. Duæ partes : *a*) Creaturæ sunt effectus æquivoci, *b*) nihilominus repræsentant.

2. Effectus est univocus cum causa sua, si forma a qua vocatur eadem ratione inest in utroque, sicut forma humana eadem ratione est in patre ac in filio, — hinc uterque verus homo ; æquivocus, si forma a qua vocantur æquali modo vere quidem inest in utroque, licet non eadem ratione ; in causa quidem per se, in effectu vero per aliquam imitationem causæ, hinc deficienter ab ordine et perfectione causæ.

Pars 1.

Arg. Creaturæ sunt effectus æquivoci, si *a*) sub omni respectu deficiunt in ordine physico a perfectione essentiæ divinæ causantis ; si *b*) imo in ordine ideali exemplar in Deo ut cognitum, terminative spectatum exhibet aliquod æquivocum, i. e., ens per imitationem. *Atqui* hoc obtinet. *Ergo.*

Prob. min. ad a) Omnis creatura utpote contingens, mutabilis, etc. deficit ab essentia divina, ut patet.

ad b) Omnis idea in Deo existens exhibet proxime aliquod possibile, et hoc possibile ut exemplatum ab essentia divina ut exemplari. *Atqui* exemplatum ab essentia divina est aliquod æquivocum, seu, quod idem est, analogum ad essentiam divinam. *Ergo.*

N. B. Idea, v. g., Petri, repræsentat originaliter essentiam divinam ut suum exemplar, formaliter Petrum ut exemplatum. Sub priori respectu, i. e., in quantum ad Deum, est æquivocum seu analogum; sub altero respectu, in quantum ad Petrum, est quid univocum; sicut idea ecclesiæ in architecto existens est in repræsentatione ecclesiæ *univoca* cum ecclesia ipsa, licet in existentia sit admodum diversa. Non enim potest Petrus ab idea quam Deus de Petro habet deficere, quia terminus ideæ est ipse Petrus possibilis.

Pars II.

Irrationalia sunt vestigia.

N. B. Vestigium sumitur hic metaphorice, sicut loquimur de vestigiis pestilentiæ, famis, belli, sapientiæ, etc.

Arg. Vestigium est similitudo, quæ clare quidem causam suam, formam tamen causæ plus minus in confuso exhibet. *Atqui* talis similitudo Dei est in creaturis irrationalibus. *Ergo* est in creaturis irrationalibus vestigium Dei. —*Major* patet ex definitione. (vide supr.) — *Prob. min.* Exhiberi clare causam patet; probandum alterum. — *a*) In composito tam particulari quam universali apparet sub respectu creationis *omnipotentia;* sub respectu compositionis *ordo*, i. e., dispositio plurium ad unum; sub respectu activitatis *tendentia* omnium ad fines respectivos et per hos ad finem universalem; sub respectu multitudinis et varietatis *pulchritudo*. *Atqui* ordo manifestat sapientiam, tendentia finalis providentiam, pulchritudo gloriam Dei secundum illud: "Cœli enarrant gloriam Dei." Ps. xviii. 2. *Ergo.*

Expl. In horto, in quo sunt omnia bene ordinata, apparet hortulani industria, sapientia, providentia: a pari in mundo. — *b*) In omni creatura apparet præter entitatem, veritas et bonitas. *Atqui* sub respectu entitatis manifestat esse Dei; sub respectu veritatis manifestat veritatem in idea Dei, ideo enim res est vera, quia convenit cum idea Dei. (N. B.

in nobis idea est vera, si convenit cum re, in Deo vero viceversa est) ; sub respectu bonitatis manifestat bonitatem Dei. *Ergo.*

Expl. min. Quemadmodum ex literis visibilibus invisibiles possunt cognosci cogitationes auctoris, ita ex creaturis visibilibus invisibiles ideæ Dei cognosci possunt. — Præterea unaquæque creatura, utpote bona, appetibilis est tam sibi quam aliis ; hæc vero appetibilitas participata ostendit imparticipatam appetibilitatem in Deo.

Rationalia sunt imagines Dei *naturales*.

Nota : Deus creavit hominem secundum *imaginem* suam ; sed quæritur, num hæc imago sit naturaliter an tantum supernaturaliter intelligibilis; aut etiam num alia ratio imaginis naturaliter, alia supernaturaliter cognoscibilis sit. Omissa priori parte, contendimus de altera, aliquam imaginem esse naturaliter cognoscibilem, aliam supernaturaliter tantum. Agimus nunc de imagine naturaliter cognoscibili.

Rationes dubitandi :

1. Homo est factus secundum imaginem Dei, *ergo* non est imago.

2. Ubi est imago, ibi similitudo ; sed similitudo supponit identitatem ; hæc autem est convenientia in aliquo tertio. Jam vero inter Deum et creaturas rationales nulla est convenientia. — *Ergo.*

3. Imago est configuratio ; *atqui* essentia divina non est configurabilis. — *Ergo.* Præterea, aut est imago *naturalis* aut *supernaturalis* : *atqui* non supernaturalis, quia agitur de creatione ; non *naturalis*, quia Filius solus est imago naturalis. — *Ergo.*

4. Unaquæque creatura distat a Deo æquali modo, quia *infinite* ; infinita enim sunt æqualia. *Ergo* aut nulla creatura est imago Dei aut omnes.

Arg. 1. Duplici ratione potest sumi essentia metaphysica Dei ; *absolute* — estque aseitas ; *relative* secundum aliquam quasi classificationem, secundum quam Deus est in ordine spirituali intellectuali. *Atqui* etiam creatura rationalis, anima et angelus, sunt in hoc ordine, præterea a Deo in hoc ordine producti sunt. *Ergo* et anima hum. et angelus Deo tanquam suæ causæ assimilantur in eodem ordine et ideo etiam in eadem specie. *Atqui* non tamen secundum eandem rationem. *Ergo* analoga quadam ratione seu ut imagines.

Arg. 2. Anima humana et angelus *immediate* ordinantur in Deum ad participationem vitæ per intellectum et voluntatem. Atqui talis capacitas participandi eamdem vitam potest tantum esse in imagine vel ejusdem ordinis seu in filio, vel in imagine analoga, i. e. ordinis alicujus inferioris sed proxime ad priorem ordinem accedentis. *Ergo* anima est imago Dei. Et vere si supponamus animam esse imaginem, non posset alio modo tendere in Deum ac facit, i. e., ut intelligat simili modo, velit atque agat simili modo.—*Ergo* quum ita agat, ut experientia patet, recte assumitur esse imaginem.—Præterea, si essentia imaginis in eo est, ut repræsentet exemplar suum, patet, si hæc repræsentatio sit subsistens, possitque agere, intelligere, velle; talem imaginem maxime debere intelligere, velle, quod suum exemplar intelligit ac vult. Quum igitur anima ex essentia sua ita intelligat et velit ac suum exemplar, sequitur esse imaginem.—Insuper imago non est ad se, nec sui juris, sed est ad eum, quem repræsentat, ideoque tendit ad eum. Atqui anima tendit ad Deum, ut cum eo jungatur. *Ergo* est imago.

3. S. Bonavent. (tom. 2. Sent. l. 2. dist. 16. art. 1. q. 1. Concl.): "Dicit S. Aug. (de Trinit. 14. c. 8. n. 2.) '*eo est anima imago Dei quod capax ejus est, et particeps esse potest*'; quia enim ei immediate ordinatur, ideo capax ejus est, vel e converso; et quia capax est, nata est ei configurari; et propter hoc fert in se a sua origine lumen vultus divini." Ps. iv. 7. Cf. totum locum citat. ex S. Bonavent.

Resp. ad object.:

Ad 1. Imago dicitur vel abstractive secundum ideam vel concretive, i. e. pictura ipsa;—unde secundum priorem sensum potest dici secundum imaginem Cæsaris hæc pictura facta est; secundum alterum sensum potest pictura dici imago Cæsaris.

Ad 2. Similitudo inter exemplar et exemplatum non supponit tertium, in quo conveniant, sed exemplatum habet normam suæ similitudinis in exemplari.

Ad 3. Imago corporalis fit secundum configurationem in quantitate molis, imago spiritualis in effigie quadam seu configuratione virtutis et vitæ. Est autem imago illa *naturalis*, i. e., secundum principia sua naturalia; Filius autem non est imago Patris *naturalis* sed *connaturalis*, i. e. eamdem habet naturam.

Ad 4. Sub respectu entitatis omnes creaturæ æque distant a Deo; sub respectu repræsentationis diverso modo distant, sicut statuæ Cæsaris sub respectu materiæ æque distant a Cæsare, sub respectu similitudinis una magis accedit quam altera.

DE REPRÆSENTATIONE SS. TRINITATIS.

NOTA. Mysterium SS. Trinit. est mysterium stricte dictum, quare demonstrari per naturalia non potest. (Vatican. Constit. *Dei Filius* can. 1. in cap. 4.); Franzelin (de Trin. th. 17–19.) Nihilominus revelata SS. Trinitate, potest ratio ejusdem mysterii vel vestigium vel imaginem detegere in creaturis ut dicit S. Thom. (1. q. 32. a. 1. ad 2.) Ad aliquam rem dupliciter inducitur ratio: uno modo ad probandam sufficienter radicem; . . . . alio modo inducitur ratio, non quæ sufficienter *probet radicem, sed quæ* radici *jam positæ ostendat congruere consequenter effectus.*" Ponit igitur Fides radicem; ratio ostendit congruere cum illa quosdam effectus.

Ratio dubitandi. 1. Nullatenus SS. Trinitas apparet in creaturis; nam omnis effectus suam determinationem, hinc suam formam accipit ab illa forma quæ immediate per suam activitatem in effectum influit, ut apparet in vestigio, quod determinatur per *pedem*, non per hominem. *Atqui* immediate influit natura divina, non SS. Trinitas. *Ergo.*

2. Si esset imago SS. Trinit. in creaturis, saltem post revelationem posset ratio probare eam ex naturalibus principiis, quod non est admittendum. *Ergo.*

In irrationalibus est vestigium Trinitatis.

ARG. 1.—In omni creatura irrationali potest distingui ratio unitatis veritatis, bonitatis; per unitatem colligit se ens in se, fitque principium activitatis propriæ; per veritatem refertur ad ordinem intelligibilem, per bonitatem ad ordinem appetibilem appetendi. *Atqui* secundum legem appropriationis unitas refertur ad Patrem; intelligibilitas ad Filium; appetibilitas ad Spiritum Sanctum. *Ergo* in creaturis irrationalibus est vestigium SS. Trinitatis.

Explicatur et confirmatur. Quum personæ ut sic non immediate influant in effectum, sequitur non posse immediate in se repræsentari, quemadmodum et in aliis rebus non immediate repræsentatur sup-

positum, sed ex principio: "*qualis natura, tale suppositum*" conclusione deducendum est. Hoc autem principium pro nostra cognitione non potest applicari divinis. Quare repræsentatio SS. Trinitatis non potest fieri, nisi aut secundum attributa, quæ appropriantur cuique personæ ex convenientia cum proprietate notionali, aut in quantum causam denotat quæ agit per intellectum et voluntatem. Patet autem prædicta tria attributa, quæ insunt unicuique enti, posse considerari ut præsentantia attributa approprianda, et ut manifestantia causam potentem, intelligentem, volentem.

Cf. Sap. xi. 21. "Omnia in mensura et numero et pondere disposuisti."—In numero secundum unitatem et speciem; in mensura secundum rectitudinem veritatis; in pondere secundum bonitatem voluntatis. Cf. S. August. (de Trinitate l. 6. c. 12.); S. Thom. (4. q. 5. a. 5.)

In rationalibus est imago Trinitatis.

Arg. Conceptus *naturæ* Dei Trini effert Deum ut Spiritum intelligentem et volentem. *Atqui* anima humana, angelus, exhibent formaliter ea elementa ex quibus talis conceptus formari potest.—Præterea, intellectus et voluntas sunt viæ, quibus procedunt Personæ. *Ergo* formaliter anima humana et angelus exhibent vias processionum in SS. Trinitate.

Præterea, ut repræsentatio sit etiam distinctior, invenitur in intellectu creato verbum, quo mens seipsam intelligit, ut terminus immanens, et pondus amoris ex hac notitia consequens, etiam ut terminus immanens. *Atqui* etiam in divinis tales termini immanentes ex intellectu et voluntate procedunt ut substantiales et hinc ut personæ. *Ergo.*

Nihilominus sine fide hæc similitudo detegi non posset, quum *a*) proxime repræsentetur tantum intellectus essentialis et voluntas essentialis; etenim in nobis verbum mentis et pondus voluntatis non intelligunt nec volunt. Sed Filius intelligit et vult et Spiritus Sanctus intelligit et vult, nec tamen producit verbum aut pondus.

b) Verbum et pondus sunt in mente creata *accidentia*, et homo producit verbum et pondus *ut intelligat;* Pater autem in divinis producit *quia intelligit;* et Pater et Filius spirant, *quia se amant.*

c) Præterea, quomodo possit una natura ita communicari tribus personis, certe intelligi nequit.

R. ad object.—*Ad* 1. Natura divina ex sese postulat tres personas, in quibus subsistat, et præterea cum unaquaque persona identificatur. *Ergo* si repræsentatur, debet repræsentari uti est a parte rei, hinc fieri non potest, quin et in analogam similitudinem intret aliqualis manifestatio conveniens. Hoc autem valet magis de *imagine* essentiæ; imago enim essentiæ distinctius exigentiam essentiæ exhibere debet et etiam illa, cum quibus essentia identificatur.

Ad 2. Analogia in imagine quoque tam obscura est, ut etiam post revelationem ex creaturis Trinitas probari non possit, quum multo major sit difficultas contra, quam manifestatio pro hoc mysterio, ita ut possibilitas hujus mysterii etiam in statu fidei *negative* probari tantum possit, i. e., non posse probari repugnare hoc mysterium. Hinc S. August. (de Trinit. 15. c. 6. vers. fin.) "Trinitatem, quæ in nobis est, videmus potius quam credimus; Deum vero esse Trinitatem credimus potius quam videmus."

S. Thom. (1. q. 93. a. 5. et q. 32. a. 1.); S. Bonav. (loco supra citato).

§ IV.

De Deo ut causa finali creationis.

Nota: 1. Deus volens suam essentiam ut bonam vult consequenter omnia illa, quæ participare possunt hanc bonitatem, sicut qui amat patrem eodem amore etiam ea attingit, quæ cum patre connectuntur, et ea odio habet, quæ patri possunt nocere, licet in se forsan possint amari. Unus igitur amor et actus est, quo Deus vult suam essentiam et connotative ad suam essentiam alia, i. e. possibilia, in quibus participatio quædam apparet seu capacitas habendi bonum non ejusdem rationis cum bonitate divina, sed bonum per imitationem.

2. Patet illud, quod per connotationem ad aliud attingitur, debere, licet per eumdem actum, diverso tamen modo attingi. Attingit igitur bonitatem suam amore infinito, possibilia illa per simplicem complacentiam; quumque in voluntate, quatenus attingit possibilia, et alii actus lateant, patet, voluntatem quoad alios illos actus debere esse liberam. Idem igitur actus necessarius quoad essentiam divinam et possibilia (licet diverso modo attingat), liber est quoad alios actus circa eadem possibilia. Essentia divina exhaurit voluntatem totam et totalem, possibilia licet tota non tamen totali vi voluntatis attinguntur.

3. Quum igitur actus voluntatis divinæ connotative omnia possibilia attingat simplice complacentia, quæritur, *cur circa aliqua ex his possibilibus etiam actum efficacis volitionis ponat*, i. e., cur aliquibus velit etiam efficaciter esse, ita ut esse physicum habeant. Complacentia enim erga omnia æqualis est; hinc debet esse aliud motivum pro altero actu voluntatis. Hoc vero motivum impellens voluntatem vocatur finis subjectivus. Illud enim quod movet, habet rationem boni; bonum autem habet rationem finis. Hic finis vocatur etiam finis operantis, ut distinguatur a fine operis.

4. Destinatio operis, seu illud quod proxime ex opere emanat, est finis operis, ut in horologio indicatio temporis. Quæritur ergo, quis sit finis creaturarum, i. e., ad quid et propter quid creaturæ sua parte adsint? quid sibi velint?

5. Finis uterque tam operantis quam operis iterum duplex est: bonum enim quod quæritur in favorem alicujus quæritur; hinc subjectum, in cujus favorem, seu cui quæritur, vocatur *finis cui;* bonum ipsum quod quæritur, vocatur *finis qui.*

6. Distinguitur præterea finis primarius et finis secundarius: v. g., dux, qui copias in aciem ordinat, quærit ut finem primarium aciei instructionem ad victoriam; secundario, ut in acie unusquisque, quantum fieri possit, bene se habeat. Hinc in creaturis finis primarius est, ut respondeant primariæ intentioni divinæ; finis secundarius, ut per illud ipsum, quod respondeant voluntati divinæ bene se habeant. Est enim creatura serva Dei; servi autem et servæ est, ut quærant primario bonum domini; procurantes autem bonum domini et ipsi bene se habent, qui est finis pro ipsis secundarius quidem, sed verus. Notandum vero duplicem illum finem, primarium et secundarium, non esse realiter distinctum, sed ratione tantum.

7. *Finis cui* est illud quod ultimatim movet, hinc est finis ultimus simpliciter; ipse enim determinat non solum ad agendum, sed etiam determinat in particulari effectum. *Finis* autem *qui* est finis proximus.

PROPOSITIO XV.

Finis ultimus Dei creantis, (seu finis cui*) actus creativi) est ipsa bonitas Dei non ex indigentia sed ex fœcunditate abundantiæ movens voluntatem ad (libere) creandum.*

St. Q. Finis alius est bonum, quod nondum possidetur sed acquirendum est; alius est bonum, quod jam possidetur sed communicandum est, sicut finis generationis est communicatio: prior ex indigentia impellit, alter ex abundantia. Fœcunditas est in communicabilitate τοῦ esse sive ejusdem sive similis rationis. Quum igitur communicabile sit esse divinum analogice, et bonitas ex sese tendat ad communicationem — bonum enim est diffusivum sui — bonitas statuitur ut motivum ultimum. Præterea, quum Deus liber sit, recte dicitur: Deus libere creavit propter bonitatem suam.

Arg. 1. Prov. xvi. 4. "Universa propter semetipsum operatus est Deus." *Atqui* non quia indiget Deus, est enim infinitus et independens. *Ergo* quia abundat. *Atqui* dare propter abundantiam est dare propter bonitatem: est enim dare quasi ex bonis suis, quæ vel formaliter vel virtualiter continet. *Ergo.*

Arg. 2. Dionysius (de Divin. Nomin. c. 4. n. 10.): "Vere audemus dicere, quod Deus, qui est omnium causa propter excellentiam bonitatis suæ omnia amat, omnia perficit, omnia continet, omnia convertit ad se et est divinus amor bonus boni propter bonum." Et, n. 14.: "Qua in re et fine et principio se carere divinus amor excellenter ostendit tanquam sempiternus circulus propter bonum, ex bono, in bono, et ad bonum indeclinabili conversione circumiens, in eodem et secundum idem et procedens semper et manens et remeans." — Unde ita: S. Dionys. docet *omnem* activitatem divinam habere procedere ex bonitate, et amorem agentem non habere principium extra nec finem *propter quem* extra se sed solam bonitatem divinam, ut ideo bonum producat, bonum productum propter bonitatem participatam amet, conservet, ad Deum reducat. *Ergo* docet omnis actionis divinæ motivum et finem esse bonitatem.

S. August. (l. 83. QQ. 9. 2. 8.). ". . . . Voluntas Dei omnium quæ sunt causa est. Si enim habet causam voluntas, est aliquid quod antecedat voluntatem Dei, quod nefas est credere. Qui ergo dicit: Quare

fecit Deus cœlum et terram, respondendum est illi, *quia vult.*" — Unde ita: S. August. reponit motivum creationis in voluntate. *Atqui* objectum formale voluntatis divinæ est essentia divina, qua bona. *Ergo* motivum, seu objectum formale, voluntatis divinæ creativæ est bonitas essentiæ divinæ.

Ex Ratione. Arg. 1. Actio omnis tendit in perfectionem aut acquirendam aut communicandam. *Atqui* non propter acquirendam, quum Deus qua infinitus omnia in se habeat; *ergo* propter communicandam perfectionem. *Atqui* non potest induci ad hoc per aliquod extra se, quia infinitus, independens, nulli influxui externo obnoxius, præsertim etiam ideo, quod ante creationem nihil exstitit quod movere potuisset. *Ergo.*

Arg. 2. Deus non potest agere nisi propter finem se dignum; hinc nonnisi propter se, ut patet. Jam vero non propter suam utilitatem, quum nihil ipsi utile esse posset. *Ergo.*

Arg. 3. Amor voluntatis divinæ est amor perfectæ fruitionis. *Atqui* talis amor non potest agere nisi propter se et suam abundantiam: si enim propter aliud ageret, haberet amorem desiderii, qui repugnat amori perfectæ fruitionis. *Ergo.*

Arg. 4. Actus creativus est ipse amor Dei, quo attingit suam essentiam, et ratione tantum ab amore illo distinguitur, seu ut formalitas ab actu ad quem pertinet. *Atqui* talis formalitas ratione tantum ab actu distincta non potest habere rationem aliam sufficientem nisi ipsum actum ad quem pertinet, qui est amor Dei essentialis. *Ergo.* Si quis amans patrem amat consequenter familiam patris eodem actu, certe formalitas, qua attingit familiam, habet rationem sufficientem non extra sed in illo ipso actu.

PROPOSITIO XVI.

Finis qui, *seu id, ad quod bonitas Dei voluntatem primario inclinat, est externa Dei gloria.*

St. Q. Agitur de fine primario, seu intentione primaria, non secundaria. Est duplex gloria in Deo: *interna*, secundum quam Filius dicitur "*splendor gloriæ et figura substantiæ ejus;*" Hebr. i. 3. — et *externa*, secundum quam "invisibilia ejus .... per ea, quæ facta sunt,

intellecta conspiciuntur." Rom. i. 20. Agimus de gloria externa, i. e., de *manifestatione visibili attributorum invisibilium.*

Rationes dubitandi:

1. Cartesius (Medit. 4.) censet, non posse Deum quærere gloriam suam, quum hoc signum egoismi et amoris proprii sit, ut patet in homine. Deridet Scholasticos propter hanc doctrinam. Refutatur ab Huetio, Ep. Abricensi.—Consentiunt cum Cartesio Bailius et Kingius, quos refutat Leibnitz in sua *Theodicæa.*

2. Usque ad sæcl. XII. incognita hæc doctrina; eo vero tempore a Scholasticis inducta est in *odium* Platonis, qui docuit omnia creata propter felicitatem hominis. Aristoteles utique refutaverat Platonem. Ita Mosheim (Elem. Theol. Dogm. p. 1. s. 2. c. 1.). Consentit Wegscheider (Instr. Theol. § 96.); Kant (in Critic. ration. practic.) — Hermes (Introd. in Philos. q. 2. § 71.): "Homo igitur erit inter omnes creaturas unicum ens, propter quod Deus hunc mundum condidit. Deus creavit hominem propter hominem."

3. Gloria Dei infinita non patitur augmentum ex creatione; præterea, gloria Dei externa inutilis est Deo. *Ergo.*

S. Q. con. Duplex gloria: *fundamentalis vel objectiva*, est excellentia objecti vel externa, vi cujus aliquod objectum dignum est, ut laudetur . . ametur; *formalis*, est ipsa cognitio excellentiæ cum laude debita; definitur enim gloria "*clara cum laude notitia.*" Gloria Dei interna *fundamentalis* seu objectiva est splendor Deitatis relucens in natura et personis;— gloria *formalis* interna est cognitio hujus splendoris et amor, ex quo utroque resultat beatitudo Dei. Gloria Dei externa fundamentalis seu objectiva est excellentia et pulchritudo rerum creatarum, maxime filiorum Dei in beatitudine: est igitur ipsa entitas in quantum repræsentat divinas perfectiones. Gloria Dei formalis externa consistit in agnitione et laude, in cultu interno et externo, etc.

Arg. *Ex Scriptura.* Ps. xviii. 1. "Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiant firmamentum. Dies diei eructat Verbum et nox nocti indicat scientiam. Non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur verba eorum. In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum."—Unde ita: Cœlum et terra, dies et noctes, vicissitudines temporum — tota rerum universitas — emittit vocem manifestantem gloriam Dei, i. e., sua natura manifestat

perfectiones divinas. *Atqui* ad eum finem debet censeri condita, quem tam manifeste Universum naturâ suâ proponit. *Ergo.*—Cf. Deuteron. xxvi. 18. 19.; Ecclesiast. xvii. 6.; Ps. ciii. civ. cxlviii.; Matth. ii. 14. Philipp. i. 11.; Eph. i. 5. 6. et i. 12.; I. Petri iv. 11.

Arg. *Ex Patribus.* Gregorius Nyssen. (Orat. 2. in verba: "*Faciamus homin.*"): "Divinæ gloriæ celebrandæ materiam liber scriptus suggerit orbis hic universus." — Unde ita: Liber scriptus manifestat ingenium et sapientiam auctoris sui, invisibiles ejus cogitationes facit visibiles. *Atqui* quod liber est pro auctore, hoc universitas mundi est pro Deo. *Ergo.* Cf. Theophil. Antioch. (ad Autolic. l. 1. c. 6.); Tertull. (Apol. c. 17.); Athan. (Orat. 2. contr. Arian.); Lactant. (l. 7. n. 6.);

Coroll. Ergo patet, quam falso Mosheim asserat, doctrinam de gloria Dei externa esse inventum quoddam Scholasticorum.

Arg. *Ex Concil. et Eccl. praxi.*—Trident. (sess. 6. c. 7.): "Cujus justificationis finalis causa est gloria Dei et Christi ac vita æterna." Vaticanum (cap. 1. const. dogm. de fide cath.): "Hic solus verus Deus bonitate sua et omnipotente virtute non ad augendam suam beatitudinem, nec ad acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem suam per bona, quæ creaturis impertitur, liberrimo consilio simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit naturam." — Ecclesia canit in "*Gloria*": "Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam." In *doxologia:* "Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto!"

× *Ex Ratione.* Arg. 1. Triplex bonum: honestum, utile, delectabile. Jam vero de bono honesto non agitur, quum per se pateat, finem creationis, *quisquis sit*, finem honestum esse; quæritur autem *quis* ille finis sit. Hinc restat bonum vel utile vel delectabile. *Atqui* non est bonum utile, hoc enim supponit indigentiam; neque est bonum delectabile internum quod Deus delectaretur interne de activitate sua ad extra; infinita enim delectatio intellectus et amoris ad intra non potest compleri per delectationem de activitate ad extra. *Ergo* restat, ut sit bonum honestum externum consistens in gloria.

Arg. 2. Omnis imago est ad id, ut ex eo cognoscatur, laudetur, etc. prototypon, idque magis, si prototypon et auctor idem est. *Atqui* res creatæ sunt vel vestigium vel imago Dei ex natura sua, estque Deus earum auctor. *Ergo* sunt ad id, ut ex illis Deus cognoscatur, etc.

Respondeo ad objecta. *Ad* 1. Deus non potest nisi se quærere, quia id postulat ordo: Deo enim debent omnia esse subjecta. — Præterea, ut Deus est causa efficiens et exemplaris omnium, ita debet et causa finalis omnium esse. Homo non potest suam gloriam quærere, quia ipse non est ad id ut se quærat; quia non est simpliciter causa effectiva et exemplaris; quia ipse cum omnibus refertur ad Deum: quare, si suam quærit gloriam, agit contra ordinem.

Ad 2. PP. Ecclesiæ gloriam Dei externam jam ut finem creationis assignant; *ergo* Scholastici non fuerunt primi. –

Ad 3. Agitur proxime de gloria Dei quam ordo postulat; bonum autem conveniens ordini est bonum honestum. Quum vero ordinem servare ipsi ordini sit utile, potest gloria Dei externa dici bonum utile, *non Deo*, quia in Deo nulla indigentia, sed *ordini* ejusque rectitudini. Bene Lessius (de Perfect. Divin. l. 14. c. 1.): "Sicut soli, ex eo quod radii ipsius incidant in nubes longe infra positas et multiplicem solis speciem et varios colores ibidem exhibeant, nihil accedit, ita nec Deo quidquam accedit ex specie, varietate, pulchritudine ac multitudine rerum creatarum, quæ infinito quodam intervallo infra ipsum sunt positæ et veluti in nihilo ex radio divinæ lucis suspensæ. Finis igitur Dei . . . . . erat, habere filios similes sibi, participes gloriæ et beatitudinis divinæ. . . . ."

PROPOSITIO XVII.

Finis internus mundi creati, tam toti quam singulis entibus communis *est gloria Dei fundamentalis; finis vero* specialis, *proprius tantum entibus rationalibus, est gloria Dei formalis: quumque fundamentalis refertur ad formalem sicut objectum ad cognitionem et amorem, sequitur omnia et singula creata secundum gloriam fundamentalem referri ad creaturas rationales proxime, per eas vero ultimatim ad Deum; creaturas vero rationales immediate et per se ad Deum referri.*

St. Q. Duæ partes: 1. qui sint fines; 2. quomodo cohæreant inter sese.

Pars I.

Arg. 1. Perfectio artificii præ se fert artem artificis. *Atqui* perfectio artificii pendet a bonitate partium et earum convenientia in unum; *ergo* artificium secundum se et partium perfectionem artem manifestat artificis. *Atqui* mundus ut systema est aliquod artificium Dei; *ergo* et

secundum se et secundum partes manifestat artem Dei. Jam vero hæc manifestatio artis Dei, in qua relucent omnes perfectiones Dei, est gloria Dei fundamentalis. *Ergo.*

Arg. 2. Non tantum mundus et irrationalis creatura exhibet gloriam fundamentalem Dei, sed et rationalis creatura. Nam *a*) ipsa rationalis creatura secundum entitatem et activitatem est manifestatio ipsius esse et vitæ divinæ. *Ergo. b*) Rationalis creatura per actus suos intellectus et amoris facit Deum ipsum (licet analogice) in se existentem naturaliter; per actus fidei et amoris facit in se existentem supernaturaliter; per actus in lumine gloriæ participat ipsam vitam Dei. *Atqui* sub triplice illo respectu, quorum alter altero perfectior est, existit ut imago Dei et SS. Trinitatis, hinc perfectiones essentiæ et personarum in Deo distinctius manifestat. *Ergo* et rationalis creatura manifestat Dei gloriam fundamentaliter.

Præterea, omne ens activitate sua semetipsum perficiens confert etiam ad perfectionem totius. *Atqui* quo perfectius est ens individuum et totum, eo perfectior est repræsentatio Dei, hinc gloria Dei fundamentalis. *Ergo* omne ens activitate sua perficiens se confert ad gloriam Dei externam fundamentalem.—*Ergo* unus et idem finis entium est perfectio propria et gloria Dei fundamentalis, duplex tantum ejusdem finis formalitas *ratione distincta.*

Pars II.

Quomodo cohæreant.

Ratio dubitandi num cohæreant:

Si manifestatio gloriæ Dei fundamentalis referri deberet ad gloriam formalem, deberet omnis manifestatio Dei cognosci. Jam vero hoc impossibile: multæ enim animalium species existinctæ sunt; multa animalia, v. g. infusoria, fortasse numquam cognoscentur; ultimæ stellæ, stellarum substantia, cultura, finis, nunquam fortasse patebit. Nihilominus sunt repræsentatio Dei.— Præterea, sequeretur Deum non potuisse pro lubitu suo creare mundum sine creatura rationali; videtur tamen admittendum, Deum potuisse.

Nihilominus notandum: 1. duplici ratione potest natura inferior referri ad entia rationalia: *a*) in usum pro vita vegetativa et sensitiva, pro homine tantum; *b*) ut medium ad glorificandum Deum.

2. Ens intellectuale debet glorificare Deum cognitione, amore, opere —unumquodque pro sua capacitate. Ad amandum et operandum non requiritur magna cognitio. Ad glorificandum per cognitionem sufficit generica quædam cognitio et confusa. Idque facile patet: nam *a*) qualem velit Deus cognitionem, pendet a sua voluntate; voluntatem autem manifestat creando varios intellectus, varias occupationes; ligando intellectum ad phantasmata externa; cogendo ut paulatim discat, etc. *Ergo* non vult ab omnibus semper æqualem ac perfectam gloriam. *b*) Immo semetipsum non æquali modo ab omnibus cognoscendum proponit; *ergo* a fortiori opus suum non ita jubet cognosci.

Arg. 1. Manifestatio fundamentalis non haberet finem, nisi esset cui manifestaretur. *Ergo* finis manifestationis fundamentalis est creatura intelligens manifestationem. Verbum et loquela condita sunt ad alium; manifestatio autem in creaturis dicitur earum loquela secundum illud: "Cœli enarrant . . . . . et in omnem terram exivit sonus eorum." Ps. xviii. 2. — *Et vere* supponamus hominem non existere, ad quid tanta varietas sonorum toto ambitu loquelæ, musices? Supponamus oculum non existere, ad quid colorum tanta copia, lucis pulchritudo (saltem radicalis), florum, animalium; in genere artificiali, pulchritudo pictoris et sculptoris, radicaliter saltem in natura contenta? Idem de odorum suavitate, de gustu, etc., quibus evidenter probatur non ad bonum tantum utile sed delectabile etiam mundum creatum et formatum.—Denique ad utilitatem superioris classis entium inferior est; ut ex natura rei et ex facto ipso in naturæ ordine patet. *Atqui* homo est in summo gradu scalæ entium positus. *Ergo* ad ejus utilitatem, in quantum indiget, reliqua creata sunt. *Atqui* maxima utilitas est in glorificando Deum. *Ergo.*

Arg. 2. Ens rationale immediate ad Deum refertur. Nam *a*) ens rationale est imago Dei. *Atqui* imago ex sese et immediate refertur ad suum exemplar. *Ergo. b*) Est ultimum in scala entium et cum Deo (analogice) in eadem specie. *Atqui* qua ultimum non potest referri ad aliud ens nisi ad Deum, et ut habens eamdem speciem se habet ad Deum simili modo ut filius ad patrem, et hinc immediate pertinet ad patrem. *Ergo. c*) Gloria formalis est ultima in destinatione divina; *ergo* qui ad illam destinatur, proxime refertur ad Deum. *Atqui* ad illum destinatur creatura rationalis. *Ergo.*

Resp. ad. object. Non requiritur, ut omnis creatura rationalis omnes manifestationes etiam in individuo cognoscat; (vide notam).–Præterea, angeli omnia contemplantes possunt etiam in individuis Deum glorificare.–Præterea, omnipotentiâ quidem ordinata posset Deus creare mundum materialem tantum; non autem potentia ordinata. Mundus enim sine rationali creatura non haberet complementum necessarium; non posset referri ad Deum; esset vox quæ non posset audiri, domus sine habitatore.–Non enim posset dici esse effectus, in quo vel delectari posset Deus, vel intelligere quid sua potentia posset: quæ delectatio utpote interna est infinita in ambitu essentiæ et Trinitatis; omnipotentia vero jam antecedenter perfecte cognoscitur.

PROPOSITIO XVIII.

Finis creationis secundarius, primario subordinatus, est bonum cujusque creaturæ respectivum, rationalis vero creaturæ felicitas æterna; unde si Deus erga omnes creaturas habet amorem benevolentiæ, erga rationalem creaturam habet verum amorem amicitiæ.

St. Q. Duæ partes: 1. quis sit finis secundarius; 2. quis sit amor.

Pars I.

Arg. 1. Sapient. xi. 25. "Diligis omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti." *Atqui* Deus non amat res, quia sunt bonæ; sed quia amat res, ideo sunt bonæ, seu amor causat in ipsis bonum (sicut amor generativus); quod autem causat Deus, hoc intendit. *Ergo* Deus intendit in quavis creatura ejus bonum respectivum; ideoque bonum est finis creationis.

2. Non potest ulli creaturæ esse malum, repræsentare Deum. *Atqui* repræsentatio Dei intenditur. *Ergo.*

3. Creatura rationalis participat vitam divinam per intellectum et voluntatem, ideoque et beatitudinem divinam. *Atqui* hanc creaturam ita viventem creavit immortalem. *Ergo* vult ut ita in æternum vivat.

4. Bonum creaturis volitum est finis secundarius primario subordinatus; nam *a*) illud est finis primarius, quod motivo, i. e., bonitati Dei, primario respondet. *Atqui* proxime respondet participatio bonitatis, i. e., manifestatio, quia hæc dicit proximam relationem ad bonita-

tem divinam, et ex ea nascitur gloria formalis Dei. *Ergo* est finis primarius. *b*) Gloria Dei est bonum Dei; felicitas creaturæ est bonum creaturæ. *Atqui* bonum Dei superat bonum creaturæ. *Ergo.* — Creatura enim est serva Dei; bonum vero servi dirigitur ad bonum Domini.

Pars II.

De amore.

Nota: 1. Amor est unio appetitus ad aliquod conveniens, vel volitio boni. Bonum conveniens, potest vel amanti ipsi vel alteri convenire.— 2. Duplex *amor*: *concupiscentiæ*, est volitio boni in commodum proprium [amantis]; *benevolentiæ*, est volitio boni in commodum alterius [amati]. —3. *Amor benevolentiæ* est vel *simplex benevolentia* seu volitio boni in commodum amati non potentis libere uti, et ita Deus amat creaturas irrationales creando, conservando; vel est *amicitia*, quæ est volitio boni in commodum amati *redamantis.*

Arg. 1. Non est amor concupiscentiæ; nam amor concupiscentiæ supponit appetitum in bonum ex indigentia non ex abundantia ortum, ideoque bonum in quod tendit, vult sibi in quantum vel ad perfectionem vel ad delectationem inservit. *Atqui* Deus creando creaturas non intendit bonum sibi vel perficiens vel delectans. *Ergo.*

Arg. 2. Non est amor concupiscentiæ sed benevolentiæ, si *a*) Deus amat, ut ordo essentialis postulat; *b*) communicat ex abundantia; *c*) gloria externa et ipsum bonum creaturæ a parte rei sint idem, ita ut quo major gloria eo major creaturæ perfectio, et quo major hæc eo major illa. *Atqui* hæc obtinent, ut patet. *Ergo.*

Arg. 3. Deus amans creaturas rationales agit ex motivo charitatis. *Atqui* talis amor pertinet ad genus amicitiæ, estque perfectissimum in amicitia. *Ergo.*

Expl. Maj. Charitas erga Deum in homine in eo est, ut homo amet Deum propter Deum ipsum, et ut omnia alia amet non propter sese nec propter alia ipsa, sed propter Deum, i. e., quia et quatenus ordinem dicunt ad Deum. Estque hæc obligatio pro homine, ut summam bonitatem amet propter eam ipsam, et reliqua, prout ordinem dicunt ad Deum; sicut qui amat pecuniam, amat hanc monetam, non quia finitum quid est, sed quia participat de ratione pecuniæ. Si ergo ratio charitatis in eo est, ut sequatur hunc ordinem, etiam Deus amans secundum hunc ordinem creaturam rationalem, amat eam charitate.

Prob. min. Alio modo artifex bene vult artificio alieno, alio modo artificio a se ipso constructo. In priori casu ratio artis simpliciter movet, in altero vero propria effectio. Simili modo in amicitia amans alteri bene vult propter similitudinem quandam convenientem, et hæc est simplex amicitia; potest etiam bene velle propterea quia illa similitudo ab amante effecta est, ut parentes liberos amant tanquam imagines suas vivas — non ex concupiscentia, neque ex benevolentia pura, neque ex amicitia simpliciter, sed ex charitate: hæc vero charitas producit in liberis commercium filialis charitatis. *Ergo* charitas hæc pertinet ad amicitiam, imo in genere amicitiæ excellens est.

Confirmatur. Neque dici potest casus esse similis huic: Dominus vestit servum suum pretiosissimis vestibus, gemmis, etc., neque ideo eum amat amore amicitiæ. Nam non agit ita erga servum quia est sua imago, ita ut quo magis ad dominum referatur et illi ligetur, eo sit felicior; neque dominus est ultimus finis servi: sed agit vel ex concupiscentia, ut ostendat divitias, vel ex aliqua etiam benevolentia. Præterea, melius conveniret si diceretur, sicut rex omnem suam gloriam ponit in felicitate subjectorum, ita Deus gloriam suam ponit in felicitate suarum creaturarum rationabilium.

Scholium. Homo ex sua parte amat Deum, sicut infans parentes, qui non amat ex mera gratitudine. Quamvis autem amet Deum ex amore amicitiæ, redit tamen in se, quia hoc est de essentia actionis immanentis estque ex hac cognitione et amore Dei beatus; sicut amicus ex amore amici potest esse felix, quin hoc amicitiæ quidquam detrahat. Præterea, homo beatus semetipsum et suam beatitudinem refert in Deum, estque tam sibi quam aliis entibus rationalibus novum objectum, ex quo nova admiratio, novus amor Dei existit.

§ VI.

De natura termini in se considerati.

PROPOSITIO XIX.

Deus mundum creavit 1. libere, 2. *limitatum quoad tempus, locum, perfectionem.*

PARS I.

Deus libere creavit.

NOTA: 1. Duplex necessitas: 1. *naturæ*, ut substantia spiritualis necessario evolvit facultates suas; 2. *facultatis*, relate ad actus suos vita-

les. Priori modo Pantheistæ dicunt mundum ex Deo ortum; altero modo semi-Pantheistæ: Cousin, Laroque (conf. Gatti, vol I. pag. 118. Apolog.), Hermes, Guenther. Omissis Hæreticis aliisque omnibus, qui omnem in Deo libertatem sustulerunt, agimus tantum de recentioribus —Hermes et Guenther,—cum quibus conveniunt Deistæ ceteri.

Hermes statuit: 1. Falsam esse definitionem Veterum, libertatem esse vim electivam; talis enim vis supponeret in Deo ponderationem motivorum, hinc incertitudinem a Deo excludendam. 2. Duo ponit in libertate: *a*) *negativum*, quo excludatur omnis influxus externus, *b*) *positivum*, quo Deus pendet tantum *a se*. Hinc tria concludit: *α*) Solus Deus proprie est liber, quum solus independens, non homo, quia pendet a Deo. *β*) Summa libertas est *summa tantum necessitas ad bonum*; hinc hominis libertas defectuosa, quum et malum possit velle. *γ*) Quando homo maxime sequitur libertatem, maxime sequitur suam rationem et independens est ab influxu sensualitatis. — *Præterea*, quia Deus *benignus* est, sequitur, tot a Deo homini conferri beneficia, quot capere potest homo; quia Deus *sanctus* est, perfecte amat suam creaturam, unde summa bona summo gradu homini conferre debet.

Guentherus statuit: 1. *Libertas in natura spirituali deficiens; necessitas in natura materiali deficiens*; quum vero Deus eminenter utramque habere debeat, statuit in Deo omnipotentiam. Est autem libertas in ente finito deficiens propter duo: *a*) quia potest esse ad bonum et malum; *b*) quia supponit electionem, hinc statum dubitationis. Dubitatio autem oritur ex apparentia motivorum externorum; quare libertas Dei excludit electionem, quum sit independens ab omni influxu externo.

2. Statuit Guentherus mundum unum possibilem; quum sit *contrapositio ad Deum* — *τὸ non-ego* Dei. Contrapositio non est contraria sed contradictoria; contradictorium vero alicujus rei unum tantum est; quare falso Leibnitz asseruit, Deum mundum optimum ex pluribus creasse; falso S. Thomas, Deum plures mundos possibiles intelligere.

3. Statuit præterea mundum, saltem hominem, contrapositionem SS. Trinitatis; quia in mundo apparet *elementum spirituale, elementum materiale, compositio utriusque* in homine; quare humana natura per synthesin contrapositio Trinitatis est.

4. De necessitate creationis docet: Deus se evolvit ad intra sine

mundo, sed ex evolutione sequitur in intellectu idea mundi sicut positio et contrapositio, sicut vox et echo, sicut infinitum generat ideam finiti etc; ideoque Deus contrapositionem naturaliter amat et creat. Præterea in contrapositione Deus novo modo se cognoscit et considerat, fitque sui conscius, vim omnipotentiæ percipit . . , quumque antea fuerit cognitio tantum vaga, fit per mundum tanquam speculum divinitatis clara, sicut homo in speculo vultum suum clare percipit, cujus antea ideam obscuram habuit.

Nota: 2. "*Libertas* est perfecta suique potens spontaneitas." Prosper (libr. contr. Collator.)

Expl. Spontaneitas, quia ex principio interno; *sui potens*, quia omnibus ad agendum prærequisitis agere vel non agere, agere ita vel aliter potest; *perfecta*, hinc excludit coactionem externam et necessitatem internam.—Distinguitur ratione *actus*, qui vel potest poni vel non poni—lib. contradictionis; vel alio modo poni—lib. specificationis; vel secundum bonum et malum poni —lib. contrarietatis: malum et bonum non sunt proprie species ideoque non referuntur ad specificationem.

N. B. Deum liberum esse libertate contradictionis et specificationis, quamvis non sit liber libertate contrarietatis quoad bonum et malum supponitur probatum in tractatu de Deo; quare hic argumenta potissimum contra semi-Pantheistas tradenda.

Arg. 1. Natura divina exigeret creationem, aut quia egeret termino, i. e., mundo vel ad sui perfectionem vel ad sui beatitudinem, aut quia actione egeret ad extra, sicut oculus eget actione videndi. *Atqui* utrumque repugnat: prius, ut patet; alterum, quia tota activitas exhauritur ad intra, ita ut omnis activitas ad extra non novo actu sed eodem actu fiat. *Ergo.*

Arg. 2. Libertas pura est perfectio simpliciter simplex, ita ut omnis imperfectio oriatur ex subjecto, in quo est. *Ergo* remota imperfectione, Deo tribuenda est.

Prob. Ant. Libertas supponit naturam supra bona finita (aliqua) elevatam, ita ut possit bonis illis uti tanquam mediis ad finem suum; supponit judicium dijudicans valorem mediorum; supponit in voluntate vim eligendi secundum beneplacitum et rationem; supponit præterea potentiam exequendi. *Atqui* hæ sunt puræ perfectiones, ita ut nihil ex in-

trinsecis imperfectionis in actum redundet. *Ergo* libertas ex sese est perfectio simpliciter simplex.

Arg. 3. Adversarii supponunt ex parte actus electionem, hinc ponderationem; ex parte termini mundum ut contrapositionem Dei necessariam, unum mundum tantum possibilem ideoque incorrigibilem. *Atqui* hæc omnia absurda. *Ergo.*

Prob. min. Ponderatio supponit imperfectam cognitionem tum finis, tum medii, tum relationis medii ad finem. *Atqui* talis non est in Deo ponenda. *Ergo* nec ponderatio.—Ex parte termini—mundus non est contrapositio per modum contradictionis; aliud enim est deficere, aliud contradicere. — Falso supponitur Deum uti mundo ut speculo ad sese cognoscendum. — Falso quoque supponitur unum mundum tantum possibilem, quum evidenter alii homines possibiles sint, hi vero, qui existant, non sint necessarii. — Falso denique, mundum ~~hinc~~ incorrigibilem, quum mala moralia tantum per accidens, hinc et multa mala physica peccatorum effectus existant, quæ omnia abesse deberent.

N. B. Rationes adversariorum sunt solutæ argumentis propositionis.

Quæritur, in quonam consistat actus liber creationis.

Nota: 1. Distinguendum est inter libertatem et ejus exercitium. Libertas est perfectio interna Dei, i. e., indifferentia voluntatis erga plura eligibilia.

Expl. Ponuntur duo: indifferentia voluntatis; termini eligibiles. Hinc non pertinet ad libertatem, num per actus superadditos voluntati, an per voluntatem (si sit actus) immediate respiciantur termini. Decidendum hoc est ex natura voluntatis vel finitæ, vel infinitæ vel voluntatis ut potentiæ, vel voluntatis ut actus.

2. Indifferentia illa debet tolli per exercitium, quo determinatur, quod ex pluribus eligendum.

3. Deus amans suam essentiam vult etiam possibilia eodem actu, sed diverso modo.

Expl. Si patrem amamus, consequenter etiam amamus quæ cum patre cohærent, liberos, domesticos, vestimenta etc., sed diverso modo. Si liberi etc. non adessent, maneret amor erga patrem idem. Præterea eodem amore liberi aliter attinguntur, quam servi domestici, quam vesti-

menta etc; *hinc diversitas est ex parte termini connotati.* Accedit, quod propter amorem erga patrem possumus liberis etiam varia velle; unde si supponatur amor erga patrem necessarius, potest tamen circa connotata esse liber, cujus ratio ea est, quod non exhauritur amor circa connotata, unde alii actus possibiles. Deus igitur amans (necessario, ut exhauriatur amor) suam essentiam attingit possibilia eodem actu, sed diverso modo; unde circa possibilia diversi actus possibiles. Indifferentia igitur seu libertas est relate ad hos actus.

4. Quodsi Deus connotative attingit possibilia per actum simplicis complacentiæ, quæritur, quomodo actus efficaciæ possit accedere; qua in re tota versatur difficultas. Unde notandum quam maxime:

a) Nos cognoscimus voluntatem nostram, quæ potentia est, et actum voluntatis, quo alicui bene volumus; et hunc conceptum transferimus ad Deum ejusque voluntatem dijudicamus. Sed falsum hoc; nam si nos amamus nos, i. e., nostrum esse, non amamus nostrum esse ut actum, quia non est actus; neque voluntas nostra actus est. Sed esse divinum est actus purus; amat igitur suum actum; voluntas ejus actus est; unde actus amat se ut actum. Hinc quando externa attingit, semper actus est qui illa attingit, non potentia ut in nobis. *Actus autem immediate attingit terminum.*

b) Hoc autem potest, quia actus in Deo non est accidens, sed *substantia.* Si videmus arborem, visio ipsa immediate attingit arborem; oculus vero mediante visione: quodsi actus visionis esset talis, ut simul et oculus et visio esset, i. e., *substantia et actio simul*, immediate attingeret arborem. Item, si alteri volumus bonum, voluntas non immediate sed actu voluntatis attingit bonum: quodsi volitio boni esset simul voluntas et actus, immediate attingeret bonum; et quia talis actus sub eo respectu, sub quo voluntatem comprehenderet, recte vocari posset voluntas, posset dici voluntas immediate attingere objectum.* Hinc sequi-

* Visio, volitio, non potest videre se, nec velle se; quia est accidens. Si vero τὸ velle ut *actio* et *voluntas* et *substantia* animæ esset *unus actus*, hinc actus substantialis, posset velle se.

Voluntas non esset potentia sine actu, sed esset in ipso actu reponenda, ita ut actus esset potens. Ubi autem actus potens est, ibi *a*) potentia immediate respicit terminos. *b*) *Indifferentia* erga terminos est in actu non in potentia reponenda, hinc et libertas. *c*) Si agit, non mutat prius se sed agit immediate ad extra, ita ut ad extra solum sit mutatio.

tur: *si actus agit et producit terminum, non agit prius in se, sed immediate ad extra.* Quare si Deus, qui actus est, præter simplicem complacentiam efficaciam vellet circa aliqua ex possibilibus, immediate ageret ad extra et eadem possibilia ut alios terminos attingeret.

c) Ubi actus est idem ac potentia et substantia, ibi actus est *infinitus*; quod enim omnem potentiam internam excludit, infinitum est. Actus autem infinitus talis est, ut

1. Per se ipsum immediate agere debeat ad extra. — *Expl.* Quum actus sit motus quidam, comparemus eum cum motu locali. Si per absurdum, motus fingatur in rota infinitus, certe si rota posset novum motum producere, eum non in se produceret, sed immediate ad extra, non ratione motus, sed ratione infinitudinis in motu.

2. Actus simplicissimus, infinitus, debet per se unum posse, quod infinite multi actus separati possent. Est enim ea lex, ut actus superioris ordinis possit per se unum id, ad quod in inferiore ordine plures actus requiruntur. Hinc ubi creatura deberet novos actus ponere, ibi *unus* actus divinus sufficit.

Hinc solvuntur aliquæ difficultates.

1. Indifferentia passiva, v. g., in ente possibili, quod potest creari et non creari, est magna imperfectio. *Ergo* a pari indifferentia activa, in qua consistit libertas; unde in Deo admitti nequit.

2. "Bonum est diffusivum sui;" *ergo* a fortiori bonum infinitum. *Ergo* diffusio in creaturas necessaria. — Libertas dein ita explicari potest, ut impellatur Deus ad agendum et communicandum se ad extra in genere, liber vero sit quoad speciem et individua; sicut oculus impellitur ad aliquid videndum, per imperium vero voluntatis dirigitur ad hoc vel illud videndum. (Refutationem vide in argumentis.)

3. Deus necessario vult suas virtutes intrinsecas, benignitatem, liberalitatem, justitiam, providentiam ... *Atqui* non potest illas virtutes velle, nisi terminos producat erga quos. *Ergo.*

Respondetur ad 1. Passiva indifferentia summam *dependentiam* dicit; nihil enim habet a se, hinc omnia a causa: activa indifferentia summam *independentiam;* quum enim omnia habeat a se, non debet agere, ut aliquid acquirat.

Ad 2. "*Bonum est diffusivum sui*" potest duobus modis sumi: *a*) bonum in se *ontologice spectatum; b*) in ente illo, in quo bonum est

quatenus producit inclinationem sese communicandi. Jam *quoad a*) Bonum habet rationem finis; quoad finem vero triplex status possibilis, prout res conveniens ad finem, vel contra finem, vel indifferens ex sese est, per voluntatem vero ad finem dirigi potest. Jam vero quod indifferens est, potest fieri ratione finis bonum; unde bonum [finis] potest se communicare indifferenti idque facere bonum et appetibile. In ordine autem veritatis, quum verum non sit indifferens, sed aut verum aut falsum, veritas se communicare non potest; unde verum non est diffusivum sui. *Quoad b*) Producitur in ente quod possidet bonum primo quidem *aptitudo* ad communicationem, hinc et in divina essentia aptitudo est, seu fœcunditas; dein vero exercitium communicationis sequitur naturam entis; v. g., in entibus necessario agentibus communicatio fit necessario; in ente libero, — in homine, angelo, — fit libere seu rationabiliter, i. e., propter rationes. Potest igitur inhiberi vel exerceri, prout homo vult. A fortiori hoc obtinet in Deo.

Ad 3. Attributa illa,— benignitas, justitia, providentia — sunt attributa relativa, hinc supponunt alios terminos existentes: sicut si homo pater est, debet providere liberis; non autem debet, ut possit aliquando providere liberis, fieri pater. Supponatur homo ditissimus, qui nullos miseros, pauperesque habeat secum; talis non potest esse benignus vel misericors, non ratione sui, sed ratione pauperum vel miserorum, qui non existunt. Attributa igitur illa sunt in Deo secundum aptitudinem absolute; secundum exercitium tantum hypothetice, i. e., si existunt termini.

Pars II.

Limitatus est mundus quoad durationem.

Rationes dubitandi: 1. Ecclesiastes, i. 4. "Generatio præterit, et generatio advenit; terra autem in æternum stat." *Ergo* videtur et ab æterno stare.

2. Posita causa, ponitur effectus; *ergo* si ab æterno Deus fecit decretum, ab æterno fuit posita causa.

3. Si Deus creasset mundum in tempore, non esset ab æterno creator. *Atqui* est ab æterno creator: est enim ab æterno causa per æternum decretum; præterea, dicitur ab æterno dilexisse creaturas, "*chari-*

tate perpetua dilexi te." Jerem. xxxi. 3. *Atqui* charitas Dei non supponit bonum, sed facit. *Ergo* ab æterno fecit.

Arg. 1. *Ex S. Scriptura.* Joan. xvii. 5. "Clarifica me, tu Pater, apud temetipsum claritate, quam habui, priusquam mundus esset, apud te." Et, loc. cit., v. 24. "Quia dilexisti me ante constitutionem mundi." *Atqui* si esset mundus coæternus Deo, non possent verificari conjunctiones istæ *priusquam, ante,* quæ successionem in ordine temporali significant. *Ergo.*

Arg. 2. *Ex Patribus.* S. August. (l. 12. de Civ. Dei, c. 15. n. 2.): "Tempus, quoniam mutabilitate transcurrit, æternitati immutabili non potest essse coæternum, ... et angeli Creatori . . . . coæterni esse *non* possunt." —Joannes Philoponus (adv. Procli argumenta pro æternitate mundi duodeviginti solutiones.): "Nos ipsi etiam assumimus, quod mundus ab æterno non exstitit, id minime inopiæ cuidam bonitatis vel potentiæ in Deo adscribendum esse, sed mundum ideo non fuisse ab æterno, *quia non potuit ab æterno esse.*"

Cf. S. Aug. (de Fide, c. 27.; contra Faust. l. 22. n. 4.); Zacharias Mytil. (in dialogo, quod mundus non sit ab æterno); Theodor. Tarsens. (apud Photin. cod. 223.); S. Basil. (Hexæm. hom. 1. n. 56.); S. Chrysost. (Hom. 1. in Joan.); S. Ambros. (in Hexæm. præf. cont. Peripat.); S. Fulgentius (de Fide ad Petrum c. 3.); S. Basilius (contr. Eunom. l. 2.); S. Joannes Damascenus (de Fid. Orthod. l. 1. c. 8.); S. Athan. (Orat. 2. cont. Arianos); Cyrill. Alexandr. (thes. 32.); Maxim. Martyr. (de Charit. c. 6.)

Arg. 3. *Ex Conciliis.* Lateranense IV.: " . . . . sua omnipotente virtute simul *ab initio temporis* utramque condidit creaturam. . . . . "

Idem repetit Vatic. (Constit. "*Dei Filius*"): ". . . . liberrimo consilio simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam."

Resp. ad obj. Ad 1. Terra stat in æternum, postquam creata est, sicut anima humana in æternum vivit, postquam creata est. Præterea, *in æternum* potest significare in tempus longissimum nobis incognitum; vel etiam successionibus rerum non attingitur.

Ad 2. Quamvis ab æterno Deus decreverit creare, tamen effectus non sequitur nisi in tempore, quia effectus causæ liberæ fit secundum propositum voluntatis quoad locum, tempus, etc.; v. g. dicere potest aliquis: Hodie volo, ut cras fiat.

Ad 3. Deus non est ab æterno creator, quamvis ab æterno diligat. Ratio est, quod denominatio creatoris sumitur ab effectu, sed denominatio amantis videntis sumitur tota ab actu immanente: actus autem immanens intellectus et voluntatis non supponit objectum semper in esse physico sicut denominatio *creantis*. Licet igitur charitas Dei conferat bonum, tamen non requiritur, ut id fiat ab æternitate.

Quæritur, num Deus mundum potuerit creare prius.

Resp. Distinguendum est. Si supponamus mundum creatum ideoque certum tempus incepisse, potest dici relate ad hoc tempus potuisse mundum creari prius; si hoc non supponitur, sed quæstio absolute ponitur, dicendum, non potuisse creari prius.

Expl. Supponamus Deum quasi centrum alicujus circuli. Si ex centro in peripheria aliquod objectum ponat, quod punctum occupet, potest ante hoc punctum aliud poni; si vero nullum punctum occupatum præsto sit, non potest prius poni; quod enim primum et solum est, non est prius. – Eodem modo quæstio solvenda de spatio, num alio loco potuerit Deus mundum creare; vel etiam num sciat Deus, si annihilare vellet mundum, ubi antea fuisset. Scire vero hoc non posset, quia mundo annihilato, esset spatium imaginarium; in tali vero spatio nulla distinctio.

N. B. Mundum esse finitum quoad extensionem supponitur probatum in philosophia. Restat, ut probetur esse finitum quoad perfectionem.

Nota: 1. Bonitas divina non est unum particulare attributum, sed est absolutissimum omnium attributorum et perfectionum divinarum complementum. Quare in quacunque linea perfectionum aliquod ens ad participationem vocat, illi enti aliquod bonum confertur, quare Gen. i. 31. "Viditque Deus cuncta quæ fecerat; et erant *valde bona*." Quæritur vero, num ita bonum Deus fecerit Universum, ut non potuerit facere melius Universum. Qui negant in Deo libertatem, eo ipso mundum hunc optimum esse censent. Sed alii sunt, qui admittentes in Deo libertatem nihilominus optimum hoc Universum esse statuunt, ut inter veteres Abelard, Wicleffus, Calvinus, Leibnitzius, Bajus, Jansenius, Guentherus, etc.

2. Rationes adversariorum: *a*) Deus amat suam essentiam amore maximo. *Atqui* amor maximus postulat, ut maximum bonum, hinc

maximam gloriam etiam illi velit, qui tantum ex mundo optimo nasci potest. *Ergo* debuit Deus velle et creare mundum optimum. *b*) Optimum ens semper optima agit; *ergo* Deus optimum mundum creavit.

Nihilominus—Conclusio: Licet repugnet mundum *absolute* optimum creari, concedendum tamen est, mundum *secundum quid* optimum esse. — Duæ partes: 1. Repugnat *absolute* optimus mundus. 2. Non repugnat *relative* optimus.

Pars i.

Absolute optimus repugnat.

Arg. 1. Repugnat maximum inter finita; ergo repugnat mundus maximus seu optimus.

Arg. 2. Repugnat exhauriri imitabilitatem Dei ejusque omnipotentiam. *Atqui* per mundum optimum esset ex aliqua parte exhausta; esset imitabilitas Dei terminata per terminum finitum; essetque ex eadem ratione exhausta omnipotentia per terminum finitum. *Ergo.*

Arg. 3. Profecto mundus tam in ordine physico quam morali tot admittit mala, ut ridiculum videatur, non posse esse meliorem.

Pars ii.

Relative optimus non repugnat.

Potest mundus considerari respectu *originis* et *in se ipso.*

1. Sub respectu originis refertur ad Deum ut causam efficientem, finalem, exemplarem. *Ergo* respectu originis est mundus optimus, ita ut melior sit impossibilis.

Prob. conseq.—Deus creavit omnipotentiâ et sapientiâ infinita; unde actio creativa ex parte Dei est infinita, quamvis terminus finitus sit. Dei bonitas est infinita; hæc vero est ultimus finis simpliciter. Deus est per essentiam suam exemplar ultimum; sed hoc est infinitum. Exemplar proximum est idea totius Universi. Atqui exemplar immediatum seu idea, quamvis relate ad essentiam divinam æquivocum aliquod exhibeat, tamen relate ad mundum prorsus ita convenit, ut in *creatione* inter mundum et ideam mundi perfectissima sit harmonia. *Ergo.*

2. Si mundus in se consideratur, potest considerari

a) Vel relate ad illum gradum perfectionis et gloriæ suæ externæ,

quem Deus voluit, et ad hoc est medium optimum, ita ut melius medium non sit possibile.

b) Vel in singulis componentibus, et tunc quoad essentiam est optimus, quia Petrum secundum essentiam Deus non potest facere meliorem: sed quoad accidentia potest facere meliorem; Petrus accidentaliter melior esse potest.

c) Vel quoad totum, in quantum omnia per leges simplicissimas conspirant in unum totum systema; secundum S. Thom. (1. 25. a. 6. ad 3.) hæ substantiæ, quæ actu creatæ sunt, non poterant melius ordinari: *"Sicut enim si una chorda plus debito intenderetur, corrumperetur citharæ melodia, ita si unum aliquod esset melius in systemate mundano, corrumperetur proportio totius."*

d) Vel secundum genera et ordines; etiam sub hoc respectu mundus optimus est.—*Prob. min.* *α*) *quoad genera.* Quinque enim sunt genera rerum, quibus omnis possibilium multitudo continetur: ea, quæ esse et agere, sed non vivere possunt; ea quæ et esse et vivere possunt; ea, quæ et esse et vivere et sentire possunt; ea, quæ et esse et vivere et intelligere possunt; ea denique, quæ præter esse vivunt tantum spiritualiter. *Atqui* licet in singulis generibus alia aliis possint esse perfectiora, nihilominus nec ultra gradum intelligibilem alius possibilis melior, nec infra anorganicum alius inferior. *Ergo* quum omnes isti gradus in mundo sint creati, patet non potuisse sub respectu generico Deum melius quidquam facere. *β*) *quoad ordines.* Tres sunt ordines: *naturalis, supernaturalis, unitivus. Atqui* præter hos ordines non sunt alii possibiles. *Ergo.*—Accedit, quod in ordine unitivo, qui per lumen gloriæ fit, speciali modo Beatissima Virgo secundum dignitatem maternitatis non potuit melior creari, quamvis ut creatura finita melior esse potuisset; nec a fortiori humanitas Christi, quæ per suam conjunctionem totam creationem per omnes gradus in scala entium immediate ad Deum refert. Quod igitur in ordine possibilitatis ideali modo cum Deo nectitur, hoc in Christo homine continetur et physice secundum repræsentationem omnium generum gradumque rerum.

3. Ita intelligendi sunt Patres. S. August. (l. 3. de Lib. Arb. c. 5.): "Quidquid tibi vera ratione melius occurrit, hoc scias fecisse Deum." (i. e. quod tibi aptius ad finem occurrit.)—Basil. (hom. 9. quod Deus non est auctor malorum.) . . . "Nihil eorum, quæ nobis accidunt, ma-

lum est, aut tale ut melius illo aliquid excogitare quæramus." (i. ë. aptius ad finem secundum œconomiam divinam.)—Damasc. (l. 2. c. 29.) docet omnia optima et decentissima fieri, "*ut non possint ea melius fieri.*" (i. e. secundum genera et ad finem.)—S. Chrysost. (in I. Cor. hom. 12.); S. Cyrillus Alex. (l. 3. Cont. Julian.); Auctor libri de Vocatione Gentium (c. 17.); S. August. (l. 1. Cont. Adversar. Legis et Prophet. c. 14.) —Cf. Palmieri (de Deo Creante, pag. 115.); Ruiz (de Voluntate Dei, Disp. 9.)

Resp. ad object. *Ad a*) Deus amat suam essentiam ut abundantem et fœcundam et hinc ut plane sufficientem sibi; non autem ut indigentem, hinc ut imperfectam, ita ut debeat eam desiderare ut perfectam. Ideo non debet ipsi summam gloriam imo nullam externam et accidentalem desiderare, tam parum quam parum alter alteri imagines possibiles omnes desiderare debeat.

Ad b) Optimum ens semper optima agit secundum *motiva, C.*, secundum *terminos, N.*—Præterea, omnis periret libertas tam quoad actionem creationis quam quoad terminum.

Scholium. Quæritur, num Deus ita mundum constituere potuerit, ut omnes creaturas rationabiles permitteret in æternum perire? Negandum est; quia tunc gloria externa Dei, quæ potissimum in intelligendo, amando, laudando consistit, deesset in æternum. Etenim et tormenta damnatorum debent ad hoc inservire, ut justitia et misericordia Dei in illis agnoscatur, laudetur, etc. Cf. S. Anselm. (l. 2. cur Deus homo, c. 4.)

ARTICULUS III.

DE ANGELIS.

1. Deus gloriosus in vita intellectuali summus est et per essentiam unus; anima humana infima est tangens inferiora; intermediæ substantiæ absolutæ sunt, quæ angeli vocantur.

2. Distinguenda in angelis ratio officii et ratio naturæ, sicut in milite ratio militis et hominis. — *Ex officio* denominantur angeli (ἄγγελοι), sicut miles ex officio denominatur miles. Possunt et alii ad idem assumi munus, vel ad unum mandatum transferendum, vel ad munus, sicut Moyses, Num. xx. 14., mittit nuntios (ἀγγέλους). Num. xx.

16., Moyses ipse vocatur angelus ex munere perpetuo; Malach. iii. 1., Christus vocatur *Angelus testamenti;* Matth. xi. 10., Joannes Bapt. dicitur *angelus* ante faciem Domini; Apoc. i. 20., Episc. sept. Eccles. nominantur *angeli* earum ecclesiarum.

Ex natura sunt "*substantiæ spirituales completæ a Deo creatæ.*" — N. B. Licet definitio *clara* sit, utpote distinguens angelos ab omni alio, i. e. a Deo et anima humana, non tamen satis *distincte* notas internas exprimit. Cf. Palmieri (de Angel. n. 1. in tract. de Deo Creante.) — Uberior explicatio postea.

3. *Existentiam* angelorum negabant Sadducæi (Actus xxiii. 8.) et Samaritani qui et Deum ponebant habere corpus (Epiphan. in hær. Samarit.); sæculo XVI., Quinctĭnus et Coppĭnus Libertinorum duces; postea Anabaptistæ, qui angelos ponunt nihil aliud esse nisi virtutes Dei a variis Dei ad extra operationibus vocatas. Negant nunc omnes Pantheistæ, etc. Præterea multi *Deistæ* dicentes a Zoroastre, reformatore Parsismi inter Persas, 600 a Ch. n., hanc de angelis doctrinam a Judæis et Christianis assumptam esse.

4. Quæritur quid veteres de intermediis substantiis inter Deum et homines senserint. Veteres philosophi, qui theogonĭas conscripserunt, vocant ejusmodi substantias δαίμονας etiam θεούς, Latini *genios;* v. g. Hesiod. l. 1. Plato in *Timæo* ponit præter deum summum inferiores deos stellarum orbitis annexos, imo ipsas stellas aliquando deos putat, qui ex sese dissolubiles, ex voluntate tamen summi dei immortales sint. Hanc doctrimam Alcinous cc. 14. 15. 17. exponit, ubi præter deum omnium secundo loco ponit deos qui sideribus præsideant, tertio loco dæmones per elementa distributos; ab illis docet confici omnia corpora, etiam homines. In "*Convivio*" sub persona Diotĭmæ ponit inter Deum, genus immortale, et mortale genus, medios alios, quorum officium sit, inter Deum et mortale genus hominum esse internuntios, ut mandata Dei ad homines, hominum vero preces et sacrificia ad Deum referant. (*θεὸς δὲ ἀνθρώπῳ οὐ μίγνυται, ἀλλὰ διὰ τούτου πᾶσά ἐστιν ἡ ὁμιλία*). Hinc Tertull. (in Apologetic. c. 22.) et Cyprianus (lib. de Idol. Vanit.) censent Platonem posuisse angelos existere. Referuntur huc a Clemente Alex. ex Orphei carminibus: "Throno tuo ignito adstant laboriosi angeli, quibus curæ est, quemadmodum a mortalibus omnia gerantur." Hierocles (in Commentario ad aurea carmin. Pythagor.) vocat eos im-

mortales deos: "Immortales primum deos, lege ut ordinati sunt honora." Cf. Petav. (de Angel. l. 1. c. 1.)

§ I.

De Existentia Angelorum.

Rationes dubitandi:

1. Videtur anima humana esse ultima in genere intelligentium creaturarum, quia totam creationem in se comprehendit et finit, ita ut recte vocetur homo *microcosmus*.—Ergo angeli non assumendi sunt.

2. Est figmentum mentis humanæ. Mens enim prona est, ut in omni re quam non intelligit ponat vim aliquam personalem; v. g., in aqua, in igne, in arboribus, in aere, sicut ex mythologia Paganorum. Accedit, quod in ipsa Scriptura Sacra, Apoc. xiv. 18., sit sermo de *angelo ignis*, ibid. xvi. 5. *de angelo aquarum*, et xi. 9. de *angelo abyssi*. Act. vii. 30. *ignis flammæ* rubi vocatur angelus Dei. — Cf. Georg. Rosenmueller (Scholia in N. T. in c. 1. Matth. et c. 2. Lucæ.)— Insuper archangeli Michael (Daniel, x. 13. et xii. 1.), Gabriel (Daniel, ix. 21.), Raphael (Tobias, iii. 25.) innotuerunt in captivitate Babylonica; *ergo* ex commercio cum Chaldæis translati sunt. Chaldæi enim et Persæ permultos angelos admiserunt.

PROPOSITIO I.

Constat ex documentis revelationis præter humanam etiam angelicam naturam creatam esse.

Arg 1. In tota historia populi electi, maxime vero in adventu, vita, morte, resurrectione Domini apparent, loquuntur angeli. *Ergo* existunt angeli intelligentes et agentes ut supposita.

Prob. Ant. Tempore patriarcharum angelus apparet Agar mandans ut revertatur ad dominam Sarai, Genes. xvi. 9.; apparet angelus Abraham, Gen. xxii. 11.; angeli salvant Loth, Gen. xix. 1.; apparent angeli Jacob, Gen. xxxii. 1.

* Sicut in omni ente collectivo denominatio totius speciali modo attribuitur classi infimæ in oppositione ad superiores in collectione, v. g., vox *milites* designat totam militiam, et duces et alios, in specie vero milites gregarios; *cives* dicit totam civitatem, in specie vero cives simplices; item populus: sic etiam in angelis tota angelorum collectio vocatur angeli, et in specie angeli ultimi gradus. Ratio est, quia pro superioribus alia præter communem est denominatio; pro infimo vero communis sola est.

Tempore exodi Israel et postea. Angelus præcedebat castra Israel, Exod. xii. 19., xxiii. 20, xxxiii. 2.; apparuit angelus Gedeon, Jud. vi. 12.; apparuit David, II. Reg. xxiv. 17.; Eliæ prophetæ, III. Reg. xix. 5.; comitatus est angelus Tobiam (lib. Tobiæ).

Tempore Christi, cujus adventum præparabant, Luc. i. 11.; cujus nativitatem celebrabant, Luc. ii. 13.; cui in vita assistebant, Matth. iv. 11.; cujus resurrectionem amnuntiabant, Matth. xxviii. 5. — *In Actibus* angelus Cornelio apparet, Act. x. 3.; Petrum liberat (Act. xii. 7.)

Atqui toto illo commercio cum hominibus loquuntur, agunt etc. ut supposita. *Ergo.*

Arg 2. *Ex patribus.* Hermas (Pastor l. 1. vis. 3. c. 4.) describit Ecclesiam triumphantem, quam ædificant sex ex præcipuis angelis, quibus ministrant plura aliorum angelorum millia.—Clem. Rom. (Epist. 1. c. 34.): "Attendamus ad universam angelorum ejus multitudinem." Cf. etiam Dionys. (de Cœlesti Hierarch. c. 4.); Irenæum (adv. Hæres. l. 4. c. 34.); Just. (Apol. 1. n. 6.)

Arg. 3. *Ex Conciliis.* Lateran. IV. sub Innoc. III., cap. "*Firmiter*" ait: "Creator omnium .... utramque de nihilo condidit creaturam .... angelicam ... et mundanam."—Idem repetit Vatic. (Const. "*Dei Filius,*" c. 1.)—Quare doctrina *de Fide* definita est.

Arg. 4. *Ex Ratione.* — A. *Ex parte Dei. a*) Convenit, ut Deus, si vult se manifestare ad suam gloriam, illud imprimis manifestet, per quod potens est ad agendum, i. e., intellectum et voluntatem. *Atqui* talis manifestatio seu expressio in creatura aliqua et assimilatio obtinetur in angelis. *Ergo* convenit, ut Deus creet angelos in Universo. — *Expl.* Si ignis vellet se non solum utcumque, sed modo conveniente manifestare, certe non calefaceret lignum: quænam enim similitudo inter lignum calefactum et ignem? Calefactio enim per modum vestigii aliquam causam exhiberet, non vero nobis ostenderet ignem ipsum. A pari possent aliæ creaturæ nobis manifestare causam aliquam, non tamen ostenderent qualis ista causa esset. – Hæ utiq. "sed non satis perfecte modo.

b) Convenit, ut sint creaturæ, quæ similiter agere possint ac Deus. *Atqui* Deus est agens subsistens per intellectum et voluntatem. *Ergo* convenit, ut sint similes creaturæ, i. e., angeli.—*Ad Maj.* Quod in domo sunt filii,—imagines vivæ patris hoc sunt in Universo angeli—imagines

vivæ (analogice) Dei. Quando igitur Deus totum Universum creet in sui similitudinem, convenit ut etiam imagines producat.

c) Duobus modis repræsentari Deus potest, *rebus* et *actibus*, i. e., ut in rebus existat sui similitudo, et ut in actibus intellectus et voluntatis existat ut terminus intellectus et amatus. *Atqui* convenit, ut utroque modo (i. e. realiter et intentionaliter) sit Deus in mundo expressus. *Ergo.*—Talem autem assimilationem tantum angeli et animæ humanæ efficiunt: animæ vero humanæ valde imperfectæ; præterea non sunt solum ad id, ut habeant talem vitam, quæ tota sit in illa repræsentatione (vivit enim vegetative et sensitive et intellective.) Ergo convenit ut sint angeli, quorum totum esse et agere in tali repræsentatione consumatur.

B. *Ex parte termini. a*) Angeli sunt corona Universi. *Ergo* convenit esse.—Sicut enim esse materiæ in infimo gradu existit purum, ita et esse intelligere convenit existere purum in summo gradu.

b) Supponamus animam humanam solam repræsentare gradum intellectivum: esset iste gradus admodum imperfecte repræsentatus; esset repræsentatus per spiritum non purum, quum corporale secundum destinationem haberet admixtum; esset naturâ incompletâ repræsentatus. *Atqui* non convenit, inferiores gradus perfecte, pure et complete participari, summum gradum incomplete. *Ergo.*

c) Si anima tantum humana in altera vita esset, certe valde disconveniens esset, per incompletas naturas immortales totum ordinem vitæ summæ participari.

Arg. 4. *Ex experientia.* Multa invenimus in mundo ab agentibus supra ordinem visibilem effecta, v. g., quando homines rustici et mulieres linguas ignotas loquuntur, annuntiant dissita, futura, etc., quæ per se scire non possunt. *Ergo* sunt ejusmodi agentia. Non enim Deus est, ut ex fine, modo, etc., satis elucet.—Non esse angelos bonos sed dæmones, quamvis id probandum hic non sit, facile tamen evinci potest ex modo, ex fine, ex hominibus, qui talia agunt, etc.

Resp. ad obj. Ad 1. Anima humana non est suprema, quia ordo et vita summa non possunt tam imperfecte repræsentari. Quodsi S. August. (QQ. 83. q. 54. et lib. de Quantitate Animæ, c. 4.) animam dixerit Deo propinquissimam, postea (Retract. l. 1. c. 26.) correxit, dicens me-

lius se debuisse dicere, loco animæ, creatum spiritum Deo propinquissimum.

Ad ℣, Si ab Adam usque ad Moys. oralis traditio medium doctrinæ sacræ, per omnes gentes divulgandæ, erat, patet debuisse, quamvis in aliquibus esset oblivioni data, in pluribus tamen adhuc inveniri licet obscuratam; quemadmodum radius solis per multa media transiens paulatim a recta via aberrat et obscuratur. Dein denominatio angelorum sumitur ab operibus eorum, unde si opera eorum innotuerunt tempore captivitatis Babylonicæ, recte tum primum nominabantur: v. g.,

Michael—*quis ut Deus*?—(*Mi*, quis?— *Ch.* præf., sicut — *El*, Deus.)

Raphael—*sanatio Dei* (*Rapha*, sanatio—*El*, Deus.)

Gabriel—*vir Dei* (*Geber*, vir—*El*, Deus.)

Esse angelos figmentum mentis infirmæ ideo quod Pagani simili modo finxerint deos suos est æque absurdum ac si quis diceret, ex eo quod finguntur animalia quandoque sequi non posse esse homines loquentes; vel ex eo quod sint falsi dii—figmenta—sequi non esse verum Deum. Si enim possibilis angelus est, pendet a Deo num creatus sit; et si sit creatus, pendet a Deo num revelet, se eos creasse. Quodsi per revelationem constet, esse angelos; potest ratio per se idem confirmare. Angeli vero Apocalyp.— ignis, aquarum etc.—sunt illi, quibus datum fuit, in fine mundi per illa elementa "*nocere terræ et mari*:" Angelus in flamma rubi fuit Deus apparens Moysi; alibi vocatur Angelus testamenti.

Obj. *Coroll. Ergo* falsum est, angelos non esse creatos, sed esse emanationes Dei, ut volunt Cerinthus, Carpocrates, Saturninus et Gnostici generatim sicut etiam Manes. (S. August. contr. Faust. 15. 5.)

PROPOSITIO II.

Quod tempus creationis attinet, angeli tanquam pars universi simul cum universo creati sunt.

Obj. *St. Q.* Multi PP. præsertim Græci censent angelos ante mundum hunc creatos. Origen. (in Gen. Hom. 1.; in Is. Hom. 4.): *πρὸ τῶν αἰώνων*. Item Basil. (Hexæm. Hom. 1. n. 5.); Gregor. Naz. (Orat. 3. nn. 28. 45.); Chrys. (in Gen. Hom. 2.); Joan. Damasc. (de Fide Orthod. 2–3.); Hilar. (de Trin. 13. 1.; contr. Auxent. Arian.); Hieronym.

(Ep. ad Tit. c. 1.) scribit: "Quantas sæculorum origines ante mundum fuisse arbitrandum est, in quibus Angeli, Throni, Dominationes, ceteræque virtutes servierunt Deo?" —Argum. eorum sunt: *a*) ex Job, xxxviii. 7., xl. 14. *b*) Princip. philos. Platon.: *τὰ νοητὰ τῶν αἰσθητῶν εἶναι πρεσβύτερα.*— Philo Judæus, Eucherius, etc., docent angelos post homines creatos. Refutat eos S. August. (de Civit. Dei, l. 11. c. 9.). Res patet ex S. Script. præsertim Job, xxxviii. 7. — PP. plurimi præsertim Latini docuerunt, simul cum universo angelos creatos. Aug. (Civ. Dei, l. 9. cc. 8. 9.); Theod. (in Gent. q. 4.); Epiphan. (Hær. c. 65. nn. 4–5.); Gennad. (Dogm. Eccl. c. 10.); Athan. (QQ. ad Antioch. q. 3.)

Arg. 1. *Ex S. Scriptura.* Exod. xx. 11. "Sex diebus fecit Dominus cœlum et terram et mare et omnia, quæ in eis sunt." *Atqui* inter ea, quæ *in cœlo* sunt, sunt etiam angeli. *Ergo.* Cf. Prov. viii. 22.

Arg. 2. *Ex Patribus.* Epiph. (Hær. 65.): "Illud evidenter sermo divinus declarat, neque post sidera productos angelos, neque ante cœlum terramque constitutos."

Arg. 3. *Ex Conciliis.* Conc. Lateran. IV. definivit Deum utramque naturam, angelicam et mundanam, "*simul ab initio temporis*" creasse. —Conjunctio *simul* potest significare vel tempus vel modum, ut sit idem ac *pariter*, e. g. Ps. xlviii. 11. "*Simul insipiens et stultus peribunt,*" i. e. eodem modo. *Atqui* in utraque acceptatione significare tantum potest simultatem temporis: in priori patet; etiam in altera, si sumitur pro *pariter*, quia verba quæ sequuntur, "*ab initio temporis,*" satis declarant quo sensu *pariter* [simul] sumendum sit, i. e., pariter ab initio temporis; eodem modo; sicut unum, ita et alterum ab initio temporis creavit. *Ergo.* N. B. Tempus hoc loco est tempus mundanum ut patet.

Arg. 4. *Ex Ratione.* Regnum angelicum est pars Universi. *Atqui* non convenit ut pars separatur a toto. *Ergo.* — Præterea, is ordo est, ut inferior classis cohæreat cum superiore, homo itaque cum anima sua cum angelis. *Atqui* ordo talis postulat, ut scala entium ordinatorum sit integra, non vero defectuosa. *Ergo.*

Scholium de nota Propositionis.—S. Thomas (in Opusc. 19. [alias 23], cui titul. in Decretal. 1. Expositio ad Archidiac. Tridentinum), docet Concil. Lateran. tantum voluisse excludere errorem Origines ponentis "quod Deus a principio creavit solas spirituales creaturas, et postea, quibusdam earum peccantibus, creavit corpora;" qui error excluditur ver-

bis: *'simul ab initio temporis* utramque naturam condidit . . angelicam et humanam . . .' Præterea errorem Aristotelis ponentis omnia a Deo producta (?) sed ab æterno, hinc non ab initio temporis, excludunt verba: *'ab initio temporis.'* — Hinc sequeretur, verbis: *'simul ab initio temporis'* excludi tantum errores, nihil vero definiri, num simul cum mundo an ante fuerint creati angeli. — Alibi (1. q. 61. a. 3. c.) S. Doctor docet sententiam tantum probabiliorem, alteram vero, quæ separet creationem angelorum a creatione mundi probabilem potissimum propter auctoritatem Gregorii Nazianzeni, "cujus tanta est in doctrina Christiana auctoritas, ut nullus unquam ejus dictis calumniam inferre præsumpserit, sicut nec Athanasii documentis, ut Hieronymus dicit." — Hinc Thomistæ, etiam Petavius (de Angel. l. c. 15. nn. 11–12. . . . . .), Vasquez etc. sequuntur S. Thomam. Suarez (de Ang. l. 1. c. 3. n. 14.) censet, quamvis Concil. Lat. noluerit definire, tamen verba esse tam clara, ut sententia separans creationem angelorum *non careat temeritate.* Adhærent huic notæ Valentia et Toletus.*

PROPOSITIO III.

Immensa est angelorum multitudo.

Arg. 1. *Ex S. Scriptura.* Tanta multitudo angelorum apparuit patriarchæ Jacob ut exclamaret: "*Hæc sunt castra Domini:*" Gen. xxxii. 2. *Atqui* castra debent esse digna rege suo quoad multitudinem et splendorem militum.—"[Deus] apparuit de monte Pharan et cum eo sanctorum millia." Deut. xxxiii. 2. *Atqui* comitatus dignus rege. "Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei." Daniel vii. 10. In nativitate Christi "facta est cum angelo multitudo militiæ cœlestis, laudantium Deum." Luc. ii. 13. "Accessistis . . . . . multorum millium angelorum frequentiam." Hebr. xii. 22. "Et vidi et audivi vocem angelorum multorum in circuitu throni . . . . et erat numerus eorum millia millium." Apoc. v. 11.

Unde ita: S. Scriptura summos numeros adhibet ad exprimendam multitudinem angelorum. *Atqui* per summos numeros in genere adhibitos solemus exprimere, multitudinem excedere numeros communes vitæ. *Ergo* excedit multitudo numeros communiter adhibitos.

* Discordia Patrum hac in re propter obscuritatem rei facile explicatur.

Arg. 2. *Ex Patribus.* Dionys. Areop. (De Cœlesti Hier. c. 15.) ad verba Danielis supra cit. ait: "Scripturam Sacram his glomeratis atque multiplicatis numeris, qui apud nos summi sunt, aperte declarare cœlestium ordinum coordinationes a nobis non posse numerari." — Cf. S. Iren. (cont. Hær. l. 2. c. 7. n. 4.). S. Cyrill. Hieros. (Cat. 15. n. 24.); S. Ambros. (in Luc. c. 15.) etc.

Arg. 3. *Ex Ratione.* Deus ut rex in angelis suis creavit sibi aulam; hoc patet ex figuris, quibus angelos et se proponit Prophetis etc: i. e., apparet thronus, circa eum angeli ministrantes, circumstantes etc. *Atqui* aula debet esse digna rege suo, præsertim si rex in aula sua majestatem suam et gloriam vult ostendere. *Ergo* digna aula est Deo — ideoque sub respectu multitudinis, perfectionis, etc. nam "In multitudine populi dignitas regis" Prov. 14.

§ II.

De natura et proprietatibus angelorum.

Tres Patrum series secundum tres opiniones colligi possunt: prima, docens angelos constare anima et corpore vel crasso vel tenui: altera series, qui dubie loquuntur, vel quod ambiguas expressiones adhibent, vel quod se nescire testentur, sintne angeli spiritus puri necne; tertia series, qui docent angelos puros spiritus.—Jam

I. *Series. a) Justinus* (in dialogo cum Tryphone l. 17.) contendit angelos habere corpora et vesci cibo nobis ignoto. (*ἄγγελοι καὶ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, δῆλόν ἐστιν ἡμῖν, τρεφόμενοι κἂν μή ὁμοίαν τροφήν, ἥπερ οἱ ἄνθρωποι χρώμεθα, τρέφονται.*) *Clem. Alex.* (Pædag. l. 1. c. 6.) vocat manna Angelorum *τῶν ἀγγέλων ἐπουράνιον τροφήν.*

b) Multi Patres ex Genes. vi. 2. arguunt angelos (præsertim inferiores angelos mundo præpositos) cum mulieribus habere commercium carnale. *Justin.* (Apol. 2. c. 5.); *Athenag.* (leg. 26.); *Iren.* (4. 16. n. 2.; 36. n. 4.); *Clem.* (Strom. 3. 7. et Pæd. 3. 2.); *Julius Afric.* (Chronagr. fragm. Gall. 2. 363.); *Hilar.* (in Ps. cxxxii. 2.)

c) *Claudian. Mamert.* (adv. Faust. Regiens. de Stat. Animæ) tenet angelos constare anima et corpore. *Method.* (apud Photium, cod 234.) docet, incorporeos angelos respectu naturæ nostræ, corpus vero habere secundum suam naturam, sicut aër ratione sui materia, non ratione nostri: præterea, quod aëre et igne compositum sit, hoc esse angelicæ

naturæ ὁμοούσιον. — *Iren.* (III. 20. n. 4.)ait "sine carne angeli sunt;" nihilominus (III. 20.) subtile corpus eis concedit. *Clem. Alex.* (Strom. 4. 3.) involucrum quoddam seu corpus subtile habere angelos docet.

Theodotus (Clem. Exc. Theod. c. 14. et c. 12.) contendit substantiam angelorum esse ignem spiritualem diversum ab igne elementari. — *Origines* (de Principiis, c. 6.) docet angelos constare anima et corpore; (Orat. 31.) docet corpus esse sphæricum. *Macarius* (Homil. 4.) subtile corpus; quod secund. *S. Ephræm* (Sermo de Nat. Dei minime scrutanda) corpus igneum est; secund. *Joannem Thessalonic.* (Conc. Nic. II. act. 5. i. e. Œcum. Syn. VII.) corpus angelicum pingi potest; atque hanc contendit doctrinam catholicam, oppositam vero paganam. Simili modo *Tertullianus* anima et corpore constare angelos docet (de Carn. Christi. c. 6. et adv. Marc. 2. 8.).

II. *Series* Patrum, seu illi qui dubie loquuntur. Notandum vero:

a) Norunt Patres omnes, quid esset spiritus, quum Deum spiritum esse docerent; sed quidam ex Patribus omnia entia dividunt in duas classes, in quarum una solum collocant Deum, in altera omnia creata. Deum vero solum dicunt incorporeum, reliqua omnia corporea. Ita *Cyrill. Alex.* (l. 9.); *S. Ambros.* (de Abrah. l. 2. c. 8.); *Arnob. Junior* (Conflict. cum Seraphione l. 2.)

b) Corporeum igitur est, quod est in loco finitum, circumscriptum (non plane simplex). Videntur aliqui ex illis Patribus verbis saltem accedere ad philosophiam Græcam, fortasse etiam aliqua ratione seducti esse, sicut hac ætate theologi quidam catholici, *studio philosoph. transcendent. German. seducti, similia* quædam proponunt in *theologia:* Stoici apud Græcos docebant Deum intelligentem esse vel æthera vel ignem. Plato in *Timæo* haud obscure innuit animam humanam esse ex quadam materia conflatam.

Cyrill. Alex. (in Joan. l. 9.) Deum solum *incorporeum*, reliqua omnia corporea, ideo quod circumscribantur. *Gennad.* (de Dogm. Eccles. c. 12.) angelos dicit corporeos, quia localiter circumscribuntur. *Basil.* (in Hom. "*Deum non esse auct. mali*") docet angelum intelligibilem creaturam, non corpoream; item (l. 4. cont. Eunom.) Sed (de Spirit. S. 3. c. 16.) affirmat *S. Basil.* "angelos spirit. aërios, ignes immateriales iis, qui digni sunt, apparent in specie propriorum corporum." *Ambros.* (de Abrah. l. 2.) Deum solum incorporeum affirmat, sed in (Luc. c. 12.) vide-

tur dicere, spiritus esse angelos, quod non uterentur vestimentis sicut Salomon. *S. Aug.* dubius hæsit; etenim Trin. 2. 7.; 3. 1.; Gen. ad lit. 3. 10. et alibi docet angelos, qui Abraham et Tobiam visitassent, cibos vero comedisse, non ex necessitate sed ex voluntate; in Ps. lxxxv. comparat corpus futurum cum corpore angelico; alibi vero, Tract. in Ps. cxlv., probat animam humanam plane spiritualem, angelum vero præstantiorem quam anima. Fortasse S. August. si loquitur de corpore angelorum subintelligit corpora, in quibus apparent hominibus, ponitque hæc ut exempla celeritatis, agilitatis etc. *S. Bernardus* (Consid. ad Eugen. 5. 5. et Cantic. hom. 5.) dicit a se non inquirendum, num corpus habeant angeli necne. — Post Concil. Lateran. IV. (an. 1215.) Theologi pauci — *Cajetanus*, *Sixtus Senens.*, *Barthol. Caranza.*, *Dominic. Bannez* — angelis corpora adscripserunt; præterea quidam philosophi Protest. — Leibnitzius, Wolfius, Kantius, — quia putabant spiritus corpore tanquam involucro debere esse circumdatos, ne diffluerent; et ut agere in alia entia possint.

III. *Series* Patrum seu illi qui docent angelos puros esse spiritus. *Gregor. Thaumat.* (si auctor sit homiliæ in Theophania) incorporeos dicit angelos; *Ignat.* (in Ep. ad Trall.) cælites vocat incorporeas naturas; *Titus Bostrensis* (Bibilioth. PP. a Mign. tom. iv. col. 886.) invisibiles angelos, eo quod corpus non haberent; *Gregor. Nyssen.* (l. 12. cont. Eunom.) incorporeas naturas angelos dicit; *Gregor. Nazianz.* (Orat. 34.) intellect. et incorpor. naturas angelos vocat. Simili modo *Euseb. Cæsar.* (apud Sozomen. et in l. 4. de Demonstr. Evang.) nominat eos incorporeas, intelligentes, divinas virtutes. *Epiph.* (Hær. 26. n. 13.) diabolum vocat spiritum impurum, corporis expertem. *S. Chrysost.* (in Hom. 22. in Genes., Hom. 1. in Matth., et l. ad Stagirium) ... "fecit angelos, archangelos et reliquas incorporeorum substantias." Item *Theodoretus* (in quæst. 20. in Genes.) *Procopius* (in Comment. ad Genes.) penitus incorp. substantias angel. vocat. Maxime vero *Dionys.* (de Cœlesti Hierarch.) angelos spirituales, simplices substantias esse probat. *Joan. Damasc.* (l. 2. de Fid. cc. 3. et 12.) definit angelum substantiam materiæ expertem. Græci hodie angelos simpliciter spiritus vocant, in oratione sua ad angelos. *Maximus Martyr* (in Scholiis) angelos vocat νόας, i. e. mentes. Apud Latinos, *Marius Victorin.* (l. 4. cont. Arium) angelos incorporeos dicit. *S. Fulgent.* (de Fide. 3.)

S. Gregor. Magn. (Moral. 2. 4. 28. 2.; dialog. 4. 29.) plurimique alii angelos puros spiritus esse docent.*

PROPOSITIO IV.

Angelus natura sua purus Spiritus est.

St. Q. 1. Quæritur, quid sit spiritus.

In Spiritu consideranda sunt: *a*) substantia viva et activa; *b*) simplicitas; *c*) ex utroque consequens oppositio ad materiam.

a) Spiritus *generatim* dicit *motum* et impulsum in *medio* admodum *mobili* (aëre etc.). *Motus* intelligitur non quivis sed facile excitabilis, et hinc apparenter perpetuus, continuo totum pervādens, cum quodam impulsu. Quum vero in tali motu facillimo, subitaneo, perpetuo ac volubili causæ nos lateant, oritur idea alicujus spontaneitatis in motu, quæ *similitudinem vitæ* præ se fert. Motus talis opponitur inertiæ materiæ.—Relate ad *medium in quo*—quum hoc sit tenue et quasi invisibile, agile, penetrans et penetrabile,—motus opponitur *crassitudini* et *duritiei* materiæ.—Sub respectu motus loquimur de *spiritu* aëris (spiritus procellarum, Ps. cxlviii. 8.) qui est idem ac flatus,—de *spiritu*, quem homo ducit, i. e. halitu; sub respectu medii loquimur de spiritibus et humoribus qui corpus humanum pervadunt, v. g., spiritus in corpore excitari, moveri dicuntur. Jam ad hanc normam formamus conceptum angeli et animæ tanquam spiritus. Oportet autem corrigere defectus, quos scimus ex materia nasci. Si enim substantiam ponimus, talis sit ut sub respectu substantiæ materiam omnem pervadat, ita ut a nulla possit materia excludi a loco ideoque nec videri possit;—quæ non sit cohæsiva secundum partes, sed eadem secum toto existentiæ ambitu; quæ sub respectu activitatis sit viva semper et agens sibique impulsum det; quæ vivat non secundum varias partes sed secundum se totam ubique in ambitu physico sui esse, et ita agat non motu aliquo in parte aliqua orto et dein propagato, sed ubique in esse illo orto, — habemus conceptum spiritus. Patet autem denominationem spiritus esse translatam a re maxime simili in natura.

* Ergo patet, quam absurde Protestantes contra traditionem arguant. Barbeyrac (Traité de la Morale des Pères, c. 2. § 3.): "Voilà les Pères des premiers siècles parfaitement d'accord entr'eux sur une erreur grossière, puisée dans une mauvaise philosophie, dans un livre apocryphe, ou dans la fausse supposition que la version des Septante était inspirée. Que l'on vienne encore nous donner le consentement des Pères comme une marque sûre de la tradition."

b) Quædam de *simplicitate* ut conceptus magis pateat. Si substantia non est cohæsiva ad intra secundum partes, sed toto ambitu ipsius esse physici est eadem, i. e., et specifice et numerice identica, est simplex. Simplicitatis triplex definitio: simplex 1° quod excludit partes componentes; 2° quod est intra se citra omnem sui diffusionem, i. e., ex se ita totum, ut non per partes sed *per esse totum* sit *ubique* in ambitu existentiæ; 3° quod est tale, ut omnia, quæ in esse suo (substantiali) habeat, per identitatem habeat. Prima definitio ostendit quid non sit substantia simplex; altera ostendit magis in quo consistat simplicitas ad intra; tertia denique unitatem et identitatem non ex partibus sed ex ipso esse ortam exhibet.* Quare si tertiam applicamus, dicendum: est talis substantia, in qua omnia quæ ad substantiam pertinent, identificantur; ergo nullæ partes specificæ vel numericæ. Cum hac vero simplicitate aliqua vel metaphysica vel physica compositio possibilis est. Etenim si quæratur, num possibilitas seu potentia objectiva et existentia identificentur, negandum est; num *genus* (id, in quo omnes tales substantiæ conveniunt) et specifica differentia identificentur, iterum negandum est; unde quædam metaphysica seu impropria compositio; si quæratur, num actus et substantia identificentur, negandum; unde physica quædam compositio. Atque ita talis substantia sub respectu simplicitatis distinguitur ab essentia divina, et accedit ad materiam. †

Est igitur angelus, qua spiritus, substantia completa, integra, identica secundum se totam, vivens, nec in esse nec in activitate impedibilis a materia seu independens a materia. Hinc Patres quidam comparant angelum cum igne subsistente. Ignis enim penetrat totam materiam, est ex sese activus, estque splendens suo esse. Si supponatur non esse in materia sed esse in se, habetur imago quædam esse spiritualis; neque aliud videntur voluisse dicere Patres.

c) Quæ sit differentia ab esse spirituali Dei, et quæ oppositio ad materiam patet ex præcedentibus.

2. Dicitur *natura sua* purus spiritus, ut ita distinguatur ab anima humana, quæ licet spiritualis tamen qua forma appetit corpus habetque in se virtutem corporis formativam. –

* Quum varietas, quæ est in composito sit quædam perfectio, — animal enim superius majorem partium varietatem habet, quam vermis,—sequitur, substantiam spiritualem debere habere partes virtualiter, i. e., virtutem partes istas supplentem; quum virtus autem sequatur nobilitatem ipsius esse, sequitur, subst. spiritual. debere habere partes *nobiliore* modo, i. e. secundum esse nobilius, i. e., *eminenter*.

† Est quædam *corporeitas*, quia compositio est essentialis corpori; quare quum participet de essentiali qualitate corporis, aliqualem habet corporeitatem.

Arg. 1. *Ex S. Scriptura.* Hebr. i. 18. "Nonne omnes sunt administratorii spiritus?" — Unde ita: Loquitur Apost. de angelis, quos comparat cum Filio Dei; illi, spiritus ministrantes Deo—Filius autem, dominus et hæres. *Atqui* angelos vocat spiritus simpliciter, hinc eorum denominat essentiam. *Ergo.*

Prob. min. *a*) Est similis locutio: nonne milites sunt homines arma gestantes? *Atqui* vox *homines* hic significat essentiam. *Ergo* a pari. — Accedit, si angelus constaret corpore et anima, non posset simpliciter vocari spiritus, sicut nec homo spiritus vel anima vocari potest. *b*) Vox *spiritus*, usurpata simpliciter in S. Scriptura, designat ens secundum essentiam; denominat igitur naturam; v. g., "Spiritus est Deus." Joan. iv. 24. — Accedit, quod sæpe ipsi carni opponitur. "Spiritus promptus est, caro autem infirma." Matth. xxvi. 41. *Ergo* spiritus naturam designat corpus excludentem.

Arg. 2. *Ex Patribus.* Argumenta, quæ Patres primæ seriei (vide supr.) afferunt, redeunt ad hæc: *a*) Conveniunt angelis actiones et passiones; nam filii Dei, qui in Septuaginta leguntur angeli Dei, genuerunt ex filiabus hominum gigantes. Gen. v. 2.

b) Ligatur Asmodæus angelus a Raphaele in deserto, Tob. viii. 3.; detracti rudentibus dæmones in tartarum sunt, II. Pet. ii. 4.; habent antipathiam et sympathiam cum rebus corporeis, nam dæmon ad cytharæ pulsum recessit a Saule, I. Reg. xvi. 23.; fugatus est fumo jecoris, Tob. vi. 19.; delectatur locis humidis, Job. xl. 16.; comedunt cum Abrah., cum Tobia etc.

c) Torquentur igne corporeo in tartaro.

d) Liber Henoch clare commercium angelos inter et dæmones exhibet.—

Atqui hæc argumenta nihil probant. *Ergo* assertiones Patrum primæ seriei non habent fundamentum, hinc rejiciendæ sunt.

Prob. min. *Ad a*) "Filii Dei" sunt filii Seth, qui verum Deum colebant; "filiæ hominum" sunt filiæ ex familia Cain ortæ. Verbum autem *angeli* loco *filii* non est justum ut notat S. Cyrill. (l. 9. contra Julianum). Præterea, *Bnch Haelohim* non admittit aliam versionem nisi "*filii Dei*." Convenit etiam Interpretatio Chaldaica et Versio LXX Complutensis. Insuper, si angeli fuissent, profecto non subtile sed crassum corpus debuissent habere; ad quod accedit, quod profecto non

boni angeli, sed mali tantum id fecissent; mali vero angeli non possent vocari filii vel angeli Dei. Et si narratur (Gen. vi. 5.–7.) diluvium, mundo immissum propter crimina, inter quæ et supra memorata erant, certe hominum crimina erant, non angelorum.*

Ad b) Non physice sed moraliter imperio Dei ligatus fuit, sicut et dæmones in tartarum detrusi imperio Dei. Sicut enim dicimus patris imperium, quo filium jubet domi manere, est pro filio vinculum quoddam, ita et imperium divinum. Res vero corporales non sunt efficaces per se, sed per preces adjunctas, obedientiam etc; quodque sæpe ut cantus sedant animum, est quia compescunt cupiditates naturaliter, ita ut dæmon abire debeat, quamdiu abuti animi passionibus non amplius potest. Humida dein loca sunt animæ voluptatibus deditæ, ut exponit Glossa (S. Aug. de Civit. Dei, l. 10. c. 19.)—Loquuntur, comedunt secundum corpus apparens.

Ad c) Igne torquentur non secundum vim naturalem sed obedientialem.— Liber denique Henoch est liber apocryphus. — *Ergo* non valent argumenta PP. primæ seriei.

Arg. 3. *Concilium* Lat. IV. angelos spiritualem naturam vocat, item Vatic. (vide supra.)

Arg. 4. *Ex Ratione. a*) Convenit ut Universum totum saltem secundum omnem ordinem possibilitatis Deum repræsentet, ita ut ex sese aliquod perfectum et *absolutum* sit. *Atqui* hoc non esset, si præcipuus ordo pure spiritualis abesset. *Ergo.*—Præterea, imitatio Dei alia realis, alia intentionalis est. *Atqui* convenit ut in utroque ordine imitatio Dei simpliciter existat, hinc et in ordine intentionali per actus intellectus puri et voluntatis—hi autem non in homine sed in angelis tantum sunt. *Ergo. b*) Unio cum corpore necessaria est, ubi intellectus per se imperfectus et nimis infirmus est, ut possit agere ex sese. *Atqui* convenit ut et talis intellectus existat, qui per se ad agendum, i. e., intelligendum sufficiens sit; id, quod tantum in angelica natura obtinet. *Ergo.*—In-

* Referunt Gnostici: "Venit una ex dæmonibus et dixit: 'Helia, quando in somnio somniasti, ego eram, quæ accepi a te semina, et genui tibi filios.'" Ad hoc respondet S. Epiphan. (Hær. 26.): "Multa vere est stultitia eorum, quæ talia dicunt; si enim dæmon a corporibus assumit et concipit, non amplius est spiritus sed corpus."—Videtur similis (sagarum fabulis medii ævi.—S. Th. (1. q. 51. a. 3. ad 6.): "Si ex coitu dæmonum aliqui interdum nascuntur, hoc non est per semen ab eis decisum aut a corporibus assumptis, sed per semen alicujus hominis ad hoc acceptum, utpote quod idem dæmon, qui est succubus ad virum, fiat incubus ad mulierem —hinc talis filius non est filius dæmonis sed viri, cujus erat semen."

super, si angelus haberet corpus licet subtilius, non superaret essentialiter humanam naturam; posset æque *mori* ac illa etc. *Atqui* hæc minime conveniunt angelicæ naturæ. *Ergo.*

Scholium 1. De Concil. Nicæno II. in quo Joan. Episc. Thessalon. in dialogo suo defendit, pingi posse angelos ideo quod habeant corpus, notandum *a*) Tarasius nomine Concilii excerpsit ex dialogo id tantum, "posse pingi ideo quod essent angeli circumscripti et hominum specie multis apparuerint." *b*) Concilium (Act. 4.) sententiam S. Athan. approbavit, dicentis angelos incorporeos. *c*) In professione fidei dicit: "Veneramur imagines Sanctorum et *incorpòreorum* angelorum." *Ergo* tantum abfuit ut approbaret sententiam Joannis Thessal., ut eam rejiceret.

Scholium 2. Num angeli constent forma et materia *spirituali.* Affirmant Avicebron [Judæus, Salomon ben Gebirol] et Alexander Halensis (p. 2. q. 20. nn. 2–3.) — S. August. (vii. de Gen. ad lit. c. 6.): "Non enim credibile est .... Deum opere sex dierum .... animæ solam condidisse rationem secundum quam fieret, non etiam quamdam pro suo genere *materiam*, de qua fieret .... Anima potuit etiam habere materiam pro suo genere spiritualem quæ nondum esset anima, sicut terra, de qua caro facta est jam erat aliquid, quamvis non erat caro." —Boëtius (lib. de Unit. et Uno) docet omne esse, etiam angelicum, fieri unum per conjunctionem formæ et materiæ, hanc vero unitatem magis accedere ad simplicitatem, quo propior sit Deo. — S. Bonaventura (in Sentent. l. 2. qq. 1. 2. 3.) ponit has conclusiones: "Angelus tametsi non sit compositus ex partibus quantitativis neque heterogeneis, aut ex corporali et spirituali, est tamen compositus ex materia et forma.—(Quæst. 2.) Conclusio: secundum varias considerationes materiæ recte dicitur quod angelorum et corporum eadem sit, et non sit; profundius tamen illam considerantes et nobilius, ut metaphysici, eamdem omnium esse judicaverunt. (Quæst. 3.) Conclusio: Materia spiritualium et materialium est una numero; non unitate formali aut actuali, sed unitate homogeneitatis, quæ latiorem in ea ponit capacitatem." — Conveniunt Richard. et Petrus Tarantasius (in Sentent. l. 2.). Sed rejicienda est hæc doctrina, nam

a) Operatio sequitur esse; *atqui* operatio intellectualis est omnino simplex (ut patet ex Psycholog.); *ergo et esse.*

b) Si angelus esset ita compositus, posset et forma separari a materia, hinc angelus mori; quodsi mori, posset etiam generari, etc. *Atqui* hæc videntur absurda. *Ergo.*

c) Materia spiritualis est contradictio, sicut circulus quadratus; spirituale enim est ex se activum, etc., materia non activum. Præterea, forma esset aut subsistens in se, aut non; si prius, ergo posset et agere per se, hinc non indigeret materia, quia per materiam spiritualem non posset conjungi objectis, sicut anima humana per corpus; si autem non esset subsistens, sequeretur eam admodum imperfectam, et materia subtracta deberet annihilari. *Ergo.*

Coroll. Recte sententia negans angelum esse incorporeum temeraria est in fide.

Scholium 3. Num possint angeli assumere corpus.

a) Possunt assumere corpus, hinc apparitiones in Scriptura narratæ non sunt omnes imaginariæ, ut voluit Rabbi Moyses — vide in Tobia, Abraham, etc.

b) Faciunt sibi corpora ex aëre condensato ita ut videri possint lumine inducente colores. Potest etiam conficere sibi angelus corpus ex elementis mixtis, cum corpora movere, hinc elementa colligere possit.

c) Non est in tali corpore sicut forma in materia, hinc non vivit cum tali corpore, non sentit, neque loquitur vere; sed est in corpore assumpto sicut motor in mobili; ideoque actiones, v. g. verba, mechanicæ sunt. Hinc dixit Raphæl: "*Videbar* quidem vobiscum manducare . . . . " Tob. xii. 19.—Falsum igitur omnino est, angelos corpori assumpto hypostatice uniri, quod volebat Tertullian. (lib. de Carne Christi); vix enim possit persona finita ita duas naturas terminare; esset inutilis, quum in breve tantum tempus et transeunter.

d) Sunt igitur in tali corpore per præsentiam suam definitivam, ita ut extra illud corpus alibi non sint. Assumunt vero corpus humano simile (quamvis et animale corpus assumere possint), quum tale corpus personæ intelligenti maximæ conveniat et in conversatione cum hominibus aptissimum ad functiones suas exercendas mandataque deferenda.

e) Quandoque angeli ita apparent, ut personam Dei gerant, quamvis Deus etiam possit in corpore assumpto apparere; hinc (Gen. iii. 9.) legitur Deus dixisse per angelum Adæ: "*Ubi es?*" Exod. xx. 2. Angelus

in persona Dei: "Ego sum Dominus Deus tuus." Imo videtur probabile, Deum nunquam nec in novo nec in vetere testamento, excepta Incarnatione, corpus assumpsisse; quum enim Deus solo imperio agat ad extra (S. Thom. de Potent. q. 6. a. 4. c. in medio), solet angelos adhibere ad exequendum et deferendum mandatum. Hinc apparitiones Dei per angelorum ministerium fiunt. S. Aug. (de Trinit. 3. c. 11.); S. Hieron. (ad Galat. c. 3.) — Favet Scriptura, quum Exod. iii. 2. dicatur Deus apparuisse Moysi in flamma rubi; Act. vii. 30. dicatur: "apparuit illi [Moysi] . . . . . angelus in igne flammæ rubi." Nec est hoc contra veracitatem, quod videantur vivere nec vivant; nam facile quisque intelligit, nuntium Dei, si visibiliter agere cum hominibus velit, visibile corpus congruum tam sibi, quam hominibus assumere debere.

f) Anima humana separata non potest propria virtute, ut angeli, corpus aliquod assumere, quia ut forma naturam vim habet illud tantum corpus movendi, quod vivificat. Quare si in corpore apparent, id per specialem tantum Dei ordinationem fieri potest.

DE POTENTIIS ANGELI.

I.—De Intellectu.

Angelos, quos Dionys. Areop. (de Cœl. Hier. c. 2.) "*deiformes intelligentias*," Nazianzenus (Orat. 42.) "*splendores secundos primi splendoris, administros, spiritusque intelligentes*," Damascen. (l. 2. c. 3.) "*intellectualia lumina ex primo et carenti principio luminis illuminationem suscipientia*" vocat, habere intellectum, patet. Ut immaterialia entia (immaterialitas autem est radix intelligentiæ) corona sunt Universi, et ut intelligentia entia, præclarissima Dei repræsentatio. In quæstione vero de intelligentia angelorum tria distinguenda: A. de intellectu qua facultate; B. de objecto; C. de modo, quo objectum attingatur.

A. DE INTELLECTU UT FACULTATE.

PROPOSITIO V.

Quamvis probabile sit, intellectum non *realiter distingui a substantia angelica, probabilius tamen realis distinctio admittenda est.*

Pars I.

Probabile est intellectum non realiter distingui.

Arg. 1. Principium notum: "Nullum ens finitum agit per substantiam suam," potest vel *a*) ita intelligi: nullum finitum agit solum per substantiam suam, sed concurrere externum principium debet; vel *b*) ita: nullum ens, v. g., angelus, agit immediate per substantiam, sed per facultatem ex substantia ortam et realiter distinctam. *Atqui* principio satisfit per priorem explicationem. *Ergo.*

Arg. 2 Etiam facultas ipsa per suum esse immediate ageret; *ergo* videtur etiam substantia posse per esse suum agere et hinc per se esse activa.

Arg. 3. Facultates inter sese distinguuntur sicut objecta formalia. *Atqui* objectum formale intellectus est verum, voluntatis est bonum; verum autem et bonum in ente ratione tantum distinguuntur; *ergo* et intellectus et voluntas; *ergo* sunt a parte rei idem inter se, hinc et cum essentia (ut videtur a fortiori), quia major inter facultates, quam inter facultates et naturam videtur distinctio.

Arg. 4. Non apparet, quomodo voluntas, si esset realiter distincta ab essentia, posset eligere, quum sit cœca. *Ergo* non est realiter distincta.

Est igitur substantia ex sese activa diciturque intellectus in quantum ordinem dicit ad verum; voluntas in quantum ordinem dicit ad bonum, hinc eadem anima, quæ per sese intelligit, per sese eligit.— Sententiam hanc defendit schola Scotistica cum Scoto; Henricus Gandavensis (Quodl. 3. q. 14.); Palmieri (de Deo Creante, prop. 20.)

Pars II.

Probabilior et communior (Thomistarum aliorumque) sententia admittit realem distinctionem.

Arg. 1. Ens creatum sub respectu perfectionis deficit a perfectione Dei. *Atqui* si potentiæ non realiter, sed virtualiter seu ratione tantum distinguerentur ab essentia, non deficeret a perfectione sub hoc respectu simplicitatis. *Ergo.* — Aliis verbis: agere per suam substantiam videtur tantum convenire enti infinito.

Arg. 2. Facultates distinguuntur sicut objecta formalia simul cum actibus, quibus attinguntur. *Atqui* actus, qui verum attingitur (assimilativus), et qui bonum attingitur (impulsivus), distinguuntur realiter. *Ergo* etiam facultates. — *Ad Maj.* Facultates animæ sunt quasi instrumenta, simili modo ut auris et oculus instrumenta hominis. — *Ad min.* In ligno potest distingui ratio, qua findi et qua secari potest, distinctione rationis: actus tamen non numerice tantum, sed et specifice differunt, hinc et instrumenta; prior fit ascia, altera fit serra.

Arg. 3. Qui assumunt in anima et angelo substantiam agere per se, debent pro materia aut idem assumere (argumenta valent etiam pro materia), aut prorsus negare materiam habere vires. *Atqui* utrumque videtur absurdum: prius, quia materia nihil esset aliud nisi vis per se existens; alterum, quia in materia est elementum aliquod vere activum v. g., chemica affinitas. *Ergo.*[*]

N. B. S. Thomas ipse videtur insinuare, rem certo probari non posse, quum dicat (loc. cit. ad 1^m^): "Dicendum, quod *quidquid dicitur* de potentiis animæ, tamen nullus unquam opinatur, nisi insanus, quod habitus et actus animæ sint ipsa ejus essentia."

Coroll. Recte S. Thom. (loc. cit. ad 5.): "Potentiæ animæ possunt dici proprietates essentiales non ut partes essentiæ sed ut manantes ab essentia: et sic non distinguuntur ab accidente, quod est commune novem generibus, sed distinguuntur ab accidente, quod est accidentale prædicatum, et non causatur a natura speciei."

[*] S. Thom. Qq. DD. quæst. in Oper. Skorraud a. 3 in fin. (in argumentum pro distinct. potent. "Sicut ipsum esse est actualitas quædam essentiæ, ita operari est actualitas operati vel manentis ex operante. Secundum igitur hoc convenit essentiæ in actu: essentia quidem secundum esse, potentia vero secundum operari."—Est argumentum difficile. Nam per intelligitur essentia substantialis, et tunc essentia aliter distinctum a suo esse; hoc autem merito rejicitur, quum si quid sit extra suum causam per esse suum extra sit; aut intelligitur essentia substantialis, et tunc non intelligitur quomodo comparari possit cum potentia ejusve proprietate. — Aliorum argument. S. Thom. (eod. loco): ". . . . Invenitur, quod una [facultas] aliam movet; intellectus movet voluntatem, quod esse non posset, si utraque potentia esset ipsa animæ essentia, quia [deus secundum deum non movet seipsum, ut dicit Philosophus." Dubia [difficultas] non prius intelligitur, nisi essentia unius sub uno respectu non possit se movere sub alio respectu.

B. DE OBJECTO.

PROPOSITIO VI.

Objectum adæquatum intellectus angelici est ens ut verum seu omne verum: objectum vero proportionatum est ens finitum tantum.

St. Q. Agitur de cognitione naturali.

ARG. *pro* 1. *Parte*, Objectum adæquatum est illud, quod aliqua ratione vere cadit in ambitum activitatis intellectualis. *Atqui* tam Deus quam alia omnia cadunt sub rationem veri; verum autem est objectum cujuscumque intellectus. *Ergo.*

ARG. *pro* 2. *Parte*. Proportionatum objectum est illud, quod per se et intuitive ab intellectu angelico attingi potest. *Atqui* non infinitum, i. e. Deus, sed finita intuitive tantum attingi ab angelo possunt. *Ergo.*

Prob. min. a Deus non potest intuitive ab angelo naturaliter videri, nam visibilitas sequitur esse. *Atqui* esse divinum non habet proportionem cum esse angelico, non enim est univocum cum illo. *Ergo* nec visibilitas habet proportionem cum intellectu; quale enim esse, talis intellectus: hinc abstractive tantum Deum (si naturaliter tantum agit) cognoscit.—*b* Angelus habet proportionem ad finita, si intuitive, non abstractive; si secundum individualia non secundum rationes communes ea attingit. *Atqui* ita est, nam *angeli* inter sese societatem constituunt (de quo post): ad alios vero homines ut nuntius mittitur, angelus custos est, materiam potest movere; quæ omnia postulant cognitionem intuitivam secundum individua. *Ergo.*

Coroll. 1. *Ergo* cognoscit se et alia præsentia, futura necessaria, non futura libera, quia hæc in causa sua non necessaria latent, hinc non manifestantur antecedenter per causam.

Coroll. 2. Nec cognoscit cogitationes et actus liberos angelorum hominumque, licet existant, nisi ipsi manifestentur. Sunt enim naturaliter proprium vel angeli vel hominis, hinc eius dominio subsunt. Nullum autem esset dominium, si angelus posset ea naturaliter cognoscere; debent igitur manere naturale secretum domini sui.

Coroll. 3. Angeli non cognoscunt naturaliter mysteria gratiæ; ac de SS. Trinitate quidem hæc habet Pius IX. (Lit. Apost. ad Episc. Monac. 11. Dec. 1862.): "Divinis eloquiis inhærentes SS. Patres . . . . . con-

stanter docuerunt, per hanc [fidem] ea nobis in Christo revelari mysteria, quæ non solum humanam philosophiam verum etiam *angelicam naturalem intelligentiam* transcendunt." —Et profecto quæ in naturalibus principiis non positive expressa sunt, sed negative tantum, non possunt ex illis cognosci. Negativa enim expressio supponit cognitionem positivam aliunde, v. g. ex revelatione, conceptam, negatque tantum contradictionem. In genere vero præter ordines naturales esse alium ordinem supernaturalem possibilem vix cognoscere aut saltem admodum obscure angelus cognoscere potest. (Fortasse de filiatione adoptiva et visione Dei faciali ideam obscuram concipere posset.)

C. DE MODO, QUO ATTINGAT OBJECTA.

Quum intellectus ad cognoscendum debeat prævie determinari vel per objectum vel per aliquod vicem objecti gerens, triplex oritur quæstio: *a*) quomodo ad *cognoscendum Deum, b*) *semetipsum, c*) *alia distincta angelus excitetur et inducatur.*" Deum vero *quidditative* non cognoscit (vid. supra), sed *abstractive* ex propria substantia et aliis rebus per principium causalitatis, etc. Hinc restat duplex altera quæstio.

PROPOSITIO VII.

Angelus se et omnia, quæ in ipso sunt,—proprietates, actus—cognoscit immediate per suam substantiam sine specie intelligibili vicaria. (Suarez (de Angel. l. 2. c. 4.)

St. Q. Alii dicunt, substantiam angeli imprimere intellectui prius speciem sui (impressam), cum qua concurrens intellectus sese concipere-ret. Negandum est, nam

Arg. 1. Species impressa est *a*) vicaria objecti quod supponit absens saltem intentionaliter; *b*) adaptiva objecti, si per se aptum non est. *Atqui* substantia angeli non abest, sed est conjuncta, estque adaptata, quia intellectus ab ea manat ut natura intellectiva et hinc de ejus natura participat. *Ergo.*

N. B. Humana anima non potest se intelligere, quia pendet a phantasmate; quumque sit forma, quamdiu informat semper agit ut conjuncta. Angeli autem intellectus per se sufficiens est, quumque sit activus ex sese, sufficit ut objectum sit rite conjunctum, ut intellectus illud ap-

prehendat. Libera denique voluntas potest præterea applicare etiam intellectum ad sui considerationem. — Intellectus angelicus concipiens substantiam suam in concreto, omnes etiam concipit proprietates, vires, etiam actus suos, et cognoscit etiam se agere per actum realiter a se productum.

Coroll. *Ergo* quum sit objectum intelligibile semper applicatum, sequitur angelum non cessare a se intelligendo.

PROPOSITIO VIII.

Angelus reliqua a se distincta non cognoscit per suam, nec per aliorum, si spiritus sint, substantiam, sed per species vicarias seu impressas; easque habet ex ipsa creatione sibi tanquam naturale principium concreatas.

ARG. 1. Non cognoscit per suam substantiam. Nam ea tantum potest substantia intellectui manifestare quæ habet in se. *Atqui* non habet omnia objecta (v. g., actus hominum, motus siderum, etc.) in se. *Ergo.*

ARG. 2. Non cognoscit alios angelos per eorum essentiam ab illis angelis ipsi conjunctam. Nam quum ex objecto et potentia oriatur notitia, deberet essentia alterius angeli ita esse conjuncta, ut ex utroque elemento una actio vitalis oriretur. *Atqui* hoc videtur repugnare. *Ergo.*— N. B. Est sententia probabilior et communis.)

ARG. 3. Cognoscit omnia a se distincta per species vicarias.*

De ratione intellectionis est, ut per quandam repræsentationem assimilativam intra mentem intelligentis fiat, ut in aliis patet, v. g., in sensu externo visus, in interno phantasiæ, in intellectu humano, imo et divino, cujus processus est quædam assimilatio. *Ergo* etiam angeli intelligunt per quandam assimilationem, et intelligendo fit id quod intelligit in quodam esse repræsentativo et assimilativo, seu angelus cognoscit per speciem. *Atqui* non poterat angelus accipere illas species ab objectis. *Ergo* a Deo in creatione.

Prob. min. a) Quoad alios angelos. (Sententia tantum probabilior.)

* [illegible] Thomas [illegible] Theol. q. [illegible] a. [illegible] prop. [illegible] qui ad intelligendum sufficiat. —[illegible] esse species, non autem in intellectu humano, quia phantasma sufficit.

Ezech. xxviii. 12., dicitur in persona regis Tyri angelo, qui cecidit; "Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia . . . perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ." *Atqui* non fuisset a die creationis plenus sapientia, si debuisset sibi cognitionem colligere a creaturis tam *spiritualibus* quam materialibus. *Ergo.* Præterea, anima humana habet esse affine corpori, hinc pro hac sua natura varias formas debet successive sibi comparare mediante corpore. *Atqui* angelus est omnino solutus a corpore, et habet esse per se completum. *Ergo* debet etiam habere formas omnes, i. e., species per se, hinc accreatas.

b) Quoad materialia in specie. Si ab angelis non potest accipere species, a fortiori a materialibus accipere nequit. — Præterea, angeli penderent ab istis objectis, et materialia possent agere in angelos; *atqui* utrumque repugnat; *ergo.* — *Ad Major.* Si enim dicitur angelus agere circa materiam sibique ab illa ideam sumere, respondendum, ut possit agere circa materiam, debet prius illam nosse; ergo habere jam ideam. Insuper, non posset angelus videre objecta nisi secundum brevem distantiam.

Ergo quum non habeat angelus species ab objectis, debet illas habere a Deo accreatas in creatione.

PROPOSITIO VIIIX.

Species, quibus angeli intelligunt, universales sunt; et quo angeli sunt superiores, eo sunt ideæ in sua universalitate perfectiores.

St. Q. 1. Universalitas duplex: *a*) quæ in communi tantum et abstractive res repræsentat; *b*) quæ in communi non abstractive, sed etiam in concreto singulare qua tale repræsentat. Sic, v. g., essentia divina universalissime omnia et simul etiam eadem ut singularia repræsentat. Per talem enim repræsentationem visio intuitiva posssibilis est.

2. Adversarii sunt Scotistæ et quotquot docent angelos a materialibus sumere species.

Arg. 1. Ideo in homine est species particularis, quia producitur ab objecto. *Atqui* angelus non accipit a rebus sed ab essentia divina. *Ergo* non est particularis propter objectum. *Atqui* perfectio gradus angelici postulat, ut et ideæ sint perfectiores, i. e., ut angelus non debeat acci-

pere omni momento novam a Deo ideam. *Ergo* debet habere ideas plura repræsentantes, i. e., universales.

ARG. 2. Quo magis ens aliquod in esse et cognoscendo accedit ad Deum, eo pauciores et perfectiores adhibet ideas. *Atqui* angelus magis accedit ad Deum quam homo; et inter gradus angelorum, illi qui sunt in gradu superiore. *Ergo.*

Explic. Major. Aliquæ sunt in Deo perfectiones, quæ *formaliter* sunt communicabiles — ut esse, vivere, sapientia; aliæ quæ sub illa forma sunt incommunicabiles — ut esse a se, esse actum purum, infinitum, æternum, cognoscere omnia per unicam speciem, quæ est essentia. Perfectiones primæ generis participantur per *accessum*; tanto quis magis accedit ad Deum, quanto magis participat sapientiam etc. Perfectiones secundi generis participantur per *recessum ab opposito;* v. g., tanto magis creatura purior et actualior appropinquat Deo, non quanto magis participat actum purum, sed quanto magis recedit a potentialitate: item aliquis accedit tanto magis ad Deum sub respectu æternitatis, non quanto plus æternitatis in se habet, sed quanto perfectius recedit a successione temporis.— Hinc a pari, tanto magis aliquis accedit ad cognitionem Dei, non quanto magis per essentiam suam videt tanquam speciem universalem, sed quanto magis recedit a *multitudine* idearum, ita ut ad idem et plus videndum pauciores ideæ sufficiant. Et quanto quis magis in simplicitate ipsius esse ad Deum accedit, tanto magis et in simplicitate cognitionis Deo similis est.

PROPOSITIO X.

Universalitas speciei magis accedit ad universalitatem ideæ collectivæ, sicut angelus [princeps] regni Persarum** (Dan. x. 13.) **accipit ideam universalem hujus regni, qua et totum et omnia, quæ ad illam nationem pertinent, videt in individuo.

St. Q. Duplex universalitas: *a)* per *abstractionem*, per quam res videntur secundum illud tantum quod habent commune; universalitas proprie dicta: *b)* per unitatem aliquam respectus, plura ut unum et ut plura exhibentis. Si cui, v. g., daretur tota ratio plantarum in aliquo horto et idea talis, ut per eam posset omnes plantas horti videre, ita ut nullius plantæ speciem capere deberet, talis universalis idea esset idea se-

cundi ordinis. Talis idea non est naturalis inter homines; potest fortasse dici data fuisse prophetis excidium Hierosolym. describentibus, relate ad illud factum.

Arg. 1. Angeli non in communi tantum secundum ea, secundum quæ conveniunt, sed in individuo quoque res videre debent (vid. supra). *Atqui* universalis idea utrumque exhibens non potest esse nisi idea, ut supra descripta est. *Ergo.*

Arg. 2. Angelica cognitio assimilatur divinæ, eo tamen discrimine, quod in angelo idea superaddita faciat, quod pro Deo essentia facit. *Atqui* divina cognitio nihil accipit a rebus, sed res singulares videt ex se. *Ergo* et angelica.

Arg. 3. Duplici sua cognitione, intellectiva et sensitiva, homo videt universalia et individualia. *Atqui* quod homo potest, debet posse et angelus idque *meliori modo*, i. e., abstractis imperfectionibus, quæ homini ut homini conveniunt. *Ergo* debet eosdem terminos et angelus cognoscere. *Atqui* ad hoc utitur ideis universalibus. *Ergo* debent illæ esse aptæ, quæ angelo illa exhibeant.

Scholium de infusione hujus ideæ et de usu.

1. Angelus creatur non tantum ut similitudo τοῦ esse sed etiam τοῦ intelligere Dei; hinc ut, sicut Deus incipit a sua essentia, angelus incipiat intellectionem saltem a sua idea. Si Deus, v. g., crearet chartam vel globum et simul geographicam delineationem Americæ, crearet esse et simul repræsentationem Americæ. Simili modo creat esse angeli et ideam repræsentantem. — Ita constituitur angelus in actu primo ad intelligendum.

2. Quoad usum hujus ideæ seu actum secundum, notandum:

a) In idea tali universali est distinguenda *ratio quæ et ratio sub qua;* prior significat omnia singularia; et altera est unitas respectus, sub quo. Supponatur, v. g., ideam universalem repræsentare *vivum:* ratio quæ sunt omnia *singularia viventia;* ratio sub qua est *vita.*

b) Non omnia intelliguntur simul, sed tunc tantum, quando existunt; potestque dici res assimilari ideæ, non autem, ut in homine fit, idea rei assimilari. Quando vero vidit rem, per reflexionem intelligit etiam se videre rem, et hanc intellectionem retinet, seu, quod idem est, recondit in memoria.

c) Quæritur autem — in quo summa difficultatis est — quomodo idea universalis semper rem existentem ut talem exhibeat.

Resp. Quemadmodum esse a Deo et idea cum applicabilitate creatur et conservatur, ita Deus concurrere debet cum idea secundum ejus naturam, sicut in ordine supernaturali concurrit cum habitu gratiæ, v. g., fidei, per gratiam excitantem. Deus igitur una sua voluntate omnia pervadit, ibi creans, alibi conservans, alibi concurrens. Hac voluntate etiam angelum conservat et applicat ideam angeli ad objecta prævio aliquo influxu, qui concordat cum creatione et concursu cum objecto externo. Hic igitur influxus, quum cohæreat cum actu Dei creantis objectum vel concurrentis cum objecto ipso, quod intelligi debet, potest dici ab ipso illo actu derivari; unde recto aliquo sensu dici potest angelus videre objecta in actu Dei creantis, conservantis, concurrentis. Supponamus calorem omnia pervadentem, alia calefacientem, alia liquefacientem, alia inflammantem, sicut objectum admittit; calor idem supponatur pervadere etiam oculum hominis, qui dispositus sit ad videndum omnia sicut calor idem omnia tangit. Oculus ita tactus a calore continuo objecta singula videret. — Ita fere se habet idea angeli relate ad objecta sub influxu activitatis Dei ad extra. Ita enim optime explicatur 1. angelos non accipere ideas a rebus materialibus, neque 2. excitationem alicujus ideæ præhabitæ a materia posse accipere; hinc 3. debere excitari a Deo, qui solus novit objectum antecedenter, et 4. illum influxum excitationis debere cohærere cum toto universo, et cadere intra ambitum activitatis naturalis.

d) Suarez censet in ordine angelico unum angelum posse ideam sui producere in alio angelo. Prior idea esset idea universalis et eminentior, nova esset idea particularis. Hinc nova quæstio: num possint angeli inter sese conversari seu loqui.

PROPOSITIO XI.

Angelos inter se loqui certum quidem est; ad medium vero locutionis quod attinet, probabilius est, angelum, ad quem fiat locutio, non recipere aliquid a loquente, sed per speciem, quam penes se habeat, eum et angelum loquentem et locutionem ejus cognoscere.

Pars I.

Certum est loqui inter se angelos.

Arg. 1. *Ex S. Scriptura.* Isai vi. 3. "Seraphim clamabant alter ad alterum." —Apoc. vii. 2. "Vidi alterum angelum. . . et clamavit voce magna quatuor angelis."

Arg. 2. *Ex Ratione.* Multitudo angelorum non confusa sed ordinata, hinc in societate est. *Atqui* ad societatem requiritur tanquam vinculum sociale, ut possint sibi conceptus suos manifestare, hinc inter se loqui. *Ergo.*—Accedit, quod homines inter se loqui possunt: ergo a fortiori angeli.

Pars II.

De modo locutionis.

Nota. Diversa est theologorum sententia de modo. Alii, ut Egidius, putant angelum loquentem formare signa in aere: alii, ut Vasquez, formare signa spiritualia; alii, ut Scotistæ, angelum loquentem imprimere alteri angelo conceptum similem conceptui suo. Simili modo loquitur Suarez, qui dicit angelum imprimere alteri speciem sui et locutionis suæ.

Arg. *Refutantur hæ sententiæ.* — Signa in aere formata sensibilia quæ non possunt afficere spiritus. *Ergo.* — Signa spiritualia aut essent arbitraria, et tunc deberent esse iam nota antecedenter per locutionem, non enim possent incipere ut homines; *ergo* supponendum esset quod est in quæstione: aut essent naturalia, et tunc ab omnibus illis signa cognosci possent, nec posset fieri locutio alicui in specie.—Contra Scotum et Suarez est, quod angelus in hoc casu non posset (naturaliter) mentiri, nam non posset produci in audiente species, nisi eadem existeret in loquente. *Atqui* potest angelus mentiri, quia diabolus vocatur in Scriptura S. *pater mendacii*, nec est ratio, cur dicatur diabolus posse tantum hominibus mentiri. *Ergo.* — Deinde angelus non posset loqui in quacumque distantia; quod tamen videtur assumendum, quum homo in magna distantia tum per propria organa, tum per instrumenta loqui possit.—Accedit, quod angelus habeat ideas a creatas, quas applicare possit; *ergo* non est necesse, novas ideas in ipso producere.—Denique non apparet possibile, loquentem posse imprimere speciem angelo. Etenim immanentia actionis in homine postulat, ut

PROPOSITIO XII.

in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei." (Cf. I. Tim. iii. 16.; I. Petri i. 12.)—Unde ita: Angeli, Archangeli, Principatus, etc. discunt ab Apostolo Paulo mysteria Christi, quæ vel ignorabant vel ex parte tantum cognoscebant.* *Ergo* possunt angeli discere, hinc et doceri. *Atqui* non possunt doceri ab inferiori angelo superiores, quia major cognitio superiori propria et naturalis est; ut natura enim intelligens magis participat intelligentiam Dei, hinc magis etiam scientiam Dei. *Ergo* inferior angelus doceri tantum a superiori potest.

Arg. 2. *Ex Patribus.* S. Dionys. (de Hierarch. Cœl. c. 4. § 7.) docet inferiores ordines a superioribus . . . honestissime discere. Simili modo Joan. Damasc. (de Fid. l. 2. c. 3.) docet superiores inferioribus lumen et scientiam effundere.

Arg. 3. *Ex Ratione.* *a*) In societate intéllectuali qui plus scit, solet id communicare cum illis, qui minus sciunt.

b) Major scientia est majus bonum. *Atqui* in societate dilectionis et charitatis solet, qui habet plus, id communicare cum aliis. *Ergo.*

Scholium 1. *De modo illuminationis.* Illuminatio fit non per infusionem novi luminis ex parte angeli superioris, neque per impressionem novarum specierum, sed per majorem explicationem objecti, quod proponitur secundum varios respectus, etc., sicut magister principium mathematicum clarum reddit explicans applicationes, consequentias, etc.

Scholium 2. *De rebus*, de quibus fit illuminatio. — Sunt vel ordinis naturæ, vel gratiæ, vel gloriæ. Quum vero explicatio fiat per reditum ad ultimam causam seu ad Deum, et præterea ideæ sint eo meliores, quo magis participant ideas divinas, patet illuminationem omnem fieri de Deo, deque rebus divinis. Hinc dæmon non potest illuminare angelos malos inferiores, quia non agit de Deo, nec ad Dei cognitionem conferre vult, quamvis eos instruere possit. Possunt etiam boni angeli illuminare dæmones de mysteriis fidei, si ad pœnas malorum vel ad probationes bonorum necessarium sit, sicut, v. g. in humanis, judex docere tortores potest. Tum vero illuminatio est, quia pertinet ad Dei vel justitiam vel misericordiam manifestandam.

Coroll. Differt locutio ab illuminatione in duobus: 1. Illuminatio fit per modum doctrinæ; locutio per modum colloquii, etc.—2. Illuminatio

* Christus docet per S. Paulum, hinc angeli discere possunt. Hinc S. Chrysost. vocat S. Paulum *evangelistam angelorum.*

fit de Deo; quæ angelus superior participat de Deo, transmittit ad inferiores ordines.

Quæsitum 1.--Num angelus semper cognoscat actu.

Resp. Non cognoscit semper actu omnia quæ cognoscit, quia nulla apparet ratio hoc asserendi; quia liber est, ut speciem suam plus minus applicet; et quia præterea memoria in angelo admittenda.—Sed cognoscit semetipsum semper. Nam omne vivum semper habet aliquam operationem vitalem—brutum, v. g. nutriendi, etc. *Atqui* angeli operatio vitalis est intellectio; hæc vero certe de illa re est, quæ maxime est applicata, i. e., de sua essentia; v. g., si oculus apertus semper esset aliqua specie informatus, semper videret. *Ergo.* Præterea, omnis motus vitalis reducitur in aliquem motum primum, v. g., in pulsationem cordis; a pari omnis operatio intellectiva angelorum reducitur in intellectionem propriæ substantiæ tanquam radicem et impulsum primum, qui natura sua determinet reliquas intellectiones. Accedit, si ab hac cessaret angelus, non posset excitari, sed esset similis homini mortuo.—Incipit igitur angelus a quadam quasi reflexione sui, et ratione hujus reflexionis cognoscit ideas sibi accreatas; quare quum ideæ respondeant suæ substantiæ potest angelus dici cognoscere reliqua ad modum suæ substantiæ. Ut igitur in homine reflexio incipit a cognitione directa, ita e contra in angelo incipit cognitio [directa] objecti a reflexione in propriam substantiam.

Quæsitum 2. Num angelus possit plures actus intelligentiæ ponere simul. Difficultas est: Si angelus beatus habet sibi applicatam essentiam divinam, quæ facit, quod faceret species, præterea propriam substantiam per modum speciei, denique species universales rerum; et si est semper cognoscens actu Deum et se; quomodo fieri id potest?

Ad resp. nota 1. Sicut oculus una visione potest amplecti plura objecta, v. g., omnia quæ in horto sunt; ita et angelus una visione plura objecta attingere potest.

Nota 2. Sicut oculus non potest habere duas visiones, ut actus separatos simul, ita nec angelus duos actus plane separatos et a se independentes potest habere simul. Actus enim est forma inhærens actuans potentiam, eamque terminans; sed repugnat habere duas formas terminantes simul.

Nota 3. Sicut intellectus noster potest habere plures ideas simul inter se connexas, ita ut objecta idearum possint considerari magis saltem ut objecta materialia; ita et intellectus potest habere plures species simul, si sunt inter sese connexæ.

Expl. Si habemus ideam patris, oritur et nectitur idea liberorum, domus, etc.; hinc existunt simul et simul cognoscuntur. Idea patris est idea capitalis, actus huic ideæ correspondens est actus primarius; reliqui sunt quasi cognitiones et actus secundarii. Simili modo in cognitione angelica beata, Deus applicat essentiam suam intellectui angelico, quæ applicatio conjungitur cum applicatione propriæ substantiæ, sicut, quidquid mihi fit, sentitur simul cum mea substantia a me; cognoscendo vero et Deum et substantiam propriam, cognoscuntur etiam ideæ et objecta externa. Hinc in cognitione beata est cognitio essentiæ divinæ primarius actus; secundarii sunt cognitio propriæ essentiæ et idearum etc.: in cognitione naturali est cognitio essentiæ propriæ primarius actus, cognitio aliorum secundarius.

Coroll. Est igitur in cognitione beata cognitio Dei et propriæ substantiæ semper actualis simpliciter; cognitio eorum, quæ in essentia divina videntur, et eorum sine quibus essentia propria non potest clare cognosci, v. g., dependentia a causa [Deo] item semper actualis est. In *naturali* cognitione etiam abstracta cognitio Dei ex propria essentia semper foret actualis propter intimum nexum cum substantia. — Insuper quæ ad munus pertinent, v. g., custodiæ hominum pro angelo custode, semper actualiter cognoscuntur. Pro reliquis objectis cognitio obscura, confusa, plus minus actualis, *quandoque* admittenda est.

Quæsitum 3. Num possint angeli aliquid cognoscere per discursum.

Resp. negandum. Nam supremus gradus nostræ cognitionis est infimus cognitionis angelicæ; sed supremus gradus est in nobis, ut cognoscamus immediate principia sine discursu. *Ergo.* Vident igitur uno simplice intuitu causam et effectum; v. g., hominem et ejus umbram; —sicut in umbra concipiunt hominem, sic in se concipiunt Deum, licet in umbra sistant et sub hoc respectu Deum abstractive concipiant. Sicut concipimus in homine principium vitale in actionibus vitalibus sine discursu, ita Deum concipit angelus in se et in aliis rebus.*

* Sunt aliqua, v. g., arcana libertatis, quæ probabiliter seu per conjecturas tantum cognoscit angelus. Non apparet, cur circa hæc *a)* non possit discurrere, componere et dividere; *b)* cur non possit *falsum* ferre judicium hac de re, uti diabolus circa Job. Etiam bonus angelus potest ferre judicium in re probabili quia probabili, sufficit ad prudenter judicandum.

Quæsitum 4. Num angeli componant et dividant, i. e., num ideam prædicati et subjecti inter se comparent et dein forment judicium affirmativum aut negativum.—*Negandum*, quia unicus intuitus subjectum et prædicatum etc. clare repræsentat; ita ut comparatio non requiratur.

Quæsitum 5. Num angeli se inter se comprehendant.

Resp. Comprehensio, in quantum distinguitur a cognitione quidditativa est cognitio adæquans objecti cognoscibilitatem intrinsecam, i. e., tam secundum res quæ cognosci possunt, quam secundum claritatem qua manifestantur. Hac autem comprehensione superior quivis angelus cognoscit inferiores angelos et entia inferiora. (N. B. Actus liberi entis rationalis quum contingenter lateant in causa ita cognosci non possunt.)

Quæsitum 6. Num inferior angelus superiorem comprehendat. ***R. N.*** Nam cognoscibilitas pendet ab immaterialitate consimili. Superior autem angelus habet superiorem immaterialitatem.

II. De Voluntate Angelorum.

(Agimus proxime de puro naturæ statu.)

1. Angelos habere voluntatem patet, quia desiderant in eum [Christum] prospicere (I. Pet. i. 12.); desiderium autem est actus voluntatis. Præterea, voluntas est inclinatio rationalis, omni igitur enti rationali propria; convenit Deo, qui est in summo gradu intelligentiæ; convenit animæ, quæ est in infimo gradu intelligentiæ; *ergo* certe et iis, qui sunt in intermediis gradibus.

2. Est hæc potentia distincta ab intellectu, ut in nobis (vide supra); ejus objectum adæquatum est bonum in communi; objectum *materiale* est Deus, propria substantia, alii angeli, homines, aliæque creaturæ; objectum *formale* est bonum honestum, utile, delectabile — vel ut acquirendum vel ut conservandum (per actus fugæ etc.).

3. Circa bonum tres sunt actus in angelo: amor, desiderium, gaudium; circa malum tres: odium, fuga, tristitia (id quod in homine facit appetitus concupiscibilis); — præterea alia quinque: spes, desperatio, audacia, timor, ira (quæ in homine tribuuntur appetitui irascibili.)

4. Voluntas est semper aliquid volens, quia intellectus semper aliquid intelligit. Hoc enim requiritur tum ex parte intellectus, quia vo-

luntas non est aliud quam inclinatio sequens intellectum, tum quia vita perfecta hoc postulat.

PROPOSITIO XIII.

Angelus naturaliter liber est, idque ita ut etiam post electionem libere factam maneat adhuc indifferens ad volendum oppositum.

Cf. Suarez (de Ang. l. 3. c. 10.); Petav. (de Ang. l. 1. c. 11.)

St. Q. S. Thom. (1. q. 64. a. 2.) docet angelum ante electionem (in qua proprie libertas consistit) esse liberum; post electionem immobiliter adhærere illi, quod amplexus fuerit atque hanc esse causam, cur dæmones non possint converti.—"Et ideo consuevit dici, quod liberum arbitrium hominis flexibile est ad oppositum et ante electionem et post; liberum autem arbitrium angeli est flexibile ad utrumque oppositum ante electionem, sed non post. Sic igitur et boni angeli semper adhærentes justitiæ, sunt in illa confirmati, mali vero peccantes sunt in peccato obstinati" (1. q. 64. a. 2.). Consentiunt Thomistæ licet vario modo illam inflexibilitatem explicent, alii ut moralem (admodum difficilem) alii ut physicam impotentiam, quæ sententia inter ipsos communis. *Ratio est*: Angelus uno indivisibili intuitu omnem rei convenientiam, disconvenientiam, etc. perspicit et comprehendit, ita ut nihil omittat, et secundum hunc intuitum facit electionem; hæc vero electio immutabilis ideo est, quia objectum ipsum non potest alio modo proponi, ita ut mutetur intuitus. Manente autem immobilitate intuitus manet et immobilitas electionis; unde qualis necessitas manendi in intuitu, talis in electione.

Pars I. Angeli sunt præditi libero arbitrio.

Arg. 1. Est perfectio in Deo et in anima humana; *ergo* et in angelis.

Arg. 2. Angeli acceperunt præcepta (Heb. i. 6. "*adorent eum angeli Dei*"), peccarunt etc. *Ergo.*

Pars II. Possunt mutare electionem.

Arg. 1. Veteres fere omnes consentiunt, quod angeli boni firmati in bono sint, mali vero in malo, non ex eorum natura, sed ex gratia evenire. *Atqui* secundum Thomistas deberet ex natura venire. *Ergo.*

Prob. Maj. Fulgentius (l. de Fid. ad Petr. c. 3.) docet, damnatos et *angelos* et *homines* non natura sed ex Dei justitia obfirmatos in malo. Basilius (ad Ps. xxxii.) docet angelos bonos firmatos in bono, ita ut

non possint ad malum transferri, "*quod subinde velut tinctura quadam, ita sanctitate corroborati et in virtute stabilitatem dono Sancti Spiritus adepti sunt.*" Simili modo Gregorius Nazianz., de angelis agens, repetit immobilitatem in bono ex eo, quod thronum Dei circumstant, ac primario Dei fulgore collucent; pergit tamen "*verum ut non omnino immobiles sed ægre mobiles existimem ac dicam, mihi persuadet ille ob splendorem Lucifer.*" S. August. (de Corr. et Gratia, c. 10.) scribit, fuisse "præmium permansionis angelorum, ut magna per Spiritum S. data abundantia charitatis, cadere ulterius omnino non possent." Isidorus (de Summo Bono, c. 12.): "Gratia dicimus non natura esse immutabiles Angelos; nam si natura immutabiles essent, diabolus non utique cecidisset" Damascen. (de Fide l. 2. c. 3.) de bonis angelis: "Difficulter in malum mobiles erant, sed non immobiles; nunc vero et immobiles non natura sed gratia et adhæsione ad id, quod solum bonum est."

Arg. 2. Daniel x. 13–20. refert, angelum sibi apparuisse bonum, sibique dixisse, præliandum sibi esse cum angelo Persarum bono. Persarum enim angelus noluit liberare captivos Israelitas ideo, quod semper reciderent in idololatriam; alius angelus cum Michaele angelo Israelit. eos liberare voluit. Cf. Isidor. Pelusiot. (l. 2. Epist. 85.) *Atqui* Deus annuit angelo alteri et Michaeli; supponendus vero est bonus angelus continuo mutasse voluntatem suam. *Ergo.* — Quodsi dicitur angelus prior errasse, hinc correxisse prius suum errorem, respondetur, hoc in rebus contingentibus, in commercio cum angelis etc., sæpe evenire posse, unde sæpe mutanda voluntas foret. –

Arg. 3. Si propter claritatem intuitus angelus post electionem non est liber, nec erit ante electionem liber propter eundem clarum intuitum; *atqui* hoc repugnat secundum ipsos adversarios; *ergo* et alterum repugnat.

Scholium. Num angelus possit iteratis actibus acquirere habitus. *Resp. Potest*, nihil enim obest, quominus facultas perfecta magis etiam perficiatur. – Præterea, diabolus habitus malos habet.

III. De Facultate Agendi Ad Extra.

Quum hæc facultas sit locomotiva, agendum:—A. de loco angelico; B. de motu locali proprio; C. de vi movente et immutante alia.

A. DE LOCO ANGELICO.

1. Quidquid existit, alicubi existit; * hinc triplex *ubi* et triplex ubicatio: *a*) *ubi corporeum, b*) *angelicum, c*) *divinum.*

a) *Ubi corporeum vocatur locus.*—Locus sensu vulgari est: "*Certa pars spatii*;" sensu philosophico est: "*receptaculum extensi.*"—Hinc definitur a Gregorio Nyss. (de Anima): "*Locus est extremitas continentis, quatenus continet id quod continetur.*"

Expl. In amphora aquam continente amphora ipsa secundum internam superficiem, qua tangit aquam, est locus aquæ. Simili modo in spatio, aër ambiens et circumdans corpus secundum illud stratum, quod immediate tangit corpus tanquam ejus involucrum externum est locus corporis. "Mensurat igitur corpus sicut vas mensurat contentum; continet, conservat" (S. Bonav. 2. d. 2. a. 1. q. 1.); terminat et finit et circumscribit (utique externe). Involucrum illud externum, quod circumscribit et separat corpus vocatur locus locans; res ipsa ita circumscripta vocatur res locata.

b) In præcedentibus explicatus est locus externus; sed est et locus *internus.* Est autem iste locus ultima superficies ipsius corporis, in qua quasi locatum corpus est sicut in involucro concreto. Quiescit igitur corpus in hac sua superficie. Suarez assumit hanc superficiem loci interni non esse quasi extremum substantiæ corporeæ, sed esse modum realiter distinctum, qui emanat ex substantia sicut modus suppositi ex natura. Locus ille internus vocatur etiam *ubi* internum.

c) De modo, quo existit res in loco. Modus existendi sequitur modum essendi; quatuor autem sunt modus essendi: *α*) *per compositionem substantialem*—hinc *existentia circumscriptiva*, i. e., quando locatum coexistit toti secundum partes.† *β*) *Per simplicitatem substantialem* — existentia definitiva, i. e., circumscribitur quidem in loco, non per limites loci sed propriæ essentiæ finitæ, ita ut intra locum extensum et divisi-

* Existentia varia est: *a*)ut cogitatum in cogitante, (ideale in idea), v. g., amicus in amici cogitatione et amore; — existentia intentionalis, non localis. *b*) Ut inhærens in subjecto, v. g., accidens in substantia; —existentia inhæsiva, non localis (saltem non immediate). *c*) Ut contentum in continente, v. g., aqua in vase; — existentia localis, non tamen secundum spatium. *d*) Ut existens in aliqua parte spatii; —existentia substantiæ in loco stricte dicto.

† Corpus moleculis constans "longitudine, latitudine, altitudine ita sistitur vel movetur, ut majori sua parte majorem locum occupet, et breviori breviorem, minusque sit in parte quam in toto." S. Aug. (ad Hieron. Ep. 166. n. 4.)

bilem sit tota in toto, tota in partibus.* γ) *Per unitatem substantiæ*, sed replicationem quoad spatium —existentia replicativa, et sacramentalis — qualis in bilocatione, et qualis est in corpore Christi sub speciebus panis et vini, ita ut quidem vere adsit, sed non claudatur per locum specierum, quum possit et alibi esse. δ) Modus essendi *per eminentiam*—existentia supereminens, qualis est in Deo immenso.

d) De modo, quo in loco res est.—*a*) *De loco externo.*— Res corporea secundum quantitatem in loco est; quia secundum figuram quantam determinatur locus ambiens externus: hinc dicitur esse in loco per *contactum quantitatis*, — sicut vestis in corpore humano secundum figuram quantam seu secundum tactum quantitatis conficienda est. —β) *De loco interno.* Hic locus per ipsam suam substantiam est; unde si quantitas sit suppressa, manet locus internus; si non sit aër nec aliud quid ambiens non esset locus externus, sed internus tantum: fingatur lapis extra mundum creatus, ubi nullus esset aer etc., talis lapis non haberet locum externum, hinc non existeret proprie in loco, sed in se.

De modo, quo angelus existit in loco. —*a*) *De loco externo.*— Quæritur, quomodo angelus in hoc cubiculo existat. *Variæ sententiæ:* Scotistæ dicunt: Angelus applicat immediate aeri tanquam corpori, quod pervadit et parietibus ut terminis suam substantiam, simili modo sicut, quando in corpore assumpto existit.—Vasquez (Disp. 189. n. 28. . . .); Angelus unitur per modum aliquem unionis vel corpori assumpto, vel aeri in loco existenti.—Suarez: Angelus statuitur in hoc loco per suum *ubi* intrinsecum connotando hunc aerem in hoc spatio (vel aliud corpus, quod pervadit,) existentem et hos parietes (vel, si extra sit in aere, strata aeris ambientia) tanquam locum externum. — Thomistæ post S. Thomam: Angelus per substantiam præsens, sed nondum in loco; ut sit in hoc spatio ut in loco requiritur actio in aerem, quem pervadit, et in parietes vel strata aeris ambientia. Hæc actio transiens est (formaliter immanens virtualiter transiens, quum fiat per voluntatem) et vocatur tactus virtutis. Hac ratione facit sibi hoc spatium proprium tanquam suum locum. *Formaliter* ergo est in loco per *illam actionem.*

* Incorporea substantia non locali diffusione sed quadam locali diffusione porrigitur. Nam per omnes ejus particulas tota simul adest, nec minor in minoribus et in majoribus major, sed alicubi intensius, alicubi remissius et in omnibus tota et in singulis tota est. S. Aug. (ad Hieron. Ep. 166. n. 4.)

PROPOSITIO XIV.

Admittenda est sententia Suaresii, angelum esse in loco per ipsum suum ubi *intrinsecum suæ substantiæ, in quantum hoc connotat coexistentiam corporum (vel aeris) in eodem situ.*

St. Q. Non inquirimus, num ubicatio sit modus *divisibilis*, ut docet Suarez (c. 12.), i. e., num indivisibilis subjective, divisibilis terminative, sicut in anima humana, quæ secundum corpus dividi potest non secundum se; an sit *indivisibilis*: ac generatim omittimus quæstionem, num sit ubicatio modus realiter a substantia distinctus nec ne.

Arg. 1. Rejicitur sententia aliorum, præsertim Thomistarum.

a) Si actio ponens in loco sit actio ad extra et transiens, quæritur, qualis sit effectus, si v. g., angelus corpus aliquod de facto non assumpserit, sicut angeli custodes nobis præsentes sunt? Quod enim Cajetanus, Capreolus, Argentinas, Nazarius, Sylvius dicunt, agere quidem angelos, sed effectum vel suspendi a Deo, vel non esse sufficientem actionem ad effectum, sicut actio hominis, qui vult *saxum ingens* movere, — effugium est nihil explicans. Quod S. Thom. (In 1. d. 37. q. 3. a. 1. ad 4.) dicit: "Non est inconveniens, ut tunc (si non agat) *nusquam* vel in *nullo loco* esse dicatur," etiam cum explicatione Sylvii, S. Thomam velle tantum dicere, non esse *formaliter* in loco quamvis possit esse materialiter alicubi, non sufficit, quum debeat alicubi angelus esse.

× *b*) Ut possit agere in loco debet prius esse in loco; *ergo* non per actionem ponitur in loco. Quod vero distinguit Gotti inter præsentiam formalem et fundamentalem, et dicit agi hic de fundamentali præsentia, quæ constituenda sit in actione transeunte, est *absurdum*, quia præcise ad fundamentalem præsentiam, i. e., ad actionem, debet jam esse in loco.

× *c*) Marc. v. 9. et Luc. viii. 36., narratur legio dæmonum fuisse in uno homine. *Atqui* non apparet, quomodo omnes illi per activitatem potuerint ibi præsentes, ita ut si unus semel cessasset v. g., obsesso dormiente, continuo *nusquam* fuisset. *Ergo.*—Nec profecto sufficit responsum, si non ageret, debere angelum esse in cœlo, in quo præsideat rebus naturalibus: nam *α*) posset tamen esse angelus extra cœlum sine actione aliqua; ubi vero tunc esset? *β*) Censemus non per angelos, sed per **vires naturales systema mundanum regi.**

Arg. 2. In sententia P. Suarez omnia bene explicantur; imo possibilitas agendi illam præsentiam angeli in loco postulat. Anima etiam humana separata potest ita existere in loco, non utens vi sua executiva sed tantum intelligens et volens; item Seraphim, etc., Beati, possunt in loco existere non tangentes virtute alia corpora, etc., sed solum laudantes Deum.

N. B. *Refutatio* aliarum sententiarum facilis est.

β) *De loco interno angelico* quum sit ipsa angeli substantia cum suo ubi, vel requiescens in se non agendum; nec admittenda est sententia Billuart (de Angel. dissert. 2. a. 1. vers. fin.), angelos, si fuissent creati ante mundum, fuisse existentes in Deo.

Asserta quædam. 1. Spatium, in quo angelus existere et agere potest, nec est infinite magnum nec infinite parvum, sed certum quoddam et commensuratum angelo, vocaturque locus angeli *adæquatus*, i. e., adæquans substantiam et virtutem angeli. Intra hoc spatium potest angelus vel se extendere vel se contrahere; sicut anima in corpore humano crescit, non tamen ratione sui, sed ratione corporis crescentis. Simili modo angelus ratione spatii minoris majorisve se extendit, non ratione sui.

2. Potest angelus in hoc cubiculo, si existeret per totum, agere in quatuor angulis non tamen in medio, sicut anima in corpore potest agere per pedem et manum, i. e., motum producere, dum quiescit in medio. *Thomistæ* censent posse angelum existere in quatuor angulis licet non existat in lineis intermediis; *non admittendum;* nam esset quædam replicatio, quæ naturalis creaturæ esse nequit. Naturaliter enim pertinet ad unam naturam unus locus. Hinc neque adæquatis et dissitis locis pluribus potest existere angelus simul, neque inadæquatis. Inadæquatus autem locus est pars loci commensurati, v. g., si locus commensuratus angeli esset spatium hujus cubiculi, pars tertia esset locus inadæquatus. Quæri enim posset, si angelus vellet hic tertiam partem occupare, num aliam tertiam partem posset habere in horto, ultimam denique tertiam in urbe dissita, possetque ibi existere naturaliter ideo, quia omnes tres partes facerent totum locum adæquatum. Negandum igitur; posset profecto hac ratione angelus fere infinite multas partes variis punctis mundi ponere et ibi esse; quod profecto repugnat.

3. Possunt esse plures angeli in eodem loco *externo* compenetrative,

ut patet ex obsesso per legionem dæmonum, quum anima illius, etc., existerent in eodem loco; quamvis neget S. Thom. (1. q. 52. a. 3.) secundum suam doctrinam de loco angelico.

B. DE LOCOMOTIONE ANGELI.

Angelos loco moveri, patet sufficienter ex S. Scriptura, v. g., ex apparitionibus angelorum, Gabrielis, etc.—Quæritur quomodo moveantur.

Motus duplex: continuus et discretus. *Continuus* motus est transitus ab uno in alium terminum per spatium intermedium; v. g., globulus volvitur ab uno loco in alium per intermedium. *Discretus* motus est transitus ab uno termino in alium dissitum, non transiens per intermedium, v. g., cogitatio nostra potest subito ferri in aliam urbem non percurrens totum intermedium. Imaginatio potest ex hoc cubiculo subito nos ponere in Cathedrali Baltimorensi non nos ducens per puncta intermedia. Jam S. Thom. (1. q. 53. a. 2.) docet, utroque modo angelum moveri, transeundo per medium, et non transeundo. Contra vero Suarez et Toletus negant, posse angelum motu discreto moveri.

PROPOSITIO XV.

Impossibile est, quod angelus sua virtute transeat de extremo ad extremum, quin transeat per medium. (Ita Toletus 1. q. 53. ad 2. concl. 2.)

St. Q. Quum motus continuus concedatur a S. Thom. aliisque omnibus restat ut agamus tantum de motu discreto.

Arg. 1. Pro re tam mirabili deberet forte argumentum afferri. *At qui* nullum affertur, sed tantum affirmatur. *Ergo.* — *Prob. min.* Si enim dicitur, si angelus per medium transiret, faceret infinite multos locos, quos deberet posse numerare, infinita autem non possunt numerari, sequitur nec motu continuo posse angelum moveri, quod tamen conceditur. — Alterum argumentum— corpus Christi posse esse variis locis, angelus autem, quum sit naturaliter spiritualis, non solum quoad modum sed etiam quoad substantiam habet naturaliter, quod corpus Christi habet supernaturaliter (Billuart, de Ang. diss. 2. a. 3. dico 3° confirm.)—est plane falsum; quum corpus Christi non relinquat unum locum, sed sit quamvis unum tamen in cœlo et in multis locis terræ per quamdam replicationem, quod angelo naturaliter competere nequit.

Arg. 2. Quamvis angelus non habeat nostrum tempus sed tempus proprium, quia secundum S. Thom. non movetur instantanee, quum successive tantum duobus locis esse possit, coexistit tamen nostro tempori, ita ut per hoc mensurari possit. *Atqui* tempus nostrum est extensum continuum. *Ergo* motus angeli in tempore continuo tantum esse potest. *Atqui* intra duo illa instantia, quando angelus est in terra et quando in cœlo, est aliquod tempus extensum; si enim dicerentur duo illa instantia respondere instantibus contiguis nostri temporis, jam tempus nostrum non esset divisibile in indefinitum. *Ergo* ex uno loco in alium transit in tempore extenso, quod cadit intra duo illa instantia. *Atqui* priore instanto est in loco, quem relinquit, altero in loco, in quem advenit. *Ergo* tempore externo intermedio debet esse in spatio intermedio.

Arg. 3. Non esset motus, sed mutatio instantanea; non enim movetur in termino *a quo;* non in termino *ad quem; ergo* si movetur, debet per medium moveri.—Nec profecto intelligi potest, quomodo dispareat hic ac subito non currendo per medium appareat in Africa; quod vero intelligi non potest, sine gravi ratione admittendum non est.

Coroll. Ergo neque instantanee movet se angelus, quia successiva existentia in duobus locis successiva instantia efficit.

C. de modo, quo agat angelus in alia

1. Angelum tam bonum quam malum posse movere corpora patet sufficienter ex S. Script, v. g., Daniel xiv. 35. de Habecuc translato.—Præterea ratio suadet ex eo, quod Deus utitur angelorum ministerio ad varia munera; sed ad hoc supponit vires in angelis naturales: valde enim mirum, si supernaturaliter addere illas semper deberet. Inter ministeria vero sunt talia, quæ operationem in materia supponant, v. g., liberatio S. Petri e carcere.—Insuper anima humana proprium corpus eoque mediante, alia movere potest; *ergo* et angelus. Accedit quod angeli sunt pars universi, hinc debent habere influxum in universum; sunt pars superior; sed superior potest idem, quod inferior et plus; potest etiam agere in inferiorem. *Ergo.*

2. Quæritur, num illa vis sit realiter distincta ab intellectu et voluntate nec ne.—Illi, qui ponunt in Deo omnipotentiam virtualiter distinc-

tam ab intellectu et voluntate tamquam vim executivam, ponunt consequentur in angelo et anima vim illam agendi ad extra realiter distinctam: illi qui ponunt omnipotentiam in Deo ratione tantum distinctam, partim, ut Cajetanus, ponunt vim executivam in angelo realiter a voluntate distinctam; multo major pars censet in voluntate reponendum. Unde

PROPOSITIO XVI.

Vis agendi in externa non est in angelo distincta a voluntate; applicat autem se voluntas, mediante substantia propria, in corpus junctum.

Pars I.

Non est distincta.

Arg. 1. Voluntas immediate agit in intellectum ut facultatem, eamque applicat; *ergo* et immediate potest agere in substantiam eamque applicare. Profecto non apparet ratio, cur si in propriam substantiam velit agere debeat uti aliqua vi intermedia, cujus sit agere immediate in substantiam.

Arg. 2. Voluntas est facultas impulsiva ad extra et tendens ad extra. *Atqui* si una facultas est in motu ad extra, facile intelligitur, etiam substantiam ipsam participare hunc motum et ita simul rapi ad extra. *Ergo.*

Pars II.

Quomodo agat in externa.

Arg. Ut angelus agat in corpus externum, debet illi jungi. *Atqui* junctus cum illo (in unum quidem accidentale non substantiale), intelligitur quomodo motus mediante substantia transire possit in corpus junctum. *Ergo.*

Prob. Maj. Debet jungi ita ut sit indistans; nam *a*) id requirit ordo inter agens et passum. Actio enim est in passo; si vero non sit causa agens juncta passo, non intelligitur quomodo possit actio ex agente esse in passo.—*b*) Si in distans posset agere angelus, posset agere in maximas distantias; in plurima corpora: quod tamen videtur repugnare potentiæ finitæ.—*c*) Posset etiam corpus assumptum ab angelo moveri et agere, licet angelus non adsit. *Atqui* hoc non convenit cum communi doctrina. *Ergo.*

Minor patet; quamvis enim modus unionis non intelligatur, adest tamen quia angelus non existat juxta corpus assumptum, sed unitus cum illo ut motor mobili.

Scholium de effectu quem producere angelus potest.

1. Potest quidem angelus movere corpus, non tamen omne corpus cujuscumque magnitudinis, sed inferior angelus minoris, superior majoris magnitudinis corpus movere potest, quod facile patet. Voluntas enim non potest omnia, sed semper accommodate ad naturam, ut patet in homine, in quo non omnem potest motum producere. Mensura autem efficaciæ angelicæ videtur esse corpus, quod assumere et per quod in alia corpora agere potest. Sua enim cuique angelo respondet extensio spatii, cui coexistere potest. Corpus hanc mensuram explens subest dominio angeli. Quæritur num corpus illud possit esse tale, ut per motum etiam maximum possit movere, retardare, accelerare etc., lunam vel planetas. Profecto non; neque maximam partem terræ neque unum ex quinque continentibus videtur movere posse; quamvis in aere, in oceano, etc., tempestates excitare, dissipare possit.— Celeritas vero, quo transferre corpus potest quum sit participatio propriæ celeritatis, maxima est.

2. Præter motum localem angelus nihil potest in rebus efficere, hinc *a*) non potest qualitates ex potentia materiæ educere, nisi in quantum applicatione corporis fieri potest. Ratio est, quia eductio formæ novæ habet proportionem naturalem tantum ad compositum, quod agit per similem formam. Hinc fit, ut angelus non possit plantas et animalia producere, quia hæc generatione tantum producuntur et assimilantur formæ præcedenti. Potest autem angelus ad nutritionem, etc., conferre, etiam ad sanationem morborum, in quantum materias aptas affert, caloricam etc., excitat. Ad vitam sensitivam conferre potest ab intra et ab extra omnia bene disponendo. Non videtur posse naturaliter agere immediate in animam conjunctam, sed tantum mediante corpore, quia hoc naturale est animæ ut formæ. Hinc non potest immediate species impressas producere in intellectu, nec motus in voluntate, sed tantum mediante phantasmate. Nec in phantasmata immediate agere potest, sed tantum interne excitando humores, etc., externe proponendo objecta.

b) Non potest naturaliter miracula patrare, quia non extra, sed intra ordinem et nexum naturæ continetur; nec posset Deus per miracula

probare quidquam, si angelus posset facere miracula. Hinc patet angelum non posse naturaliter suscitare mortuum, quamvis naturaliter possit adducere ad corpus animam. Fieret etiam novum vivum, quod tantum naturaliter principio generante vel creante fieri potest, ita ut, si non esset miraculum, jam propterea repugnaret. Sed nec supernaturaliter per vim physicam superadditam posset suscitare mortuum; quia hoc fieret voluntate, hinc vi spirituali; sed non intelligitur, quomodo efficacia voluntatis ejusque imperio, si non sit creans, novum ens vivum, sensitivum, etc., fieri possit.

§ III.

De Tempore seu Ævo Angelico.

PROPOSITIO XVII.

Angelus quum sit natura sua incorruptibilis et in æternum vivens excludit a sua substantia omnem successionem ideoque et omne tempus; in accidentibus vero admittit successionem, ideoque tempus habet sibi conjunctum, non quidem tempus continuum sed discretum.

Arg. 1. Est naturaliter incorruptibilis. — Corruptio dicit decompositionem in partes. *Atqui* angelus non habet partes, quum sit simplex. *Ergo* corrumpi non potest. *Atqui* licet de essentia, utpote ens contingens, sit annihilabilis, de facto tamen non annihilabitur. *Ergo* angelus natura sua incorruptibilis, de facto immortalis in æternum est.

Prob. min. ult.—a) Homines post resurrectionem sunt æquales angelis (Luc. xx. 36.), nec ultra mori possunt; *ergo* nec angeli. Præterea, gloria æterna angelis bonis, pœna æterna angelis malis proposita et inflicta. *Ergo* erunt æterni.—*b)* In Concil. Lateran. V. (Leo X.) sess. 8. definitur animam humanam esse immortalem. *Ergo* a fortiori angelus, utpote natura perfectior.—*c)* Substantia spiritualis completa a nullo agente externo, sed tantum a Deo, destrui, i. e., annihilari potest, ut patet. *Atqui* Deus in ipsa natura ostendit, se eam non annihilaturum, quum ipsi dederit naturam, quæ possit esse in æternum, quæ appetat æternitatem, quæ non sit beata sine æternitate, quæ habeat finem in æternum. *Ergo* ostendit se velle illam etiam conservare in æternum.

Neque angelus malus est sine fine, quum et ipse debeat pœnâ sua gloriam divinæ justitiæ manifestare. *Ergo* et ipse vivet in æternum.

Arg. 2. Ibi nullum tempus, ubi nulla successio. *Atqui* angelus habet nullum successionem in substantia; nihil enim potest amittere, nihil substantiale acquirere: hinc nullum habet præteritum in substantia, nullum futurum, sed tantum præsens. *Ergo* non habet tempus in substantia.

Expl. Maj. Tempus est duratio rei substantialiter corruptibilis. Ipsa existentia rei durans est tempus *internum;* externa mensura hujus durationis variabilis est motus cœli.— Duratio est vel *a*) *successiva* vel *b*) *permanens.*

a) *Successiva* duratio habet has notas: *α*) ut fiat per partes, idque ita, ut inter partes existat relatio mutuæ exclusionis, vi cujus positio unius sit negatio alterius; unde *β*) oritur τὸ ante et τὸ post, et transitus a τὸ non-amplius-esse ad τὸ nondum-esse per aliquod instans indivisibile, quod proprie præsens est. Hoc instans est ex utraque parte terminatum abysso τοῦ nihili; unde hoc instans habet ex sese relationem ad aliquid quod fuit, et ad aliquid quod erit. Hoc autem instans fit præteritum, sicut novum ex futuro fit præsens. —Valet autem hæc expositio pro tempore *externo* tantum.

b) Duratio *permanens* est esse continuatum; unde non est relatio ad prius et post; non prior-et post-existentia in eo possibilis. Duratio talis est in ente spirituali; et quia participat æternitatem Dei, vocatur æviternitas, seu ævum. Quum vero omni momento esse illud annihilabile sit, habet saltem hanc annihilabilitatem sibi conjunctam. Quamvis vero tempus non in se habeat, tamen coextenditur rebus mobilibus, hinc temporaneis et ipsi tempori, unde mensurabilis sub hoc respectu per tempus est.

Arg. 3. Angeli habent varios actus successivos conjunctos suæ substantiæ; *atqui* successio constituit tempus; *ergo* habet tempus conjunctum. *Atqui* actus illi sunt instantanei, ita ut transitus ab uno ad alium actum fiat sine statu intermedio τοῦ fieri. *Ergo* tempus est secundum momenta instantanea non continua, hinc tempus non est continuum sed discretum.

Expl. min. ult.—In homine actio intelligendi non est instantanea sed paulatim producitur, unde est prius in statu fieri dein in statu esse;

propterea potest etiam ratiocinari. Sed in angelo est instantanea, i. e., ut primum idea impressa applicata est, omnia unico intuitu videt. Transit igitur a perfecto ad perfectum. Qualis autem est successio, tale est tempus. Tempus, quod non per statum fieri transit, vocatur tempus discretum. Analogia potest sumi ex coexistentia in spatio. Ordo successionis in spatio, v. g., in bibliotheca, est a libro perfecto ad librum perfectum, unde ordo discretus; continuatio igitur seriei secundum discreta.

Coroll. Quatuor habet angelus operationes:—1. beatifica—intellectio et amor Dei, — 2. naturalis *sui* intellectio et amor, — 3. intellectio et affectio erga creaturas,—4. operatio ad extra transiens, mutatio loci. Jam quum duæ priores omnem successionem excludunt, mensurantur æternitate participata: unde *prima* præsertim merito a S. Thom. vocatur perfectissima participatio æternitatis divinæ. Reliquæ duæ admittunt tempus (discretum).

§ IV.

De Societate Angelica.

1. Immensam angelorum multitudinem in varios ordines esse distinctam, est de fide.* Etenim in S. Scriptura modo sermo est de Seraphim (Is. vi. 2.), modo de Cherubim (Gen. iii. 24.; Ezech. x. 3.), modo de Thronis, Dominationibus (Coloss. i. 16.), etc. Certum præterea est, totam illam multitudinem formare societatem; est enim *a*) non confusa multitudo, sed ordinata; *b*) sociabilitas est naturale enti rationali qua tali; *c*) multum confert ad bene esse angelorum, si non sint pro se soli sed vinculo sociali, i. e., intellectus et voluntatis inter se cohæreant; *d*) describitur præterea in Apocal. concentus angelorum, etc., qui societatem indicat.—Quæritur autem quænam sit hujus societatis forma, quæ a Deo tanquam capite descendens per varios gradus omnes colligat et amplectatur, seu quæritur, quo ordine et modo omnes angeli sint ad Deum ordinati.

2. Angeli sunt personæ sacræ: finis omnium tam singularis quam

* Suarez (l. 1. c. 13. de Ang.): "Esse in angelis ordinem inferiorum et superiorum secundum varios dignitatum gradus, qui gradus in tribus Hierarchiis (prima, secunda et tertia) constituuntur, et ita novem sunt ordines, qui Angeli . . . . nominantur. Hoc fundamentum in communi sumptum, abstrahendo a modo distinguendi et ordinandi prædictos ordines, *de fide est.*"

universalis est imitatio, similitudo, et gloria Dei; media debent huic fini correspondere. Secundum hæc tria momenta Dionysius (de Hierarch. Cœl.) ad analogiam hierarchiæ ecclesiasticæ distribuit multitudinem angelorum in tres hierarchias.—Quum S. Dionys. theologi sequantur, ejus doctrinam sequemur. -Habet auctoritm. Ecc.

DE HIERARCHIA.

Ut omnis vocis confusio evitetur, notandum:

1. Potest vox adhiberi in *sensu passivo*—ἱερὰ ἀρχή, sacrum regnum, sacer principatus; in hoc sacro regno tres sunt ordines, vel quasi civitates, quæ habent diversas leges, secundum quas regi debent. Multitudo igitur angelorum in quantum divisa est in tres illas classes seu provincias secundum varias leges seu constitutiones regendas, constituunt sacrum regnum Dei. Tres illæ classes nectuntur inter se vinculo alicujus super-et sub-ordinationis.

2. Potest vox hierarchiæ sumi sensu activo sicut in ecclesia corpus Cardinalium, episcoporum, presbyterorum: significat igitur classem angelorum seu corpus (sociale) angelicum, dignitatem convenientem et potestatem certarum functionum habens.

3. In sensu proprio, quem Dionys. (c. 3.) exhibet, hierarchia est principatus seu potestas sacrarum rerum et functionum (ἀρχὴ τῶν ἱερῶν). Quæ sacra, etc., quum ad sanctificandum inserviant, hierarchia etiam potestas est sacrorum dandorum et communicandorum.

Expl. In tali hierarchia notanda sunt: *a*) *finis* universalis; *b*) *munus* ad hunc finem; *c*) *subjecti.*—Jam *a*) *finis* non est alius nisi cultus Dei (Apoc. v. 11. 12.; iv. 9–11.; vii. 10.; xiv. 1–5.), et in angelis, major similitudo cum Deo.—*b*) In *munere* tria distinguenda: *α*) postestas seu ordo (τάξις); *β*) scientia (ἐπιστήμη); *γ*) actio (ἐνέργεια, quæ ut actio sacra vocatur etiam τελετή.)- *Effectus*, ad quos illa potestas inservit, sunt: purgatio (καθαίρωσις), illuminatio (φωτισμός), perfectio (τελείωσις).*

* Tres illi effectus non sunt nisi unus effectus sub triplice respectu consideratus. Quum enim Deus, ut notat Dionys., sit simplicissimus et maxime unus sub respectu puritatis, luminis, perfectionis, est— aliis causa puritatis, illuminationis, perfectionis. Ad ejus analogiam ordo superior quivis est inferiori causa puritatis, luminis, perfectionis. Quum vero totus iste ordo sit tantum in bonis non in malis angelis, boni vero angeli nullas sordes in se habeant, a quibus purgentur, sequitur, purgationem non esse aliud, quam communicationem majoris luminis, sicut albedo quodammodo purgatur crescente ratione albedinis, simulque hac ratione perficitur. Cf. S. Thom. (1. q. 106. a. 2. ad 1.); Dionys. Carthus. (de Cœl. Hierarch. c. 3.); Guilielm. Parisiens. (part. 2. prim. part. de Univers. c. 198.); Petav. (de Ang. l. 2. c. 4.). Est igitur una illuminatio habens effectum triplicem,—ut purget, illuminet, perficiat.

—*c*) *Subjecti* sanctificandi etc., sunt ordo gradus inferioris. Sicut in vetere testamento erat una tribus tota sacerdotalis, ita in hierarchia cœlesti superior tribus est quasi sacerdotalis respectu inferioris.

PROPOSITIO XVIII.

Multitudo angelorum merito in tres hierarchias seu principatus sacros dividitur.—Post S. Dionys. (c. 6.) est theologorum communis et in Ecclesia simpliciter vigens sententia.

Arg. Angeli utpote puri spiritus non possunt alio modo regi quam cognitione, hinc illuminatione. *Atqui* cognitionis et illuminationis triplex modus gubernandi. — *Prob. min.* Principia cognitionis aut sunt universalissimum— Deus; aut universalia creaturarum, aut magis particularia quamvis non simpliciter singularia. *Atqui* hæc tria principia, utpote sola principia gubernationis, recte gubernium diversum constituunt. *Ergo* triplex gradus gubernandi, hinc triplex hierarchia.

Expl. Maj. (N. B. *Agimus de angelis beatis.*) Alii angeli maxime accedentes ad Deum et quasi in vestibulis Dei collocati (S. Dionys. de Cæl. Hier. c. 7.) hauriunt immediate illuminationem ex Deo ;—hi pertinent ad primam hierarchiam : alii hauriunt ex causis magis universalibus et creatis quæ magis multiplicantur ;—pertinent ad secundum hierarchiam : alii ex causis propriis et particularibus ; — pertinent ad tertiam hierarchiam.

N. B. Certum est, angelos non omnia videre in essentia divina ; seu essentiam divinam, quæ sit applicata angelis loco speciei impressæ non omnia manifestare intellectui angelico (v. g., diem ultimi judici nullus angelus scit), partim quia Deus non vult, partim quia licet essentia repræsentet multa, intellectus cum lumine gloriæ non sufficit ad videnda omnia. Illa igitur, quæ non vident, possunt addiscere; per illuminationem possunt dirigi. Jam vero primi angeli immediate a Deo cognitionis et imperia accipiunt ; circumstant Deum quasi in peripheria prima. Hi vero transmittunt ad secundam hierarchiam in peripheria secunda, agendo conformiter ad principia universaliora (per propositiones objectorum, vid. supra.) Hi denique, proponendo objecta jam singularia non ut in præcedente sub respectu magis communi, transmittunt ad hierarchiam tertiam quæ in tertia peripheria constituta est. Quum ita

descendet lumen a Deo, hac ratione omnia reguntur. Solet ita etiam fieri in omni societate; quum societas postulet sociale gubernium, et excludat, principem societatis regere unumquemque per se ipsum: v. g., Papa per Cardinales regit episcopos; per hos regit presbyteros, etc.

PROPOSITIO XIX.

Certum est, angelorum multitudinem in varios ordines seu choros esse distinctam.

St. Q. Erasmus, Beza, aliique negant, variis nominibus S. Scripturæ angelorum ordines designari.

Arg. 1. *S. Scriptura* variis nominibus angelos nominat ac dividit. *Atqui* nominibus illis *a*) designat personas, et quidem *b*) personas secundum varios ordines distinctas. *Ergo.*

Prob. Maj. Isai. vi. 2. legitur: "Seraphim stabant super illud."—Gen. iii. 24.: "Collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim." Item Ezech. x. 3. —Coloss. i. 16. Paulus dicit: "Sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates, omnia per ipsum et in ipso creata sunt."—Item Ephes. i. 20. 21.: "Constituens ad dexteram suam in cœlestibus supra omnem Principatum et Potestatem, et Virtutem, et Dominationem, et omne nomen, quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro."—I. Thess. iv. 16.: "In jussu et in voce Archangeli." — Rom. viii. 38. "Neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes." *Ergo* novem hic chori Angelorum recensentur.

Prob. min. a) *Designantur personæ.* Nam nomina illa designant non abstractum quid sed *creatum*, hinc concretum. *Atqui* his concretis entibus ejusmodi prædicata attribuuntur, quæ tantum personis propria sunt: v. g., clamat alter ad alterum, loquuntur, etc. *Ergo* designantur personæ. *Atqui* personæ illæ sunt spiritus cœlum incolentes, ut clare dicitur Eph. i. 20. 21: "constituens . . . . . in *cœlestibus* supra omnem Principatum;" præterea, est sermo non de humanis personis, sed de angelis, quorum habitatio in cœlis est. *Ergo.*

b) *Designantur ordines.* Nam angelorum multitudo vocatur *exercitus* multisque modis ordo hujus multitudinis indicatur. *Atqui* varia nomina alicujus exercitus varios ordines designant. *Ergo.*—Præterea,

nomina Principatus et Potestates, etc., ex sese varia officia designant. *Atqui* varia officia variis ordinibus conveniunt, in quantum secundum officia ordines distinguuntur; si enim Christus ponitur supra Principatus, etc. (Eph. i. 20. 21.) non ponitur supra officia, sed supra ordines, qui officiis illis exhibentur. *Ergo.*—Accedit, quod nomina *Archangeli* et *Angeli* diversitatem excellentiæ ideoque et ordinationis significant nec possint eadem individua significare. *Ergo* quum in his classibus angelicis differentia clara sit, de aliis etiam analogice loquendum est.

Arg. 2. *Ex Traditione.* S. Ignat. (Ep. ad Trall. c. 5.) dicit, se non ideo quod cœlestia intelligere posset et cœtus, etc., principatuum, esse jam discipulum Christi. Iren. (l. 2. c. 30.) postulat ut sibi enarretur numerus Angelorum, ordo Archangelorum, Dominationum, Principatuum etc. Cyrill. Hier. (Catech. 11.) docet temerarium esse velle exquirere, quomodo Deus Filium suum genuerit, etiam ab Angelis, Archangelis, Thronis, Potestatibus etc.; etiam in cœlis, quomodo inter sese differant Throni, Dominationes, etc. Simili modo Athanas. (Orat. 3. Cont. Arian.); S. Joan Chrysost. (Hom. 4. in Genes.); Hilarius (in Ps. cxviii. lit. 3. n. 10.). Præsertim S. Gregor. (Homil. 34. in Evang.) ubi novem choros angelorum enumerat. Cf. Petav. (l. 2. c. 1.); Suarez (de Ang. l. 1. c. 13.).

× Confirmat sensus Ecclesiæ, quæ tum in "*Te Deum,*" tum in variis præfationibus Missarum, tum in Antiphon. ad primas Vesp. festi Omnium Sanctorum novem illos angelorum choros enumerat.

Coroll. 1. *Ergo* patet, quam falso soleant aliqui interpretes Protestantes (Rosenmueller, Patrick Lowth, Clarke, in Comment. in Eph. i. 21.) nomine angelorum vel ut synonyma, vel signa omne genus dominationis significantia considerare.

Coroll. 2. *Ergo* si verum est nomina angelorum esse desumpta ex dignitatibus imperii Persici, sicut nomina aliqua ex dignitatibus imperii Romani derivata sunt, v. g., Imperator, Cæsar, Consul, Centurio, non sequitur, rem inde esse deductam, ut fere volunt Erasmus et Beza (in Eph. i. 21.; Col. i. 16.) Cf. Hug. Grotius (in Eph. i. 21.)—Præterea, minime probari potest hierarchiam Persicam fuisse prototypon, ex qua hierarchia cælestis conficta sit, quum Cherubim, Seraphim, etc., nullatenus dignitates Persicas designaverint; imo nec *Throni*, qui dicuntur

respondere Persarum regulis, unde ipse rex summus βασιλέων βασιλεύς sit dictus, non sunt primus chorus, et vox per se aliud significat.

Quæritur 1. Num certum sit, esse *novem* choros. —*Resp.* Non videtur certum, quum S. Hieron. (Comment. in Eph. i. 21.) septem choros tantum enumeret. S. Chrysost. (Orat. Contra Anomæos) ait: "Sunt et aliæ virtutes [angelorum], quarum ne nomina quidem novimus. Item Theodoretus, Œcumenius et Theophylactus (in Comment. suis in Eph. i.) ordines alios prætermissos esse censent. Hinc non videtur numerus esse certus; nihilominus temerarium esset nunc contra traditionem tantam Patrum numerum illum velle rejicere.

Quæritur 2. Quo ordine sequantur *chori*.

Ordo S. Dionysii.	Ordo S. Gregorii.
1. Seraphim,	1. Seraphim,
2. Cherubim,	2. Cherubim,
3. Throni,	3. Throni,
4. Dominationes,	4. Dominationes,
5. *Virtutes*,	5. *Principatus*,
6. Potestates,	6. Potestates,
7. *Principatus*,	7. *Virtutes*,
8. Archangeli,	8. Archangeli,
9. Angeli.	9. Angeli.

Apparet, differre catalogum S. Dionysii a catalogo S. Gregorii eo quod n. 5. S. Dionys. ponat Virtutes, n. 7. Principatus; S. Gregorius vero n. 5. Principatus, n. 7. Virtutes. S. Dionysium sequitur Damascenus (l. 2. de Fide c. 3.); S. Gregorium vero S. Bernardus (l. 5. de Consol. c. 4.). Fortasse discrimen ex eo ortum est, quod significatio nominum non est satis accurata.

Quæritur 3. Quomodo chori se habeant ad hierarchias. — *Resp.* Sunt subdivisiones, ita ut prima hierarchia complectatur tres primos choros; secunda, tres sequentes; tertia, tres ultimos. — *Expl.* Hierarchia est velut provincia propria regni angelici propriam habens constitutionem. *Atqui* omnis provincia est multitudo non confusa sed ordinata. *Ergo* est ordo. *Atqui* ordo perfectus solet esse triplex— secundum optimates, honoratiores, inferiores. *Ergo* et in hierarchia cœlestis ordo est, ut sint supremi in quavis hierarchia, medii, infimi. Accedit, quod PP. et ecclesia soleant ita choros distribuere.

Quæritur 4. Quænam sit differentia inter hierarchias.—*Resp.* Prima hierarchia refertur ad Deum immediate, vocatur aula Dei; secunda ad

angelos; tertia magis ad ministerium relate ad homines. — In prima hierarchia Seraphim significant ignem Dei: circumstant quasi flammæ amoris; senas habens alas (Is. vi. 2.), quibus ex parte se elevant, ex parte se contegunt faciemque velant; meditantur Deum, et clamantes "sanctus . . . . . !"; labia prophetæ purgant lapide ignito.— Amor extaticus. Cherubim sunt custodes paradisi, arcæ fœderis; gerunt gladium; Ezech. i. et x. pleni sunt oculis, etc., unde et scientia et potentia in ipsis manifesta est. Throni videntur esse symbola quietis contemplativi Dei, qui habitationem suam in Thronis habet. —Quæ de reliquis dicuntur, sunt plus minus probabilia, unde ea transmittimus.

Quæritur 5. Num illa differentia sit in natura fundata, seu tantum in donis supernaturalibus superadditis, sicut differentia classium in societate, non in natura, sed in dignitate externa fundata est. — *Resp.* Proxime est fundata in donis superadditis, sed in natura fuit prædispositio; unde distinctio: *completive* per gratiam, *dispositive* per naturam. Quumque natura spiritualis manserit et in dæmonibus, erit similis ordo et inter diabolum ejusque angelos. — Septem illi angeli, de quibus Tobias (xii. 15.) et Apoc. (i. 3. 8. et xv. xvi. xvii. xxi.), "*qui adstant ante Deum*," ex quorum numero erat Raphael, videntur peculiari ratione adstare ante thronum Dei, ut mandata Dei accipiant et transferant. Cf. Suarez (de Ang. l. 6. c. 10. n. 31–34.). Ad illos et Michael pertinet et Gabriel; veteres quidam Patres et reliquos quatuor nominant: Uriel (IV. Esdras iv. 1.), Sealthiel, Tehudiel, Barachiel. Jam vero Papa Zacharias in Concil. Roman. (754.) rejecit hæc quatuor nomina.

Scholium de ministerio angelorum. Officium angelorum est 1. *ut adorent Deum;* v. g., Apoc. iv. 8. de Seraphim: "Requiem non habebant die ac nocte dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus." Cf. Ps. xcvi. 8.; cxlviii. 2.; Job, xxxviii. 7.; adorant præterea Verbum incarnatum.— Heb. i. 6.: "Quum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: et adorent eum omnes angeli Dei."—In nomine Jesu omne genu flectendum etiam in cœlis. Philip. ii. 10. In nativitate, angelorum multitudo militiæ cœlestis canebat. Luc. ii. 13–14.. Ministrabant angeli post victoriam de diabolo (Matth. iv. 11.), post agoniam, in resurrectione. — 2. *Ministrant* Deo in cœlis, i. e., voluntatem Dei faciunt Matth. vi. 10.: "Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra;" Dan. vii.

10.: "millia millium ministrabant ei." — 3. Erga alios *angelos* agunt socialiter, *illuminando*, etc. 4. Erga *homines*, *nuntii sunt*, i. e., mittuntur in ministerium. *Duplex missio: invisibilis*, erga angelos alios, quos illuminent, etc., (de hac non agimus); *visibilis*, *vel immediata*, dum per se opus exequuntur, ut Raphael comes Tobiæ, *vel mediata*, dum aliis imperium, etc., Dei referunt, ut Gabriel, B. Virgini. Jam secundum Thomistas non omnes angeli mittuntur, sed angeli quatuor supremorum ordinum assistunt tantum, idque volunt colligere *tum ex nominibus*, quæ nullum missionis munus indicant; putant autem ex nominibus recte se dijudicare rem, quia ad id essent revelata, ut ostenderent quid angeli sint; tum *ex natura societatis*, in qua superiores mitterent inferiores: concludunt igitur angelos quinque inferiorum ordinum mitti tantum. Scotistæ censent, omnes mitti, licet inferiores sæpius — secundum illud Hebr. i. 14.: "Nonne omnes sunt administratorii spiritus."

Scholium de differentia vel numerica vel specifica.

Triplex sententia: Scotistæ docent, omnes angelos esse ejusdem speciei, ita ut omnis distinctio et differentia sit accidentalis et externa, secundum dona superaddita et dignitatem. — Thomistæ, e contra docent, omnes angelos esse specie diversos, ita ut per absolutam Dei omnipotentiam non possint multiplicari angeli in eadem specie.—Societatis auctores docent, posse multiplicari in eadem specie angelos, et convenire eos esse multiplicatos secundum choros, etc. Hinc duplex quæstio: prior, num *possint* multiplicari in eadem specie; altera num sint *de facto*.

I. De possibilitate absoluta.

Thomistæ post S. Thom. (Cg. l. 2. c. 92.) negant propter has rationes: 1. Omnis multiplicatio numerica seu individuatio fit non per formam, sed per materiam signatam, i. e., per materiam quantitate effectam. *Atqui* nulla in angelis materia. *Ergo.*

2. Omnis differentia in forma est differentia secundum speciem, quia formæ est, referre in speciem. *Ergo* si est differentia in forma, hæc est specifica, non numerica.

3. Multiplicatio individuorum in eadem specie est ad conservandam speciem; sed in uno individuo angelico species conservatur sufficienter et immortalis est. *Ergo.*

4. Angelus est abstractus a materia, sicut homo est abstractus a materia. Jam vero si homo ut homo (secundum conceptum abstractum) existeret, esset unus tantum homo. *Ergo* a pari unus tantum angelus.

ASSERTUM.— *Vera et certa sententia est, posse angelos multiplicari in eadem specie.*

ARG. 1. Deus semetipso individuatur estque unus et unicus. *Atqui* Deus est forma subsistens. *Ergo* non repugnat formam semetipsa individuari independenter a materia.

ARG. 2. Animæ humanæ sunt ejusdem speciei; dant enim idem esse specificum hominibus. *Atqui* ut separatæ sunt individua sine materia. *Ergo* seipsis individuantur et multiplicantur, non autem materia. Neque dici potest destinatio ad corpora animas individuare et multiplicare: destinatio enim sequitur esse; hinc sunt ideo ad corpora individua destinata, quia ex se sunt individua.

ARG. 3 Formæ accidentales individuantur et multiplicantur seipsis quamvis multo magis dependeant a materia; *ergo* et formæ substantiales.—*Prob. Ant.* *a*) Secundum Scholasticos, præsertim Thomistas, calor est forma accidentalis. Jam si heri in manu mea fuit forma caloris effecta et dein corrupta, et si hodie de novo forma caloris efficitur in *eadem* manu, *duæ* profecto formæ caloris erant. *Atqui* non sunt duplicatæ per materiam, quia hæc eadem manus est. *Ergo* per sese duplicatæ formæ illæ sunt. — *b*) Materiæ individuantur et multiplicantur per quantitates et quantitates per se ipsas. *Atqui* quantitates et ipsæ sunt quædam formæ. *Ergo*.

ARG. 4. Angeli sunt in genere, ut conceditur; *ergo* etiam in specie possunt esse. Non enim intelligitur, quomodo genus possit esse indifferens relate ad species, et species non possit esse indifferens relate ad individua.

ARG. 5. Videtur absurdum dicere in omni angelo malo esse damnatum integram speciem, ita ut ejusdem speciei individuum beatum Deus non habeat.

ARG. 6. Argumentum solidum ex PP., qui docent, de facto omnes angelos esse in eadem specie.

Resp. ad obj.—*Ad* 1. Falsum principium ut patet ex argumentis.

Ad 2. *a*) Non omnis differentia in forma simplice aliam speciem

constituit, quia intra limites ejusdem speciei plus et minus non mutat speciem.—*b*) Ubi formæ sunt specificæ diversæ, ibi sunt et res informatæ specifice diversæ; ubi formæ tantum numerice diversæ sunt, ibi et res tantum numerice sunt diversæ.

Ad 3. Absurdum principium, quia anima humana non ideo conservatur, quia per materiam multiplicatur, sed ex sese immortalis est.

Ad 4. Neganda comparatio, quia homo abstrahitur a singularibus, non a materia.

II. *De facto, i. e.*, num de facto chori sint species diversæ, seu generatim, num abstrahendo ab illa divisione secundum choros, species diversæ in angelis sint.

1. Scotistæ, præterea Guillem. Paris. (I. p. 2ae. de Universo c. 67. et 170.), Durand. (q. 3.), Henric. (Quodl. 2. q. 8.), Toletus (de Ang. q. 50. a. 4. Concl. 2.) docent probabilius omnes angelos esse ejusdem speciei, ita ut distinctio secundum choros sit accidentalis.—*Rationes* sunt:

a) PP. dicta. Basil. (l. 3. contra Eunom.): "Angeli ut appellationis unius, sic et naturæ sunt ejusdem invicem." — S. Joan. Damasc. (l de Duab. Volunt.): "Angeli et homines suam quisque divisam et distinctam habent hypostasim, etsi ejusdem naturæ sint."—S. Cyrill. Alex. (l. 2. in Joan.): "Angelus ab altero angelo nulla re differt secundum id, quod sunt angeli . . . quum sint omnes ejusdem speciei."—S. Gregor. Nyss. (lib. cont. Eunom.) docet, cum, qui dicat variis nominibus naturarum differentias significari, *seducere seipsum*, quum nonnisi functionum differentiæ significentur.—S. Athanas. (QQ. ad Antioch. q. 4.): "Essentia angelorum una est, sicut omnium hominum una est essentia; ordines novem sunt, sicut multum potens in Theologia Dionysius tradidit." Conveniunt S. Maxim. (de Hier. Eccl. c. 5.), Paschas. (l. 1. de Spir. S.), Gelas. (l. adv. Hær. Pelag.).

b) Addit Tolet. rationes suadentes: *α*) Ejusdem rationis est hominum et angelorum exercitus; sed in hominum beatorum exercitu sunt Confessores, Martyres, Virgines; *ergo* a pari chori in angelis. — *β*) Poterat Deus assumere naturam angelorum, ut eos redimeret; sed ad hoc debebant esse ejusdem speciei (saltem conveniebat.) —*γ*) Christus Dom. erat paulo infra angelos; sed si diversæ essent species, multum infra summos fuisset. *Ergo.*

2. S. Bonav. (l. 2. Sent. dist. 3. art. 2. q. 1. Concl.): "Non videtur

nisi præsumptio hoc dicere [omnes angelos specie differre], maxime quum non appareat ratio cogens. Alia est positio sobria et catholica, quod in angelis est ponere distinctionem quantum ad personalitatem tantummodo, aut in omnibus aut in aliquibus." Suarez (l. 1. de Ang. c. 15. n. 15.) docet sub una specie multos angelos; postquam (l. 1. de Ang. c. 12. n. 15.) docuit longe probabilius esse, in angelis esse diversitatem specierum. — Tournely (de Ang. a. 3. Concl. 4.): "Probabilius est non omnes angelos esse ejusdem speciei." (Concl. 5.): "Probabilius est, non omnes angelos differre specie, sed plures esse ejusdem speciei et solo numero differentes."—*Rationes* sunt:

a) PP. sæpe illud docent. S. Hieron. (l. 2. c. Jovin. c. 15), S. Dionys. (de Cœlest. Hier. c. 5.), S. August. (Enchirid. c. 29.), S. Anselm. (l. 2. Cur Deus homo, c. 21.).

b) Si ob pulchritudinem totius, quæ supponit varietatem, multiplicantur genera et species, convenit multiplicari etiam individua.

c) Ad ornatum aulæ Principis pertinet, ut in omni ordine seu gradu personarum sit aliqua multitudo cum æqualitate (ita Suarez), ut cum majori proportione ministeriis inservire possunt.

d) Convenit ut angeli habeant socios sibi perfecte similes ob amicitiam etc. — Accedit, quod aliqui sint æquales in gratia; *ergo* et in natura.

Scholium de scriptis Dionysii Areopagitæ.—Quum doctrina de angelis multum nitatur scriptis Dionys., "de Cœlesti Hierarchia" et "de Eccl. Hierarchia," aliqua de hoc auctore dicenda.

I. *De Vita.*—Videtur natus Athenis esse anno Christi nono; scribitque (in Epistola ad Polycarp.) se Heliopoli annos viginti quinque natum una cum Apollophane philosopho solis defectionem in morte Christi observasse. Fuit membrum Areopagi Atheniensis; imo Asterius (Orat. 8. in bibl. PP. Lugdun. t. 5. p. 829.) affirmat eum principem Areopagi fuisse. Conversus fuit a S. Paulo (Act. xvii. 33. 34.) cum muliere aliqua Damaris, quæ ab aliquibus Patribus dicitur fuisse ejus uxor. Athenis primus episcopus fuit institutus; ita Dionys. alter Corinth. episc. anno 175. Item Martyrol. Rom. die 9. Oct., item Martyrol. Adonis die 3. Oct. — Referunt eum Parisiis martyrium subiisse; quod a plurimis negatur. — Mortuus videtur sub Domitiano (81–96); ita Martyrol. Adonis.

II. *Scripta.*—1. Liber de Cœlesti Hierarchia; 2. lib. de Ecclesiastica Hierarchia; 3. lib. de Divinis Nominibus; 4. lib. de Mystica Theologia; 5. epistolæ quatuor ad Cajum Monachum, epistola una ad Dorotheum diaconum; epistola ad Sosipatrum Episcopum; epistola ad Demophilum monachum; epistola ad Titum Cretæ Episcopum; epistola ad Joannem Apostolum in Patmos exulantem; epistola ad Apollophanem, philos. pagan. Quum omnia hæc scripta eidem auctori adscribantur, de omnibus agemus in communi.

III. Rationes pro et contra authentiam operum.

a) Rationes *contra*.—*α)* Quum sub Justiniano I. (527–565.) Monophysitæ, dicti a monacho quodam Severo (ex Sozopoli Pisidiæ) eorum quondam duce etiam Severiani; colloquium haberent in palatio imperat. Constantin. (533.) cum Catholicis (quinque episcopi Catholici aderant) duce Hypatio Ephesino Archiepiscopo, usi sunt, Severiani operibus S. Dionysii Areop. Tum *primum* operum illorum mentio fit ab hæreticis. Respondet Hypatius episc. cath.: "Dionysii hæc opera toti antiquitati ignota fuisse." *Ergo* 533. primum mentio fit ab hæreticis; rejiciuntur a catholicis; silent hæretici, unde consentire videntur verbis Hypatii.

β) De facto nullus PP. ea meminit, quod tamen facere debuissent tam propter *viri* auctoritatem, quam propter doctrinam, qua confutari facile hæretici, v. g., Ariani, potuissent.

γ) Nec Eusebius Pamphili, nec S. Hieron. nec Gelasius Papa (in Synodo Œcum. V.) in suis Patrum eorumque operum catalogis, hæc opera Dionys. referunt.

δ) *Ex internis.* Loquitur de monachorum instituto (vide supra, n. 5.; etiam in Hier. Eccl. c. 6.); dicitque a sacerdote ipsis vestem detractam et aliam datam etc.; assignet locum ipsis proprium in Ecclesia etc. Sed institutio monast. ortum habuit sæculo IV. sub Pachomio, Antonio, etc. Loquitur præterea de loco et partibus ecclesiarum, — choro, sacristia, etc.—de ritibus, v. g., de consecratione Chrysmatis, de thure adolendo, de hymnis cantandis, de catechumenis a propiore sacrorum intuitu arcendis, quæ partim plane eo tempore ignota, partim sæculo sequente in usum deducta sunt.—Refellitur doctrina Millenariorum, quæ postea videtur orta.

c) In opere de Eccl. Hierarch. c. ult. "hac de re," ait, "id quoque dicimus, quod deiformes præceptores ab antiqua traditione nobis transcripserunt." Sed quænam antiqua traditio?—Denique citatur etiam epistola S. Ignatii, quæ post ejus mortem videtur scripta.

b) Rationes *pro*. — *α*) Constans undecim sæculorum traditio, quæ paucas (duas) habuit tantum exceptiones. Juvenalis, Episc. Hieros. sæc. V. (in Hist. Eccl. l. 2. c. 20.) dicit Dionys. Areop. simul cum Apost. et Timotheo, Ephesi Episcopo, adfuisse morienti B. Virgini, ut ipse scripsit in libro de Cœlesti Hierarchia. Dein Leontius Byzantinus, sæc. VI. —S. Sophronius, Patriarch. Hieros, in ep. synodic. ad Honor. pap.—S. Maximus Martyr scripta hæc S. Dionysio attribuunt.

β) Synodus VI. Œcumenica et Lateranensis sub Martino I, et præterea, ex Roman. Pontificibus, Gregor. Mag. (in edit. Venet. tom. 4. p. 319.), S. Agatho, Hadrianus, (Epist. ad Carol. Mag., apud Mansi in tom. Conc. 13. p. 777.), Nicolaus (Epist. ad Michael. Imp., Mansi tom. Conc. 15. p. 197.) eadem S. Dionysio attribuunt. Exarsit discussio tempore reformationis ab Erasmo inchoata.

γ) *Ex internis.* L. de Divin. Nomin. cc. 2. 3. vocat se discipulum S. Pauli; scribit se, moriente Christo, vidisse solis eclypsim (Ep. ad Polyc.); scribit se interfuisse exequiis B. V. (de Div. Nom. c. 3.); suos libros dirigit ad Timoth., Pauli discipul., eumque vocat compresbyterum; scribit unam epistolam ad Titum; alterum ad S. Joannem Ap. Jam vero hæc omnia non possunt esse falsa, tanta enim mendacia non possunt conciliari cum illa sanctitate, quæ ubique ex operibus elucet. — Respondent adversarii, nihil hoc valere argumentum, quum illis temporibus multi opera sub nomine alicujus magni viri ederent; pietatem etiam elucere ex Constitutionibus Apostolicis, * Clementi Romano adscriptis; ex falsis Decretalibus † Isidori Mercatoris, etc.— Respondetur

* Distinguendæ sunt Constitutiones Apostolicæ et his adjecti canones Apostol. Priores (octo libri) hæretica multa contra divinit. Filii Dei et Spiritus S. continent. Unde aut sunt prorsus spuriæ, aut corruptæ sunt, ut licet credere ex commendatione S. Epiphanii (Hæresi 70. contra Audianos.). Adscribuntur Clementi Romano, sed falso. Canones vero sunt *boni*; quis auctor, dubium est.

† Falsæ Decretales prodierunt incunte sæculo IX.; attribuuntur Isidoro Mercatori (etiam Peccatori). Impugnatur authenticitas primo a Cardinali Cusano (medio sæculi XV.). Confinxit Isidorus multa; v. g., nomina, quæ non in usu erant, ut Archiflaminum etc.; Decretales epistolas partim ad Ecclesias varias, partim ad episcopos directas; quibus etiam notæ falsæ Consulares adduntur. Consules illi aut non existerunt, aut alio tempore existerunt. Nihil vero in illis est contra fidem et mores.

ad hoc ab Areopagitis: Nulla est comparatio inter sanctitatem viri hujus, sublimem ejus scientiam etc., et falsificationem hæretici relate ad Constit. Apost., neque potest Isidorus Mercator comparari.— Præterea, monachi poterant esse Therapeutæ;* ritus vero non tam accurata describuntur, poterantque esse jam in usu; antiquæ traditiones, (ἀπ' ἀρχαίων) possunt esse a primoribus transmissæ. Reliqua putant esse facile rejicere.— *Conclusio:* Quamvis neutra sententia certa sit, constat nihilominus summæ auctoritatis fuisse opera.

§ V.

DE STATU ANGELORUM.

I. De Statu in Via.

PROPOSITIO XX.

Angeli creati sunt in statu probationis, i. e., in via, non in termino.

Arg. 1. II. Petr. ii. 4. "Deus angelis peccantibus non pepercit."— Secundum S. Petrum angeli (quidam) peccaverunt. *Atqui* in termino non poterant peccare (de quo post.). *Ergo* erat status viæ, in quo peccaverunt.

Arg. 2. S. August. (l. de Correpl. et Gratia, c. 10.) de primævo angelorum statu: "Erat adhuc, quod eorum adderetur beatitudini, si per liberum arbitrium in veritate stetissent, donec istam summæ beatitudinis plenitudinem tanquam præmium ipsius permansionis acciperent... Hanc plenitudinem beatitudinis non habebant. *Ergo* docet S. Doctor augmentum fuisse futurum tanquam præmium permansionis; hoc præmium eos non habuisse in primævo statu. *Ergo* primævus status erat status viæ. Idem docet S. Aug. (l. 22. de Civ. Dei, c. 1.)

× Arg. 3. *Ex congruentia.*— *a*) convenit, ut Deus omnia perdúcat ad fines suos per eorum cooperationem.—*b*) conformius est naturæ spirituali liberæ, ut per propria merita finem suum attingat.—Christus debuit per humiliationem suam (Phil. ii. 8.) mereri gloriam suam accidenta-

* Therapeutæ habitabant circa Alexandriam in domunculis, meditantes etc. Unaquæque domus habebat locum sacrum (Semneon, Monasterion.). Videntur fuisse Ascetæ Judæi, non Judæi, quamvis ex descriptione Philonis multi putarent, fuisse similes primis Christianis, vel fuisse monachos Christianos. Euseb. (Hist. Ecc. l. 2. c. 17.).

lem (non substantialem, utpote debitam sibi ut filio naturali). *Ergo* a fortiori angeli ut filii adoptivi. — *d*) Humana creatura rationalis fuit creata in statu viæ; *ergo* concludendum est, etiam angelicam fuisse ita creatam; non enim apparet, cur Deus aliter egisset cum creatura rationali ac cum angelica.

Scholium. Si S. Aug. (de Civ. Dei l. 2. c. 9.) negat fuisse angelos peregrinatos, intelligit hoc sensu quodam lato, i. e. non diu, vel non ut homines per bona et adversa, actiones bonas et malas; solent enim hæc conjungi cum idea peregrinationis.

PROPOSITIO XXI.

Destinati erant angeli ad finem supernaturalem.

St. Q. Duplex finis, prior naturalis naturalibus mediis proportionatus et assequendus; alter supernaturalis supernaturalibus mediis consequendus.

Arg. 1. Est de fide, hominem inferiorem creaturam esse destinatum ad finem supernaturalem. *Ergo* et angelus.

Arg. 2. De facto *a*) angeli sunt in cœlis, ubi vident faciem Dei, assistunt Deo, cooperantur in opere redemptionis supernaturalis; *b*) homines beati erunt sicut angeli Dei. *Atqui* homines beati sunt supernaturali beatitudine. *Ergo* et angeli illam habent.

Arg. 3. Christus est caput totius creationis. *Atqui* ad hoc est et caput angelorum.—Jam vero caput est hominum supernaturale. *Ergo* et angelorum caput supernaturale est; hinc angeli sunt in statu supernaturali, ideoque ad illum erant destinati. Sunt igitur destinati, ut sint membra corporis gloriosi Christi.

Coroll. *Ergo* etiam per fidem ambulaverunt in via, i. e., in fidem in caput suum Christum futurum.—Quæri vero potest, num cognoverint Incarnationis mysteria etc. *Resp.* Quum potuerit esse fides in caput, quamvis lateret modus quo futurus esset caput, non necessaria erat hæc cognitio. Fortasse conjecturalem scientiam habebant.

Scholium. De prædestinatione angelorum.

Deus prædestinavit angelos post et ex prævisis meritis, *non ante* prævisa merita. Nam, 1. Videtur repugnare negativa reprobatio, quæ in re non distinguitur a positiva reprobatione. 2. Videtur repugnare,

Deum ideo elegisse gratias has sufficientes, et noluisse ut essent efficaces ; eligere enim gratias sufficientes eo animo, ut maneant sufficientes et non attingant finem, est contradictio. 3. Nec pertinet ad pulchritudinem universi, adesse carcerem in æternum urentem in universo. Poterat enim Deus manifestare justitiam retribuendo, ita ut vindicta æterna non esset necessaria. — Sed quæritur, si Deus prævidit, dæmonem damnatum iri, cur eum creavit? *Resp.* Deus multitudinem omnem non ut confusam sed ut certis legibus ordinatam creavit. Jam duobus modus modis potest multitudinem ordinare, aut ita, ut ex multis unumquemque eligat et multitudini aggreget, aut ita ut certis legibus ac vinculis connexam multitudinem velit, v. g., potest velle plures et conjungere in unam familiam, potest etiam familiam ut talem velle et ratione familiæ singula membra. Jam vero certum videtur in hominibus, ubi Deus statuit legem generationis, voluisse Deum existentiam hominum dependenter a generatione et legibus naturalibus. Etenim sub peccato gravi obligat homines, ut generatio sit perfecta ; unde vult illum hominem, qui ex generatione futurus esset, ac permittit tantum ut per peccatum non sit futurus. Simili modo exstitit aliqua lex et aliquis ordo hierarchiæ cœlestis — quamvis ista lex nos lateat, quum non perfecte cognoscamus naturam angelicam,—quæ comprehendit hos angelos, tanquam unam multitudinem inter sese connexam, ita ut non deberet singulos eligere et inserere huic ordini, sed ut singulos attingeret mediante hoc ordine. Jam vero in ordine universali aliqui semper deficiunt idque permittitur. Hinc solvitur quæstio : Deus non attigit prius diabolum independenter et extra ordinem eumque elegit et inseruit, sed ratione totius illius partis, quam elegit ut esset corpus Christi, aula Dei. Permisit igitur ejus interitum secundum principium, qui curat universale permittit in particulari defectum, si secus lex universalis esset mutanda. –

PROPOSITIO XXII.

Angeli omnes (tam qui manserunt fideles quam qui defecerunt) habuerunt in primo instante creationis beatitudinem, quæ propria est viæ, non patriæ ; præterea beatitudinem supernaturalem imperfectam propriam viatoris elevati, non comprehensoris in patria.

Arg. 1. *Pro Beatitudine naturali.*—Angeli habebant a primo instante creationis, quidquid ad completam naturalem eorum perfectionem spectat. *Atqui* spectat ad perfectionem intellectus naturalem, ut habeat cognitionem summi veri sibi ac gradui suo consentaneam; item pro voluntate, ut habeat amorem cognitioni consentaneum hinc et fruitionem summi veri et boni correspondentem; in eo autem est omnis vita angeli. *Ergo* habuit vitam ab initio creationis beatam per cognitionem, amorem, fruitionem summi veri et boni naturaliter convenientem. *Atqui* propter statum viæ non conjuncta erat hæc fruitio cum scientia illam perpetuo esse duraturam, quod est necessarium requisitum beatitudinis strictæ dictæ; hinc non deerat anxietas amittendi, potestas peccandi, etc. *Ergo* erat illa beatitudo talis, quæ conveniret viæ, non termino.—Præterea in termino cognitio etc., et satietas quum sit merces, major esse debet.

Arg. 2. *Pro supernat. Beatitud. imperfecta.* — Habuerunt cognitionem abstractivam per fidem hinc supernaturalem Dei, SS. Trinitatis, Christi, tanquam capitis futuri etc., et correspondentem spem et amorem. *Atqui* ex his nova beatitudo—non tamen patriæ, in qua est visio — orta est. *Ergo.*— Præterea, homines in paradiso habuerunt talem statum; unde non est supponendum, angelos fuisse exclusos a simili privilegio.

Scholium 1. Num angeli fuerint creati in gratia.

Triplex opinio: 1. *Sententia.* Non fuerunt in gratia creati, sed perfecti in natura, dein gratia superaddita, per quam postea gloria meritis comparata fuit. *Rationes* sunt: *a*) Job, iv. 18.: "in angelis suis reperit pravitatem," ubi versio Hebraica habet: "in angelis suis non posuit laudem, vel lucem." *b*) S. Aug. (de Gen. ad lit. 2.): "Angelica natura primo erat informiter creata et cœlum dicta; postmodum vero formata et lux appellata." *c*) Joannis Papæ (in Decreto apud Gratian. 16. q. 2. cap. *Visis* . . . .): "Dolet satis et erubescit diabolus, charitatem, quam in cœlo nequivit habere, homines constantes ex lutea materia tenere in terra." *d*) Postulat ordo, ut incipiat natura, sequatur gratia, finiat gloria.—Sententia probabilis.

2. *Sententia* tenet angelos fuisse creatos in natura, fuisse gratiam superadditam sed tantum electis.—Sententia rejicienda.

3. *Sententia* docet eos creatos in statu gratiæ sanctificantis.— Proba-

bilior et communis sententia. *Rationes:* *a*) sub typo regis Tyri dicitur apud Ezech. xxviii. 12.: "Signaculum similitudinis, plenus sapientia et perfectus decore .... Tu cherûb perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ donec inventa est in te iniquitas."— Unde secundum PP., Cherub (i. e. rex Tyri) a momento creationis signaculum similitudinis Dei ... erat usque ad peccatum; *ergo* statum, in quo creatus est, retinuit usque ad peccatum, hinc creatus est in statu supernaturali, quia ex eo lapsus est per peccatum.

b) Convenit S. Gregor. (Moral. l. 32. c. 18. [alias 25.]) de diabolo: "Quid boni non habuit, si signaculum similitudinis Dei fuit?" — Item S. August. (l. 12. de Civ. Dei, c. 9.) docet omnes angelos in Dei amore creatos—et sæpe alibi.

c) *Conc. Trident. (sess. 5.): "Adam post peccatum statim sanctitatem ... in qua constitutus fuerat, amisit:" sed angelus non est inferioris conditionis quam homo; *ergo* et ipse fuit in sanctitate constitutus, i. e., creatus.

d) *Angelus fuit destinatus ad finem supernaturalem; unde supponendum est, eum a primo instante existentiæ potuisse agere ad hunc finem, hinc supernaturaliter. *Ergo.*—Unde respondetur ad superiora:

Ad a) Pravitatem invenit Deus in angelis malis, hinc non laudavit, nec mercedem lucis posuit. *Ad b*) S. Aug. videtur alludere ad ideam de materia angelica. *Ad c*) Quoad Joann. Pap.—in aliquibus codicibus legitur "*nequit* habere;" ceterum potest explicari de charitate, quam in patria habere non potuit, illam destruere vult in hominibus; vel etiam, charitatem, quam nequivit habere et retinere. *Ad d*) Vide ultimum arg. (sub *d*).*

Scholium 2. De cognitione matutina et vespertina.

a) Ponitur hæc cognitio a S. Aug. (l. 4. sup. Genes. c. 22.) et attribuitur angelis bonis. Non enim ponitur nec meridiana, hæc enim conve-

* Teste S. August. (de Civ. Dei, l. 11. c. 13.) fuerunt aliqui Patres, qui docuerunt, angelos fuisse creatos in puris naturalibus seu in statu naturæ puræ, atque in hoc statu per aliquod tempus mansisse. (Cf. Petav. de Ang. l. 1. c. 16.). Inter Scholasticos docuerunt idem Guillielmus Paris., Rupertus, Hugo, Petrus Lombard., Ægidius cum ejus schola Augustiniana, Alexander Alensis, S. Bonavent., Scotus etc.; ita ut S. Thom. (in II. Sent. dist. 4. q. 1. a. 2.) fateatur fuisse eam sententiam eousque communem. *Ergo* possibilis certo status ille erat. Hinc absurde Jansenistæ, negantes possibilitatem status naturæ puræ, docent *de Fide* esse, non fuisse creatos angelos in statu naturæ puræ; hinc PP. et Scholast. illos hæreticum quid docuisse.

nit cum matutina; nec ponitur nocturna, hæc enim attribuitur malis angelis, qui in tenebris sunt.

b) Dupliciter sumi potest: *Uno* modo dicitur cognitio matutina, qua cognoscitur essentia divina tantum; vespertina, qua cognoscuntur res in essentia divina— tunc vero una tantum cognitio est. *Altero* modo, matutina est, qua cognoscitur essentia divina et in illa tanquam specie res aliæ — est cognitio lucidior; vespertina est, qua cognoscuntur res per species infusas in se ipsis—hæc est cognitio obscurior.

Scholium 3. Quomodo fuerit facta distributio gratiæ, et unde inæqualitas. *Resp.* Communis sententia est, propter inæqualitatem naturæ gratiam fuisse inæqualem. *Expl.* Duo distinguenda: natura et naturalis dispositio, præterea naturalis operatio angeli. Jam natura et naturalis dispositio diversa est pro diverso gradu angeli. Potest autem Deus, quum dominus sit, omnibus angelis utut diversis nihilominus eumdem gradum gratiæ sanctificantis etc., dare; potest inferioribus majorem, superioribus inferiorem dare: natura enim relate ad gratiam nullam potest habere exigentiam. Contendimus igitur, Deum pro regula distribuendi gratiam sanctific. assumpsisse differentiam naturæ: non est igitur operatio libera angeli vel conditionate prævisa vel actualis (naturalis) mensura. Ratio est, quod Deus in primo casu coronat *opus suum*; in altero, coronaret *opus hominis*. Ratio generalis est, quod gratia se accommodat naturæ; et præterea convenit Deo, ut pro sua providentia superioribus dona superiora conferat.

Scholium 4. Num angelus se disposuerit ad gratiam actu libero. — *Resp.* Probabilius est; nam angelus fuit creatus perfectus in naturalibus, sicut homo adultus; sed homo adultus disponere se debet ad gratiam. *Ergo.*—Præterea is modus, ut per liberam prædispositionem et consensum accipiat gratiam, est nobilior et ipsi Deo et dono gratiæ convenientior.—Denique gratia sanctific. est amicitia et quasi matrimonium spirituale. Sed convenit, ut amicitia et tale matrimonium fiat per consensum utriusque partis. Creavit igitur Deus substantiam angeli cum libero actu voluntatis et gratia sanctificante, eodem quidem temporis instante sed momentis natura distinctis.

Scholium 5. Num possit esse (absolute) creatura impeccabilis. — Contra Nominales et alios paucos est communissima sententia PP. testimoniis et ratione confirmata, absolute *impossibilem* esse creaturam im-

peccabilem. Nam *a)* quidquid habet regulam honestatis extra se, potest ab illa regula libere deficere; sed omnis creatura rationalis habet regulam extra se, quamvis cognitionem habeat in se. *Ergo. b)* Intellectus est essentialiter limitatus, hinc non omne verum cognoscit, nec verum semper cognoscit actu evidente, hinc potest obscure cognoscere, errare, etc. *Atqui* obscura cognitio (præsertim motivi actionis) et error in intellectu ex sese possibilem faciunt in voluntate defectum. *Ergo. c)* Omnis creatura est essentialiter destructibilis in esse physico; *ergo* et in esse morali. Non enim apparet, cur esse morale, i. e., dependentia in esse morum a Deo, possit esse firmior quam dependentia in esse physico a Deo.—Ratio fundamentalis est: Ubi bonum ut finitum proponitur, ibi aliqua ratio mali affigi potest, quia non potest omnem appetitum plane satiare. Ibi vero ubi nulla ratio mali est, sicut in Deo secundum beatitudinem viso et in ratione boni ut sic, ibi nullus defectus voluntatis possibilis est, quum nulla facultas possit deficere ab objecto suo formali. Censent Thomistæ potuisse Deum creare creaturam impeccabilem *immediate contra legem naturalem*, peccabilem autem contra legem supernaturalem, et ita fuisse impeccabiles angelos. Ratio est, quod Deus potuerit creare intellectum tam clare omnia perspicientem, ut non possit bonum apparens proponere ut bonum verum etc., in ordine autem supernaturali, ubi agatur de fide, talem perspicientiam haberi non posse putant multi sententiam probabilem; sed videtur neganda, quum in hoc casu talis creatura non possit esse in statu viæ vel saltem non intelligitur status probationis pro tali creatura.

PROPOSITIO XXIII.

In probatione non omnes angeli perstabant fideles, sed alii inventi sunt boni, alii mali; priores beatitudinem ut mercedem adepti sunt, posteriores pœnis addicti sunt æternis.

Hic supponitur æternitas mercedis etc – postea probabitur.

St. Q. 1. Via angelorum dicitur illa temporis mora, quæ a creatione usque ad judicium, i. e., beatitudinem vel pœnam duravit. Tria potissimum ponunt Theologi instantia: Primum instans est actus congrue meritorius, et status primæ gratiæ habitualis (vide *Schol.* 4.). Secundum instans est diversitas inter angelos operationis et pugnæ, in qua

tentationis

boni angeli de condigno merebantur augmentum gratiæ sanctificantis et gloriæ, mali vero amiserunt gratiam et gloriam. Tertium instans respicit terminum, i. e., introitum in statum termini.

2. Instantia illa, vel morulæ, ut vult Scotus, non sunt instantia temporis humani, sed ævi angelici, sed una invariata unius operationis angelicæ duratio usque ad sequentem durans, ideoque coexistere potest pluribus momentis temporis humani. Operatio denique non ita sumenda ut in humanis —ut præcedat cognitio, deliberatio etc., vel ut actus diversi; sed intuitus, electio etc., simplicior est ut convenit angelo.

3. Supponitur angelos habuisse gratias actuales, sicut dantur hominibus, quia opus salutare debet a Deo incipi.

× Arg. 1. *Scriptura S.* 1. distinguit angelos bonos et malos; 2. tribuit bonis vitam beatam in patria, aliis vitam in inferno miseriis oppressam; 3. tribuit angelis bonis gloriam nunquam cessuram, malis vero pœnas æternas. *Atqui* hæc omnia probant angelos non esse amplius in via sed in termino et quidem secundum merita propria. *Ergo* angeli secundum merita propria alii sunt in cœlo boni et felices, alii in inferno mali et infelices.

Prob. Maj. quoad 1. Angeli *boni* vocantur angeli cœlorum (Matth. xxiv. 36.), Angeli lucis (II. Cor. xi. 14.), Filii Dei (Job xxxviii. 7.), Angeli electi (I. Tim. xi. 6.; xv. 23.), Angeli Christi (Matth. xxiv. 31.), Conservi fidelium (Apoc. xix. 10.; xxii. 9.).—Angeli *mali* vocantur: Spiritus nequam (I. Reg. xvi. 14.), spiritus mendax (III. Reg. xxii. 22.), Satan (Zach. iii. 1.), Diabolus (Joan. viii. 44.), Angeli peccantes (II. Petr. ii. 4.).

Quoad 2. Angeli *boni* dicuntur assistere Deo (Tob. xii. 15.; Dan. vii. 10.), versari in cœlis (Marc. xii. 25.), cives in cœlesti Jerusalem (Heb. xii. 22.), fruuntur gaudiis, "quæ præparavit Deus iis, qui diligunt eum" (I. Cor. ii. 9.). — De *malis* angelis dicitur: "Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos," (II. Petr. ii. 4.)

Quoad 3. Beatitudo dicitur vita æterna (Matth. xxv. 46.), immarcescibilis gloriæ corona (I. Petr. v. 4.), corona incorrupta (I. Cor. ix. 25.)—Homines electi "erunt sicut angeli Dei in cœlo" (Matth. xxii. 30.) — De angelis malis: "Discedite a me maladicti in ignem *æternum*, qui paratus est diabolo et angelis ejus." Matth. xxv. 41. Præparata

est ab heri Tophet, a rege præparata, profunda et dilatata. Nutrimenta ejus ignis et ligna multa, flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam." Is. xxx. 33. — N. B. Tophet, imago inferni, fuit vallis filiorum Enon, ubi Judæi filios suos Moloch idolo sacrificabant. —*Heri*, i. e., ab initio mundi.

Arg. 2. *Ex Conciliis.*—Later. IV. (cap. "*Firmiter*"): "Diabolus et alii dæmones a Deo quidem natura creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali." Idem Conc. Carthag. IV. (an. 398.) et Bracarense (an. 563.). Catech. Trid. (p. 1. de duodecim Symb. art. 1. n. 20.): "Quamvis omnes ii [angeli] cœlestibus donis ornati fuerint, plurimi tamen, qui a Deo, parente et creatore suo, defecerunt, ex altissimis illis sedibus deturbati . . . . æternas superbiæ suæ pœnas luunt."

Arg. 3. *Ex Patribus.* — S. Aug. (de Corrept. et Grat. cc. 10. 11.): "Sic fecerunt angeli sancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium steterunt ipsi et hujus permansionis debitam mercedem recipere meruerunt, tantam scilicet beatitudinis plenitudinem, qua eis certissimum sit, semper se in illa esse mansuros." Item Isidor. (l. 1. Sent. c. 10.), Gelas. (Dec. c. Pelag.), Athenag. (Legat. n. 24.), Theodor. (Serm. 3. c. Græcos, sub fine).

Arg. 4. *Ex Ratione.* — Quisquis non habet finem ultimum in sua natura (quod soli competit Deo, qui est a se, hinc et ad se), debet illum propria operatione sibi comparare, operatione factiva si finis sit efficiendus (ut sanitas ægroti pro medico), operatione meritoria si non sit efficiendus. Atqui finis ultimus angelorum erat finis supernaturalis extra naturam existens, non efficiendus. Ergo erat comparandus merendo. *Atqui* alii angeli eum adepti sunt, alii amiserunt. *Ergo* alii meruerunt, alii non meruerunt.

Quæritur 1. de dono perseverantiæ angelis bonis concesso præ malis. —S. Aug. (l. de Corr. et Grat. c. 10.): "Angeli quidam," ait, "per liberum arbitrium a Deo refugæ sunt . . . ; ceteri, autem per ipsum liberum arbitrium in veritate steterunt." Supponit autem S. Aug. gratiam actualem; unde ex cooperatione libera cum gratia petit rationem meriti, etc. Idem docet (lib. cit. c. 11.) de homine primo: "Primo itaque homini (ut et angelis) datum est adjutorium perseverantiæ, non quo fieret, ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non possit."—Unde ita: Duplex est theologorum sententia: una Mo-

linistarum, qui docent donum perseverantiæ esse gratiam actualem, sine qua angelus non potuisset agere meritorie et perseverare, sed cum qua potuerit ita cooperari, ut potuerit eam etiam rejicere, hinc docent, gratiam perseverantiæ non fuisse ex se efficacem sed ex cooperatione libera angelorum; altera sententia Thomistarum, qui docent, gratiam efficacem perseverantiæ fuisse entitative diversam a gratia sufficiente angelis malis data, fuisse ex se efficacem, ita ut cooperatio vi hujus intrinsecæ efficaciæ consecuta sit. *Atqui* evidens est S. August. docere priorem sententiam. *Ergo* secundum S. August. gratia perseverantiæ non ex se efficax nec entitative diversa fuit a gratia actuali angelis malis data.

Quæritur 2. Quantum temporis fuerint angeli in via.—*Resp.* Angelus per primum actum perfectæ charitatis meruit et consecutus est beatitudinem. Actus perfectæ charitatis intelligitur simul cum aliis actibus fidei, spei, humilitatis etc., qui vel supponuntur vel comprehenduntur actu charitatis. Duplex actus distinguitur: Actus in instante creationis, quatenus fuerunt creati cum actu tendente in bonum et consentiente ad accipiendam gratiam; hic actus, quamvis esset liber quoad exercitium, non fuit liber, ut possent eligere inter bonum et malum (sententia probabilior). Alter actus perfectæ libertatis, quo electio fiebat. Fuit tantum unus, quia ut primum fuit actus positus, sequebatur vel merces vel pœna ut in homine primo. Sed fuit etiam primus, ita ut inter actum creationis et illum nullus esset intermedius; nam angelus non ut homo creatur, qui debet crescere et ita tendere ad perfectionem naturalem, sed creatur talis ut debeat actu primo continuo totam habere perfectionem suam. Sed gratia se accommodat naturæ; hinc fit, ut et continuo per actum primum ponatur in statu supernaturali, seu in termino.—Præterea per primum et unicum actum totum habet quod habere per illum actum potest; *ergo* convenit ut et per actum supernaturalem continuo totum habeat, quod per eumdem actum habere potest.

Quæritur 3. Num gratiæ angelis concessæ fuerint ex meritis Christi. Petav. (de Incarn. l. 12. c. 10. § 9. etc.), multis argumentis probat, *independenter* a meritis Christi gratias fuisse datis—communis sententia. Quæritur 4. Quale fuerit peccatum.—Variæ sententiæ:

1. Ex commercio carnali cum mulieribus lapsos fuisse angelos. Philo Judæus (de Gigant. præterea l. de Immutab. Dei): "Quos Græci dæ-

mones, Moyses angelos vocat ; sunt animæ, quæ per aera volitant." Hos censet rem habuisse cum feminis. Item Joseph. (in l. 1. Originum), Justinus (in Apologetico), Athenag. (Legatione pro Christianis), Clemens Alexandr. (in Pedagogico in 3. l. Stromat.). — Tertull. (de Idololatria c. 9. et de Habitu Muliebri c. 2. c. 10. . . . .) docet angelos illos desertores docuisse mulieres artes varias ornamentorum, lumina lapillorum, circulos ex auro, medicamenta ex fuco ; nudasse metallorum opera ; herbarum ingenia, incantationum vires, stellarum interpretationem traduxisse. Repetit idem Cyprianus, edoctus a Tertulliano, (in lib. de Disciplina et Habitu Virginum), Lactantius (l. 2. c. 16.), Ambrosius (in Apolog. David priore c. 1., in lib. de Noe et Arca c. 4., et de Virginibus col. 463.). Maxime vero Hilarius (in Ps. cxxxii. in verba: "*Sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion*") docet montem Hermon (Hermon idem ac Anathema) fuisse locum, quo convenirent angeli cum feminis, desumpsit hoc ex libro Henoch. Idem docuerunt Tertull. (de cultu feminarum), et Sulpicius Severus (libro primo Hist. Sacr.). N. B. Tertull. librum Henoch inter sacros libros refert. — Falsa hæc sententia. Nam textus notus (Gen. vi. 2.) de filiis Dei et filiabus hominum alio modo interpretandus est (v. supra) ; deinde si mulier debet velare caput suum propter angelos (I. Cor. ii. 10.), non intelliguntur angeli beati, qui sunt in sanctitate firmati, sed innocentes, qui scandalum pati possint.

2. Alii dicunt invidiam fuisse primum peccatum — eamque alii putant fuisse erga homines, alii erga hominum caput, i. e. Christum. Gregor. Nyss. (Catech. c. 6.) putat diabolum invidisse homini, quod esset præpositus rebus mundanis et licet *luteum figmentum* ad imaginem Dei esset creatus. Anastasius Sinaita (in opere ὁδηγῷ, i. e., viæ duce) censet, diabolum voluisse fieri regem mundi. — Sententia parum probabilis, cecidit diabolus ante creationem hominis ; et quia superbia præcedit invidiam.

3. Communis sententia est, cecidisse superbia.

PROPOSITIO XXIV.

Primum peccatum angeli fuit superbia.

Arg. 1. *Ex S. Scriptura.* Job. iv. 14.: "In ipsa (superbia) initium sumpsit perditio."— Eccl. x. 15.: "Initium omnis peccati superbia."— Is. xiv. 12. 13. Sub figura regis Babylonis: "Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer . . . qui dicebas in corde tuo, in cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo sŏlium meum."—Ezech. xxviii. 17. Sub figura regis Tyri de eodem Lucif.: "Elevatum cor tuum in decŏre tuo."

Arg. 2. *Ex Patribus.* S. Chrys. (Hom. 15. in Joan.) docet diabolum se scelere superbiæ inquinasse et propterea ejectum ex cœlo. Item S. Hieron. (Ep. 83.): "ruinam diaboli arrogantiam." S. Aug. (de Civ. Dei, l. 12. c. 6.): "Ab illo qui summus est aversi, ad se conversi sunt; hoc vitium nihil aliud est, quam superbia." Item S. Athan., Cyrill. Alex.

Arg. 3. Patres aut stuprum ponunt primum peccatum, sed hoc falsum, quum longe post peccatum angelicum illud stuprum evenerit, diabolus enim jam in paradiso fuit;—aut in invidia collocant, sed invidia sequitur superbiam, dicente S. Aug. (de Gen. ad lit. c. 14.): "Amando quisque excellentiam suam vel paribus invidet, quod ei coæquantur, vel inferioribus, ne sibi coæquentur, vel superioribus, quod eis non coæquetur. Superbiendo igitur invidus, non invidendo quisque superbus est." *Ergo* restat ut cum communi sententia ponatur in superbia.

Arg. 4. Primum peccatum aut fuit peccatum aversionis aut prosecutionis boni, utique spiritualis. *Atqui* non prius, quia aversio supponit prosecutionem et amorem boni. *Ergo* erat peccatum inordinatæ prosecutionis boni spiritualis. *Atqui* prosecutio per id tantum inordinata est, quod excedit mensuram, quam Deus voluit, i. e., quod propriam excellentiam ultra mensuram quæreret, in quo est superbia. *Ergo.*

Quæritur 1. Quodnam fuerit objectum superbiæ.—Certum est, fuisse in eo, quod appeteret similitudinem aliquam cum Deo, ut patet Is. iv. 14.: "similis ero Altissimo." — Ezech. xxviii. 2. irridetur diabolus, quod dixerit: "Deus ego sum."—Philip. ii. 6.: "Non rapinam arbitratus est [Christus] esse se æqualem Deo" (Alludit ad peccatum diaboli.) Jam in explicando, varia sententia.—Alii censent, de facto appetiisse

diabolum æqualitatem cum Deo in natura. Negat hoc S. Thomas; angelus enim nimis clare intelligebat hoc esse impossibile, nec potuisset tot angelos ad idem allicere.—Alii censent, quum mysterium Incarnationis saltem quoad substantiam esset revelatum, appetiise unionem hypostaticam cum Deo; sed et hoc minus probabile videtur, quia de unione hypostatica obscura tantum idea erat.—Alii censent, voluisse diabolum esse regem universi; sed hæc voluntas est ambitio, quæ sequitur ex superbia.—S. Thom. docet, diabolum voluisse esse contentum beatitudine naturali ac respuisse beatitudinem supernaturalem, quæ esset dependens a gratia et beneficium Dei; aut saltem voluisse eatenus, quatenus propriis viribus eam posset acquirere, idque ortum esse ex consideratione propriæ excellentiæ naturalis.

Quæritur 2. Unde inceperit peccatum. Difficultas est in eo, quod in homine, ut nunc est, peccatum oritur vel ex fomite concupiscentiæ, vel ex prava consuetudine, vel ex immoderata passione, vel ex ignorantia rerum gerendarum sive ex errore judicii practici. Sed in angelo tantum potest esse ex errore et ignorantia: accedit, quod S. Script. Prov. xiv. 22. docet: "errant, qui operantur malum;" S. Thom.: "Non est peccatum in voluntate, nisi sit deceptio in ratione;" ratio denique docet: Voluntas est appetitus rationalis, unde non potest eligere nisi quod ratio judicaverit eligendum; secus ageret cœce.

Resp. N. 1. Potest voluntas peccare nullo præcedente defectu speculativo in intellectu (qui defectus triplex numeratur: ignorantia, error, inconsideratio); imo stante perfecta cognitione speculativa, actum aliquem esse peccaminosum, potest voluntas eum sub alio respectu eligere. (Est communis sententia.) Nam sæpe quis omittit Missam, quamvis sciat esse hic et nunc peccatum; item, "Scienti bonum et non facienti, peccatum est illi." Jac. iv. 17.; "Servus, qui cognovit voluntatem Domini sui et non facit, vapulabit multis." Luc. xii. 47.

2. Ut voluntas eligat, non requiritur, ut antecedenter judicet intellectus, hoc esse honestum vel consentaneum rectæ rationi; sed potest judicare, hoc esse delectabile vel utile. Neque in hoc, errat (quoad judicium practicum), omittit (enim) comparationem cum regula morum; vel si faciat, potest cognoscere (id quod sæpe fit) non convenire, et nihilominus pro sua libertate eligit.

3. Judicium tamen defectuosum vel error semper præcedit. Nemo

enim potest eligere malum, nisi intellectus judicet esse diligibile sub aliqua ratione boni; sed hoc judicium est imperfectum, pravum et inducens voluntatem in peccatum; unde recte dicitur tale judicium esse peccatum inchoative, liberum etiam, quia voluntas non recte applicat. 4. Fuit igitur hæc non-consideratio regulæ morum in angelis ratio peccati, i. e., omiserunt considerare infinitatem divinæ offensæ ob infinitam Dei bonitatem etc., irreparabile damnum æternitatis etc.

Quæritur 3. Num omnes fuerint inducti ad peccandum per semetipsos, an fuerint multi seducti.—*Resp.* 1. Lucifer videtur fuisse unus ex primis angelis, quamvis forsan non absolute primus; vocatur enim "*signaculum* similitudinis Dei." 2. De fide est, multos angelos peccasse cum Lucifer; communis vero sententia, eos fuisse ex omnibus ordinibus: Eph. vi. 12. dæmones vocantur *principes et potestates*;" Ezech. xxviii. 11. Lucifer ipse vocatur *Cherub*. 3. Multitudo fuit maxima, licet multo major fuerit multitudo fidelium. Ratio est, quia peccatum est contra inclinationem naturalem; sed quæ sunt contra naturale desiderium, vincunt tantum in paucioribus. Non valet hoc principium in homine, qui habet partem sensitivam rationali conjunctam. 4. Lucifer aliquo modo alios in peccandum induxit; nam Job, xli. 25., dicitur: "Ipse est rex super omnes filios superbiæ." "Cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cœli." Jam vero non tantum exemplo, sed et suasione seduxit alios; nam peccatum superbiæ tantum internum fuit ideoque non potuit esse notum, nisi aliis manifestatum locutione.

N. B. Suarez, qui censet angelos cecidisse quod nollent adorare Christum incarnatum, putat voluisse alios angelos hypostaticam unionem alicui angelo, idque ipsis persuasum fuisse a Lucifer.

Quæritur 4. Quomodo restauranda sit illa angelorum ruina.

Nota: α) S. Gregor. (in hom. 34. sup. Evang.) dicit: "Decem drachmas habuit mulier, quia novem sunt ordines angelorum, sed ut compleretur electorum numerus, homo decimus est creatus." Unde infertur, præsertim quum alia Patrum testimonia accedant, homines beatos decimum chorum effecturos. Probatur etiam ex eo quod α) natura sint inferiores, β) quod secundum naturam sit data gratia (vide supra). Sed notandum, esse quidem homines in decimo gradu, si natura spectatur; sed distributum iri per singulos choros secundum merita. S. Greg. (Hom. 34. ut supra). Patet etiam ex Luc. xx. 36. quod "filii resur-

rectionis erunt æquales angelis."— Beatissima virgo denique est supra omnes angelos.

b) Erunt quidem in singulis ordinibus homines ad ruinas reperandas (Cf. Aug. de Civ. Dei, l. 22. c. 1.; Enchirid. 29. 61. etc.); sed quæritur num propterea homines sint creati, ut repararent. — *Resp.* Non; huic obest tota idea creationis, regni Christi; etc. Sunt igitur primarie creati, ut fruantur Deo, secundario et per accidens (quia peccatum angel. per accidens erat), ut occuparent sedes angelicas. Quodsi quæritur num tantum illas sedes occupent, dicendum est, probabilius esse, et occupare et augere illos numerum; quia id convenit magis cum fine creationis. –

§ VI.

De Relatione Angelorum ad Homines Viatores.

Postquam angeli mali ex cœlo depulsi sunt, rebellio in terris continuatur; conanturque angeli mali etiam homines trahere in suas partes. Videntur itaque esse conveniens, bonos angelos in adjutorium hominum venire.—Hinc

PROPOSITIO XXV.

De fide certum est, bonos angelos ad hominum custodiam deputari.

St. Q. 1. Propositio ita universaliter posita est de fide; sed si ita ponitur, suus cuique homini (excepto Christo) datus est angelus custos, non est de fide, sed ita communis et certa ut temerarium sit eam negare, idque valet etiam de infidelibus et reprobandis, quamvis non sit plane æqualis Patrum consensus sicut pro salvandis. Dissentiunt S. Basilius (in Ps. xxxiii.), S. Chrysost. (Hom. in Epist. ad Col.)

2. Angelus, qui mittitur ad custodiam, non est minister hominum, sed Dei —sicut pater, qui debet custodire liberos suos, non est minister liberorum.

3. Veteres attribuebant cuique homini genium, qui eandem, quam angeli custodiam gerebat homini. — Censorin. (de Die Natali c. 3.): "Genius est Deus, cujus in tutela, ut quisque natus est, vivit. Hic sive una genitur nobiscum, sive etiam quod nos genitos suscipit ac tuetur, certe a genendo genius appellatur." Ita etiam Granius Flaccus (in

libro ad Cæsarem de Indigitamentis). Euclides Socraticus duplicem omnibus omnino nobis genium dicit appositum." . . . . Genius autem ita nobis assiduus observator appositus est, ut ne puncto quidem temporis longius abscedat, sed ab utero matris exceptos ad extremum vitæ diem comitetur." Menander Comicus (vide Eusebium l. 12. de Præpar. Evangelica) dicit: "Unicuique genius viro adest statim nato, mystagogus vitæ bonus." Hæc Menandri verba affert et approbat Ammianus Marcell. (l. 21.) Pindar (Olymp. 13.) vocat eum δαίμων γενέθλιος. Meminit ejusdem Plotinus (Enn. 3. l. 5. c. 4.), Proclus (in Comment. ad Alcib. 1um Platon.), Plutarchus (Consol. ad Apoll.). Orpheus (in Hymn. ad Musas) docet bonum et malum genium homini additum. Epictetus (ad Arrian. Dissert. l. 1. c. 14.): "Tutorem unicuique Deus assignavit singulorum genium . . . qui neque dormiat neque falli possit. . . Quando januas occluseritis et tenebras intus induxeritis, mementote, uti nunquam vos solos esse dicatis; non enim estis, sed Deus intus est et vester genius est." Seneca, Stoicus, (in Ep. 110.): "Unicuique nostrum," ait, "pædagogum dari Deum, non quidem ordinarium, sed hunc inferioris notæ ex eorum numero, quos Ovidius ait de plebe deos. Ita tamen hoc seponas, volo, ut memineris, majores nostros, qui crediderunt hoc, Stoicos fuisse." Hesiodus (ἔργα καὶ ἡμέραι v. 250. etc.) docet tres myriádes angelorum custodire homines mortales. Hinc censent Kant, Eichhorn, etc., doctrinam hanc a paganis sumptam esse; nos e contra censemus ex revelatione primitiva inter paganos sparsam hanc doctrinam.

Arg. 1. *Ex S. Scriptura.* Ps. xc. 11.: "Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis."—Ex quo ita: Tria hic docentur: *a*) angelos esse, quibus Deus præceperit; *b*) *de te*, i. e., de omni homine saltem in communi; *c*) ut sint custodes. *Ergo* docet S. Script. angelos saltem in communi mitti a Deo ad custodiendos homines.

Prob. Ant. a) *Angeli* sunt; quamvis enim homines sæpe in Script. dicantur angeli, hic tamen intelliguntur spiritus, quia apud Matth. iv. 6. diabolus tentans Christum, ut demittat se de pinnaculo templi, promittit iisdem verbis custodiam angelorum. *Atqui* non potuissent homines custodire cadentem. *Ergo* intelliguntur veri angeli (Cf. Luc. iv. 10.).

b) Formula "*de te*" potest sumi vel in sensu definitivo de unoquoque, vel in sensu indefinito, ut sæpe sumitur secunda persona, v. g., quidquid dixeris etc., (ubi Græci τίς; Galli *on*; Germ. *man*; Ang. *one*.) *Atqui*

in utroque sensu stat veritas propositionis; secundus tamen sensus est certissimus. *Ergo.*

c) Custodia hic intelligitur corporalis; *ergo* a fortiori spiritualis custodia admittenda est.—N. B. Quamvis diabolus sit pater mendacii, nihilominus hic recte et recto sensu citare, patet ex eo, quod supponebat se aliquod *notum* dicere, et quia Christus non eum in hoc correxit.

Arg. 2. Matth. xviii. 10. "Videte ne contemnatis unum ex his pusillis; dico enim vobis, quia angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei." *Ergo* omnis infans (non excipitur, v. g., reprobandus) habet angelum cœlestem tanquam sui custodem.

Arg. 3. *Patres* sunt unanimes in hac doctrina. Origines docet, parvulos habere angelos tutores (Hom. 8. in Gen. n. 8. et alibi passim); Basil. docet angelum circumdare hominem sua custodia velut muro (Hom. in Ps. xxxiii. n. 5.); Ambros. docet angelos mitti ad custodiendos hæredes cœli (Serm. in Ps. cxxiii. n. 9.); S. August. docet angelos obtemperare Deo in custodia hominum, sicut et Filius obtemperavit Patri (lib. 83. QQ. quæst. 67. n. 7.).

Arg. 4. *Ex Ratione.* a) Ita convenit Deo, ut in regendo utatur causis secundis; ostendat paternum suum effectum erga homines, pro quibus dedit Filium suum. *b)* Ita convenit angelis, qui ex sese dispositi sunt ad communicanda bona quæ habent; qui ardenter amant homines, quos amat tantopere Deus; qui juvare student illos, qui ad eundem finem, ad idem corpus efficiendum destinati sunt; qui in hoc veram communionem Sanctorum fovent; qui rebelles angelos non possunt pati, nec permittere ut his in terris blasphément Deum, sedúcant innocentes. c) Ita convenit hominibus, qui in certamine pro Deo non sunt pares diabolo etc. *Ergo.*

PROPOSITIO XXVI.

Unusquisque homo, ne reprobo vel infideli excepto, suum habet angelum custodem.

St. Q. Christus solus non habet angelum custodem, quia regitur Verbo. Habuit autem plures angelos ministros.—De certitudine Propositionis vide stat. quæst. in Prop. præced.

Arg. 1. Vide in Prop. præced. arg. 2. quod valet proxime de fidelibus.

Arg. 2. Patres non distinguunt inter fideles et infideles. *Ergo.* S. Hieron. (Comment. in Matth. l. 3.): "Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui angelum delegatum." *Ergo* non fit distinctio inter fideles et infideles, quum in nativitate omnes idem habeant peccatum originale.

Arg. 3. Omnes homines sunt destinati ad finem supernaturalem; pro omnibus Christus mortuus est. *Ergo* etiam omnibus additur angelus custos (vide arg. 4. Prop. præc.).

Coroll. 1. *Ergo* peccatum non est ratio, cur angelus deserat clientem suum, quem nec Deus *plane* deserit.

Coroll. 2. *Ergo* etiam in statu naturæ puræ ~~existit~~ hoc beneficium angeli custodis.

Quæstio 1. Quando datus angelus custos. —Secundum alios statim a nativitate; quando autem fuit in utero matris angelus matris et matrem et infantem custodiebat. Secundum alios — Tertull., Bonavent., Gabriel., Suarez — statim a conceptione: quia secundum Suarez jam tunc est homo persona a matre physice distincta et peccato originali affecta; secundum alios quamvis non sit persona, est tamen in via ad personam, ita ut angelos custos præsidere possit formando corpori.

Quæstio 2. Quæ sint officia. — *Resp.* Pericula animæ et corporis arcent, in quantum cum ordinatione providentiæ Dei convenit; excitant animam ad bonum; arcent diabolorum insectationes; præces deferunt ad Deum; puniunt medicinaliter clientem; deducunt post mortem in cœlum. Luc. xvi. 22.

Quæstio 3. Num et regna habeant angelos custodes.— Ecclesia habet S. Michaelem, ut et Synagoga eum habuit; præterea regna habent (ut Daniel x.). Etiam singulæ partes diœceses, singulæ Ecclesiæ, communitates — ita Origines, Ambros., Hieronym. Cf. Suarez (de Ang. l. 2. c. 17.)

Quæstio 4. Num unusquisque habeat etiam angelum malum speciali modo comitem sui.—*Resp.* Duplex sententia: Hermas (Pastor, l. 2. mand. 6.), Origines (Hom. 12. in Luc.), S. Gregor. Nyss. (Tract. de Vita Moys.), Cassian. (Coll. 3. c. 17.) etc., affirmant; generatim negatur. Nam *a*) nullum habet fundamentum in Scripturæ. *b*) Multi homines non sunt capaces exercitii virtutis, ut amentes et infantuli (alia res est de angelo bono, cujus munus est arcere mala corporea, deducere

in cœlum, etc.). *c*) Improbabile est, Deum permittere continuo unumquemque tentari, quum aliunde jam habeat fomenta concupiscentiæ in se. *d*) Non bene explicari possent obsessiones dæmonum.

Quæstio 5. Num si angeli custodes sint cum hominibus extra cœlum, amittant aliquid beatitudinis.— *Resp. Negandum*, quum visio intuitiva ubique possibilis.

Coroll. Ergo multiplex cura angelorum circa homines: universalis, quatenus homo pars est regni et Ecclesiæ; particularis, quatenus habet suum angelum custodem.

PROPOSITIO XXVII.

Certe constat ex S. Scriptura angelos malos posse hominibus physice et moraliter nocere; præterea posse hominum corpora obsidére.

Pars I.

Possunt Nocere.

Arg. *Physice* nocere possunt—patet ex tota historia Job; *moraliter* —patet ex tentatione Evæ in paradiso. Præterea, angelus malus suscitavit David, ut numeraret populum (I. Paralip xxi. 1.) cum pernicie populi.—Joan. xiii. 2.: "Quum diabolus misisset in cor, ut traderet eum Judas."—Luc. xxii. 31. "Satanas expetivit vos [Apostolos] ut cribraret sicut triticum." Denique diabolus seminavit in agro Zizania. Matth. xiii. 39.—Cf. I. Petr. v. 8. 9., Eph. vi. 11.

N. B. Non omnes tentationes in homine veniunt a diabolo; nam, "Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus." Jac. i. 14.—Cf. Rom. vii. 32., Matth. xviii. 7.

Pars II.

De possessione.

Nota 1. Distinguitur obsessio et possessio. — *Obsessio* est externa vexatio hominis ex parte diaboli sine inhabitatione, conjuncta cum quadam continua præsentia diaboli seu cohabitatione externa. — *Possessio* est interna actio et habitatio diaboli in homine, qui dicitur energumenus.

2. Patet ad utrumque requiri specialem permissionem Dei, quia secus posset diabolus ordinem universum turbare; posset plurimos per-

dere nimiis tentationibus; fortior esset angelo custode. (Quomodo vero diabolus in hoc casu crucietur, postea.)

Arg. 1. *Ex S. Scriptura.*—Agitur de possessione, ex qua facile concluditur obsessio tanquam minus malum, quod infligere diabolo potest. —Christus ipse multa dæmonia ejecit ex hominibus. Cf. Marc. i. 32., Matth. iv. 24., Luc. viii. 21. *Atqui* hæc dæmonia vera erant diaboli; nam examinat illos Christus, loquuntur, petunt ut sibi parcat etc. *Ergo* in multis hominibus dæmones inhabitabant. — Præterea, dedit Apostolis potestatem ejiciendi dæmonia (Matth. x. 8.).— Denique, promittit hanc potestatem mansuram in Ecclesia: "In nomine meo dæmonia ejicient." Marc. xvi. 17. *Jam vero* non agitur de morbis, v. g., phreneticis nam Christus bene distinguit inter morbos et possessiones; interrogando, supponit dæmones respondere non homines; nec intelligitur subitanea curatio ægroti, si non fuerunt dæmones.

Arg. 2. Apostoli, et post ipsos Ecclesia exercuit hanc potestatem. Nam S. Petr. (Act. v. 16.) et Philip, diaconus, (Act. viii. 7.) ejecerunt immundos spiritus.

Arg. 3. *Ex Patribus.*—Justin. (Apol. 2. n. 6.) docet multos esse dæmoniis agitatos in mundo; S. Irenæus (l. 2. ad Hær. c. 32. n. 4.) docet nonnullos expellere dæmones; Tatianus (c. Græc. n. 16.) dæmones corpus nostrum turbare, sed fugere per vocem Verbi; Tertull. (ad Scapul. c. 2.; Apologet. c. 23.) probat imperatoribus ex expulsione dæmonum veritatem religionis Christi. Sunt innumeri textus Patrum. — Ecclesia denique habet ordinem Exorcistarum, et in rituali formulas. *Atqui* non in vanum. *Ergo.*

Arg. 4. *Ex Ratione.*—Possessio est possibilis. *Atqui* si est possibilis, pendet a relatione factorum, num existerit nec ne. *Ergo.* Nota est contra adversarios, qui negant possibilitatem, hinc et facta.

Prob. Ant. Est possibilis, si dæmones habent vim, et ex parte Dei possunt esse rationes eam permittendi. *Atqui* utrumque obtinet: nam dæmones habent vim assumendi corpora, nec distinguitur, num sint viva nec ne; potest Deus habere rationes, v. g., ut boni probentur ait Ambros. (in Luc. i. 6.); quia in his energumenis terror diaboli appareret; quid enim faciet in inferno, si ita cruciat in vita? ut virtus Christi et potestas Ecclesiæ appareat in expellendo diabolo; ut homines in fide firmentur, quia vident diabolum, in quem multi nolunt credere.

Fin. 22/12/82.

ARTICULUS IV.

DE FORMATIONE MUNDI.

Adversarii (Materialistæ etc.) docent, nullam esse creationis ac formationis necessitatem, quum pro mundo anorganico systema Laplace, * pro mundo vero organico explicando sufficiat systema Darvini. Hinc

I. De Doctrina Laplace.

1. Quum agatur inprimis de systemate solari, supponitur hoc systema, i. e., solem cum suis planetis earumque lunis, exstitisse initio solutum in forma gazosa, ita ut ingentem globum gazosum constitueret. Jam Laplace supponit statum hunc solutum materiæ in atomos componentes sine calore; quum vero hæ atomi per attractionem in ambitum activitatis chemicæ venissent, calorem ex hac actione ortum fuisse. Alii supponunt statum gazosum ipso calore immenso productum.

2. Supponitur in hoc globo attractio ad centrum et rotatio circa axem. Quum vero calor in circumferentia effugiat in spatium, oritur gazorum condensatio, transitus ex statu gazoso in statum liquidum; quumque liquida graviora sint gazosis, descendunt hæc versus centrum.

3. Hoc descensu rotatio circa axim necessario crescit, quod Jac. Ennis (Philosoph. Magazine, 1877) ita explicat: Supponatur globus ingens constare stratis sibi superimpositis. Si pars in extremo strato condensatur, descendit in secundum stratum, sed quum habeat majorem celeritatem oblique descendit versus orientem, sicut lapis qui cadit a culmine turris non ad pedem sed ad punctum distans a pede versus orientem decidit. Dat igitur materia descendens novum impulsum strato proximo; ex quo fit, ut, præsertim si elasticitas, quæ in gazoso quoque strato invenitur, simul excitatur et agat, ipsa rotatio semper crescat. Ingentes igitur massæ descendentes versus centrum augent rotationem. Simile quid in rota molinaria animadvertitur, quum aqua cadit supra gradus.

* Primus, qui invexit hanc theoriam, fuit Kant (in opere Mechanices Cœlestis, 1755); triginta annis post, Herschel; denique Laplace (in duobus operibus: Mécanique Céleste, et—Exposition du Système du Monde, 1796).

4. Ex hac rotatione crescente continuo sequitur, globum totum applanari in polis et extendi versus æquatorem; donec venit momentum, quo circa æquatorem annulus avellatur.

5. In annulo avulso possunt merito supponi partes hinc inde plus minus densæ, unde centra quædam attractionis, quibus frangitur globus; oriuntur novæ massæ rotantes circa axem. Hæc nova rotatio circa axem ex vi centrifugali et centripetali, ex majori celeritate in summa superficie, et minori in infima facile explicatur. Novæ illæ fractiones in globos conformatæ possunt considerari ut embryones planetarum. Insuper assumi potest per retardationes vel accelerationes varios globos paulatim in unum transire, restantes vero partes ab aliis attrahi, vel vagari per spatium.

6. Similiter ut planetæ ex sole, ita lunæ ex planetis oriuntur.*

Rationes pro doctrina.—Commendatur theoria, ex qua possunt a priori consequentiæ deduci, quæ de facto probantur veræ. Id vero obtinet in theoria Kant et Laplace. *Ergo.*

Prob. min. 1. *rationibus astronomicis.*

a) Si planetæ per modum et viam annulorum æquatorialium formatæ sunt, debent omnes esse in eodem plano rotationis æquatorialis. Jam vero id fit: differentiæ enim,—in majoribus planetis minor, in minoribus major,—facile aliunde explicari possunt, imo in revolutione tanta a priori supponendæ sunt etiam satellites, i. e. lunæ, in eodem plano rotantur.

b) Rotatio planetarum debet fieri per modum vel circuli vel ellipsis; jam vero ita est.

c) Rotatio planetarum debet fieri in directionem illam, quam habet sol, centrum totius systematis—hinc ab occidente versus orientem. Id vero obtinet, non tantum in planetis sed etiam in earum satellitibus seu lunis, exceptis lunis Urani, quæ rotant ab oriente in occidentem.

* *Experimento Dni. Plateau processus totus evolvitur.*—Quum oleum olivæ sit minus densum quam aqua, magis densum quam Alcohol, misceatur aqua et alcohol usque ad pondus specific. olei illius. Impleatur hac mixtione vas vitreum, cui axis longitudinalis inseratur cum plano metallico, quod tamen debet esse minus quam latitudo vasis vitrei. Supra hoc planum metallicum ponatur aliquid olei, ac dein moveatur planum circa axem. Oleum paulatim applanatur in polis extenditur in medio (æquatore); tandem formabit annulum, qui quo magis crescit rotatio, eo magis accedit ad marginem; tandem relinquit marginem hærens in liquido. Quodsi liquidum rotatur circa axem, frangitur annulus, et continuo partes fractæ novos globulos formabunt. Censent hoc processu probari ipsam cosmogoniam mundanam; sed falso, uti consideranti facile patet, et ipse inventor Plateau (Annales Poggendorf. tom. 114.) confessus est.

Hæc exceptio nondum satis explicata est; fortasse ex nimia inclinatione versus planum rotationis commune, vel ex attractione aliorum siderum etc. orta est.

d) Celeritas rotationis debet crescere prout accedunt planetæ ad solem. Id vero fit ita, ut secundum proportionem quandam, quæ a priori computari potest, augeatur. (Neptunus, extrema planeta, per unam minutam 0.73,—terra 4—Mercurius, ad solem proxima, 6.4 mill. percurrit). Hoc argumento censent multi totam doctrinam evinci. Sed objici potest, in ipsa superficie solis punctum aliquod æquatoriale minore celeritate moveri, quam v. g. in Mercurio; item in terra, lunæ celeritas plus duplo major est quam punctum in æquatore; quæ res nondum satis explicata est, quum neque influxus aliorum astrorum, neque celeritas ab æquatore usque ad polos in sole etc. decrescens et orta inde retardatio totius, rem evidenter explicet.

e) Annuli separati a superficie extrema et deinceps debent esse semper minores ideoque et planetæ; id vero obtinet.

f) Annuli avulsi nondum fracti, sunt annuli Saturni planetæ. Præterea Sol ipse, Jupiter, Saturnus videntur adhuc esse in statu gazoso.

g) Existunt nunc adhuc permultæ nebulæ—D. Klein censet esse numero 5100—quæ videntur in illo esse stadio, in quo solare systema initio fuit. Huic argumento, quod aliis decisivum videtur, obest, quod figura nebulæ, i. e., sintne globi nec ne, non satis constat.

h) Analysis denique spectralis, meteora inde lata, probant easdem materias in aliis planetis esse, quæ in terra sunt.

2. *Rationes Geologicæ.*—Si phænomena terrestria examinantur, cum doctrina Laplace conveniunt et eam commendant. Nam:

a) Calor ex superficie crescit versus centrum; vulcáni denique et Thermæ—fontes calidi—suadent esse in centro terræ omnia in statu liquefactionis per ignem.

b) Fossilia, quæ sese sequuntur, probant primis temporibus majores gradus caloris.

c) Strata geologica transitum a calore majore ad minorem postulant.

d) Terra ipsa in formatione debebat necessario formam sphæroidicam assumere; sed illam nunc habet; *ergo* videtur formata, ut Laplace exponit.

Formatio *Terræ* in Specie.

1. Periodus—supponitur terra globus gazosus.

2. " supponitur in statu liquido.

3. " supponitur in statu formationis crustæ in superficie, sicut crusta glacialis oritur supra aquam. Atmosphera circumdans contrahitur et aqua descendit in crustam ; abhinc aqua et ignis simul agunt ad formandam terram.

4. Periodus disruptionis crustæ, elevationis crustæ, ut fiant montes etc. Per cooperationem aquæ strata Neptunica oriuntur. Solvit enim aqua materias crustæ ;— hæ descendunt et strata sedementaria efficiunt.

5. Refrigeratione crescente sequitur periodus, qua involucrum crustaceum pro organicis creaturis aptum est.

Deinceps strata singula a geologis ordinantur secundum organismos in iis petrefactos ; unde hæ periodi :

a) *Azoica* (archaica) — nullus organismus — formatio Laurentina ; primitiva crusta Gneis, Granite etc. ; Cambrica vel Huronica.

b) Exinde summa organismorum copia ; unde periodus *palæozoica : Siluriana* — plantæ, algæ, animalia crustacea. *Devoniana* — plantæ cryptogamæ vasculares, plantæ aquaticæ ; animalia, pisces—species potissimum inferiores. *Carbonica*—plantarum summa copia, v. g., calamitæ filices, lepidodendron ; animalia — amphibiorum typus superior, araneæ, scorpiones, locustæ, secundum aliquos saurii primi. *Permica* (in Germania duplex, hinc *Dyas*)— plantarum multæ filices calamitæ ; animalium proterosaurus Speneri (qui ad saurios squammatos pertinet), batrachii, inter quos archegosaurus Decheni.

c) *Mesozoica*—periodus animalium cultiorum : *Triassica* formatio—ex plantis, filices, equiseta grandia, primæ monocotyleæ : ex animalibus, ingentes saurii : trematosaurus, mastodonsaurus, nothosaurus. Apparent etiam aves ac prima mammalia, speciatim marsupialia, brontozoon giganteum. *Jurassica* formatio—*infima*, ob saxarum nigredinem *Jura niger*, continet cephalopeda egregia, ichthyosaurum, plesiosaurum ; pars *media*, massis fuscis constans, continet ex animalibus, ammonitas, belemnitas etc. ; pars *suprema*, albi coloris, abundat anthozois etc. Apparet etiam saurius volans, pterodactylus, archæopteryx macroura —forma media inter reptilia et aves. *Cretacea* formatio—ex plantis, co-

pia magna dicotylearum; ex animalibus, *echinodermata*— inter enaliosauros, mosasaurus; iguanodontes et primi crocodili, saurii volantes, pterodactyli ingentis magnitudinis. (Animalium species in toto 5500.)

d) *Cœnozoica* — vocatur etiam formatio *tertiaria: Eöcœna* (ἠώς aurora), *miocœna* (μεῖον), *pliocœna* (πλεῖον), — cœnum (καινόν). Hæ appellationes a Lyell sunt inductæ.—Montes altissimi strataque calcaria integra nummulitis constant. Multa animalia mammalia *pachydermata*, v. g., cetaceum monstrum, quod Zeuglodon cetoides vocatur: hæc *eögenica* sunt. Inter *neögenica* sunt multa *reptilia* (Andrias Scheuchzeri); *mammalia*, e. g. mastodon, animalia suina—ut palæochærus, sus etc. —animalia cervina, carnivora, simiæ. Ex plantis, adsunt palmæ, cypressi, platani, laurus, ficus, cinnamomum, quæ quum in articis quoque regionibus magno numero inveniantur, patet eo tempore ibi clima tropicum fuisse.

e) Sequitur periodus *glacialis*: post quam incipit periodus *quaternaria*, quæ in *diluvianam* (*postpliocœnam*) et *alluvianam* seu recentem dividitur. Multi videntur eo tempore ingentium pachydermatum greges per Europam etc., vagantes: elephantes primigenii (Mammoth), rhinozerotes, hippopotami; catervæ animalium rapacium. Censent aliqui eo tempore homines exstitisse, quod ex repertis craniis (Engiscranium—cranium ex valle Neandri), ex ossibus in Belgio inventis, ex reliquiis culinariis prope Abbeville, Saint-Acheul, Torquay detectis, concludere volunt.

N. B. *Neptunistæ* (auctore Abr. Gottl. Werner) seriem *formationum sedimentariarum* retinent, negant vero statum ignito-liquidum initio præcessisse, sed terram solutam aqua, solidatam chemicis etc. operationibus; hinc rejiciunt nucleum igneum in media terra, multas petrarum formationes non igni, ut *Vulcanistæ*, sed aquæ tribuunt, vulcanos vero ex causis localibus oriri censent.

I. DE ASTROGONIA.

PROPOSITIO I.

Tantum abest, ut theoria Kant–Laplace pugnet cum historia creationis revelata, ut possint dari rationes, cur Deus talem mundi creationem et evolutionem potuerit præferre.

St. Q. Assumimus theoriam astrogonicam Kant–Laplace ut probabilem, ideoque ostendimus nec hanc nec similem, si forsan alia postea in ejus locum succedat, quæ per evolutiones procedat, pugnare cum narratione creationis biblica. Præterea probabimus optime etiam hanc theoriam cum divinis attributis concordare.

Pars I.

Non pugnat cum S. Scriptura.

Arg. Non pugnat cum narratione biblica, si 1. ex sese postulat creatorem; 2. si cum verbis biblicis convenire potest. *Atqui* utrumque obtinet. *Ergo.*

Prob. min. quoad 1. Materia ex sese postulat causam creantem; motus postulat causam moventem; qualitates materiæ et dispositio postulant causam providentem, quæ agat secundum motiva finalia. *Ergo.*

Quoad 2. Gen. i. 1. 2.: "In principio creavit Deus cœlum et terram; terra autem erat inanis et vacua, et tenebræ erant super faciem abyssi, et spiritus ferebatur super aquas."—Unde ita: Primus versiculus exhibens simpliciter creationem cœli et terræ *aut designat per modum unius, auctorem totius operis impleti*, sicut architectus potest dici prius constructor totius ædificii, ac dein singularum partium, ut modus constructionis ostendatur;—*aut designat Deum ut auctorem mundi secundum statum inchoativum* (i. e., secundum materiam, dispositionem etc.,) *non perfectum*, ita ut deinceps evolutio ostendatur. *Atqui* uterque sensus admittit theoriam astrogonicam supra expositam. *Ergo.*

Prob. min. Si prior sensus admittitur, incipit descriptio evolutionis a secundo versu: "terra erat *inanis et vacua*"—ἄφατος καὶ ἀκατασκεύαστος—*Tohu Vabohu*, i. e., in statu chaotico. Jam vero, *a*) terra hic sumitur pro tota materia, quia ex illa (v. 6.) dicitur separari cœlum; *b*) dicitur esse in statu chaotico, qui status nullam formam designat, sed mixtum chaoticum elementorum; *c*) nulla certa duratio hujus status assignatur. *Atqui* cum hoc statu bene convenire potest status, quem supponit theoria astrogonica. *Ergo.*—Si in primo versu cœlum et terra inchoative tantum exhibentur, ut evolutio deinceps describatur, eodem modo universa materia est chaos aliquod, in quo nulla certa forma, sed tantum dispositio ad formationes sequentes, nulla certa et definita

duratio assignatur; quare et ita convenire potest cum theoria astrogonica. *Ergo.*

Neque objici potest, esse sermonem de aqua abyssi, nam

1. S. Thom. (Sent. l. 2. dist. 12.): "Hæc [i. e., confusa materia] ideo dicta est aqua, quia omnia quæ in terra nascuntur, (sive animalia, sive arbores, sive herbæ et similia) ab humore incipiunt formari et nutriri. His omnibus vocabulis vocata est illa informis materia, ut res ignota notis vocabulis insinuetur *imperitioribus* et non uno tantum vocabulo. Sub his ergo nominibus significata est materia illa confusa et informis, quæ nulla specie cerni et tractari poterat, id est, nominibus visibilium rerum, quæ inde futuræ erant, propter infirmitatem parvulorum, qui minus idonei sunt invisibilia comprehendere."

2. Potest supponi Hagiographum vidisse mundi creationem et evolutionem magnis visionibus: id enim dramatica descriptio Dei prodeuntis et imperantis, materiæ obedientis, Spiritus S. super aquas incubantis etc., satis ostendit. Jam vero in hac suppositione facile explicatur, cur status ignito-solutus per modum nebulæ, item status liquidus cum undulationibus, revolutionibus internis, et cum mari potuerit comparari; etenim et nunc loquimur de *mari* nebuloso, de mari igneo etc. *Ergo.*

Arg. 2. "Complures," inquit Petav. (de Opif. sex Dier. l. 2.), "antiquorum initio rerum et ante dierum sex opera, informe quiddam et inconditum a Deo procreatum esse censent, quod ὕλην Græci, nostri vel *hylen* vel materiam appellant."—Ita S. August. l. 1. de Genes. contra Manichæos c. 7.): "Informis illa materia, quam de nihilo Deus fecit, appellata est primo cœlum et terra, et dictum est: In principio fecit Deus cœlum et terram, non quia jam hoc erat, sed quia hoc esse poterat. Nam et cœlum scribitur postea factum. Quemadmodum si semen arboris considerantes dicamus, ibi esse radices et robur, et ramos et fructus, et folia, non quia jam sunt, sed quia inde futura sunt." Dein dicit, cœlum et terram vocari materiam, "ut res ignota notis vocabulis insinuaretur imperitioribus et non uno vocabulo sed multis . . . Dictum est ergo cœlum et terra, quia inde futurum erat cœlum et terra. Dicta est terra invisibilis et incomposita, et tenebræ super abyssum, quia informis erat et nulla specie cerni aut tractari poterat . . . Dicta est aqua, quia facilis et ductilis subjacebat operanti, ut de illa omnia formarentur. Sed sub his omnibus nominibus materia erat invisa et informis,

de qua Deus condidit mundum."—Idem docet (Conf. l. 12. cc. 4. 8. 12., in opere imperfecto de Genesi ad literam; de Fide et Symbol. c. 2.)

De Trinit. l. 3. c. 9. ait: "Aliud est, ex intimo et summo causarum cardine condere atque administrare creaturam, quod qui facit, solus Creator est Deus; aliud autem pro distributis ab illo viribus et facultatibus aliquam operationem forinsecus admovere, ut tunc vel tunc, sic vel sic exeat, quod creatur. Iste quippe originaliter ac primordialiter in quadam textura elementorum cuncta jam creata sunt; sed acceptis opportunitatibus prodeunt. Nam sicut matres gravidæ sunt fœtibus, sic ipse mundus gravidus est causis nascentium, quæ in illo non creantur nisi ab illa summa essentia, ubi nec oritur nec moritur aliquid, nec incipit esse nec desinit." *

Sequuntur S. August. (pergit Petav.) Albinus, Flaccus, Beda, Isidorus, aliique deinceps, qui Augustinum consuevere sequi . . . necnon Cæsarius (Dialogo primo, interrogat. 51.)

Confirmatio 1. Multi sunt, qui tradunt initio non res ipsas sed rerum semina creata fuisse.—Gregor. Nyss. (in Hexæm.): "Omnium existentium semina et causas et virtutes in illo momento projecit Deus . . . . . Vi et potestate omnia exstiterunt in illo primo Dei ad creandum appulsu tanquam vi quadam seminali ad universi productionem jacta, ita tamen ut actu res singulæ nondum essent." Ex quo disci potest, creatorem mundi potentiam qualitatum susceptricem produxisse.

Confirmatio 2. Sap. xi. 18.: "Creavit orbem terræ ex materia invisa (Gr. *informi*)." Cui convenit Severian. (Hom. 1.): "*πάντων τῶν γενομένων τὴν ὕλην τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ ἐποίησεν.*"

Pars ii.

Convenit cum Divinis Attributis.

Arg. Sicut hortulanus ponit semina, ex quibus statutis temporibus plantæ, flores, arbores, fruges enascuntur, ita Deus censendus est creasse initio elementa cum qualitatibus respectivis aptaque elementorum

* Quodsi S. Aug. (lib. contr. Adv. Legis et Prophet.; item in l. 1. de Genesi ad lit. c. 15.) negat inter materiam informem supra descriptam et res ipsas fuisse tempus, sed prioritatem tantum naturæ admittit pro materia, consentit tamen, verbis in cretione adhibitis—*Tohu Vabohu* etc.—designari materiam et elementa confusa: Quod nobis sufficit. Non vero concordat sufficienter cum S. Scriptura negatio temporaneæ distantiæ.

dispositione, ut statutis temporibus evolutiones ex illis prodirent. *Atqui* hoc convenit cum theoria astrogonica. *Ergo.*

Prob. Maj.— Egisse ita censendus est Deus, quia magis manifestat ejus attributa, nam

1. *De potentia. a*) Tanto major est potentia, quanto minor est potentia ex qua, quanto major effectus qui, quanto majora obstacula, per quæ transeundum ad effectum. *Atqui* potentia profecto est minima — sunt elementa cum paucissimis viribus, attractione, chemica affinitate, calorico; effectus est mirabilis astrorum ordo et constans; obstacula fuerunt status maximæ confusionis et ingentes revolutiones. *Ergo.**

b) Præterea eo major potentia est, si ita disponat elementa illa, ut ipsa propria sua activitate se ita evolvant ex statu tantæ confusionis ad pulcherrimam harmoniam, quam si semper ad novum evolutionis stadium novam activitatem deberet adhibere. *Atqui* ita Deus egit secundum theoriam expositam. *Ergo.* — Supponatur artifex, qui posset ex simplicissimis elementis horologium ita construere, ut propria sua activitate non tantum horas indicaret, sed et dies, et menses, et annos, et nivem, et pluviam, et frigus etc.; si esset læsum, semetipsum reficeret etc.: profecto talis artifex multo majorem potentiam et artem ostenderet, quam si ad omnem mutationem ipse intercedere deberet.

2. *De sapientia.* Illa sapientia et providentia major et perfectior, quæ minima quæque amplectitur, quæque ita omnia disponit, ut per maximas revolutiones pertranseant, nihilominus sese evolvant secundum numerum, pondus et mensuram. *Atqui* ita apparet sapientia et providentia divina in theoria astrogonica. *Ergo.*

3. *De bonitate.* Major est, quæ bonum communicat, quam quæ sibi retinet. *Atqui,* in systemate explicato, esse causam propriæ et concausam alienæ evolutionis est bonum, quod Deus rebus contulit. *Ergo.* Certe non est laudandus, qui omnia vult per se facere, nec ullam dare aliis opportunitatem aliquid producendi.—S. Thom. (Cg. 3. 77.): "Nobilior est ordo causarum quam effectuum, sicut et causa potior est effectu . . . Si non essent aliquæ causæ mediæ exequentes divinam providentiam, non esset in rebus ordo causarum sed effectuum tantum."

* S. Thom. (Cg. 3. 77.): "Quanto virtus alicujus agentis est fortior, tanto in magis remota suam operationem extendit, sicut ignis, quanto est violentior, tanto magis remota calefacit. Hoc autem non contingit in agente, quod non agit per medium, quia quodlibet, in quod agit, est sibi proximum. Quum igitur virtus divinæ providentiæ sit maxima, per aliqua media ad ultima suam operationem perducere debet."

4. Etiam divinæ *æternitatis* illustrius existit vestigium. Nam mechanica illa evolutio sub providentia divina exigit ἡμέρας αἰῶνος, *dies ævi*, cum arena maris et guttis pluviæ merito comparandas (Eccli i. 2.). Congruum autem videtur reliquisse Deum quasi vestigium quoddam æternitatis suæ longissima temporum spatia, sicut reliquit vestigium immensitatis miras cœlorum extensiones.

Scholium. P. Suarez* (Opus sex Dier. l. 1. c. 10. n. 8.): "Cœli et elementa sunt corpora simplicia per se primo pertinentia ad constitutionem universi, et ideo voluit Deus illa creare prius, quam cetera; omnia enim opera ceterorum dierum vel ad productionem mixtorum vel ad accidentales tantum mutationes præexistentium corporum pertinent et ideo prius simplicia corpora, quam cetera facta sunt. Accedit, quod solis simplicibus corporibus quasi connaturale est, ut per propriam creationem ex nihilo fiant, quia unum per se loquendo non est materia alterius et ideo quodlibet illorum, et omnia simul ex nihilo facta sunt. At vero mixtis connaturale est fieri ex simplicibus eorumque mixtione, et ideo non ita sunt simul cum simplicibus facta."

II. DE GEOGONIA.

In historica enarratione creationis duo a Moyse distinguuntur: creatio stricte dicta, et formatio terræ, quæ dici etiam solet creatio secunda. Priusquam de hac agemus, notanda quædam sunt de ipsa narratione biblica.

* Ad rem etiam Herbert Spencer (Progress: its Law and Cause): "Organic progress consists in a change from the *homogeneous* to the *heterogeneous*." Postquam ostendit, quomodo verum sit in natura organica in genere et in singulis individuis, v. g., in arbore relate ad radices, truncum, ramos etc., item in animali, applicat ad ordinem universi .... "This law of organic progress is the law of all progress. Whether it be in the development of the earth, in the development of life in its surface, in the development of society, of government, of manufactures, of commerce, of language, literature, science, art, this same evolution of the simple into the complex through successive differentiations, holds throughout. From the earliest traceable cosmical changes down to the latest results of civilization, we shall find that the transformation of the homogeneous into the heterogeneous, is that in which progress essentially consists." Tendit igitur unitas (uniformitas) in varietatem et varietas in unitatem. Recte Mr. Le Conte (Prof. in Universitate Californ.): "Does not the cheering doctrine of final causes,— of design and purpose — become strengthened and invigorated by leading us to a view so comprehensive? How simple the means— how multiform the effects — how far-reaching and grand the design! How deeply they impress us with the wisdom, power and glory of the Creator and Governor of the Universe!" (The Popular Science Monthly, April, 1873. p. 655.; agit autem system. Laplace.)

1. Finis Mosaicæ narrationis fuit:

a) Ut contra Philosophos et Sapientes Ægyptiacos, qui mundum æternum esse ponebant, Israelitæ veram mundi originem, dependentiam a suo auctore, verum etiam Deum edocerentur. Ita Philo Judæus (Cosmop. initio), Theodoretus, Cyrill. Alex. (contra Julian. l. 2.), etc.

b) Ut probaret Moyses Israelitis, Deum ideo eorum legislatorem, quia esset eorum Creator ac Dominus; neque enim alia ratione legem Dei tulissent. "*Alienis* enim jura præscribere, tyrannicum est." Ita Severianus, Episc. Gabalorum. Acacius Cæsariensis addit, ut metum in Israelitis Moyses excitaret ad legem servandam.

c) Possunt rationes illæ simul sumi illisque addi, quum relatio biblica et omnis inspiratio sit ad ordinem supernaturalem, ordo autem supernaturalis habeat Christum tanquam caput, totam narrationem biblicam creationis, evolutionis, hominum creationis, peccati originalis, electionis populi Israelitici, etc. præparativam esse adventus Domini Nostri; unde non agitur de Astronomia, Geologia, medicina, linguistica etc., nisi per accidens, in quantum nectuntur cum illo fine.

2. *De forma.* Verba et imagines adhibitæ sunt, ut conveniebant populo imperito et sensibus dedito, hinc ut res apparent et secundum apparentiam denominantur, abstrahendo ab eo, quod in ipsa rerum natura non ita sint, ut manifestum est ex motu solis circa terram.—Hinc monet S. Thom. (1. q. 68. a. 1.): "Quum Scriptura divina multipliciter exponi possit, quod nulli interpretationi aliquis ita præcise inhæreat, ut si certa ratione constiterit, hoc esse falsum, quod aliquis sensum Scripturæ esse credebat, id nihilominus asserere præsumat, ne Scriptura ex hoc ab infidelibus derideatur, et ne eis via credendi præcludatur." Idem vehementius S. Aug. (de Gen. ad lit. l. 1. c. 18. n. 37. et c. 19. n. 39.)

Brevis Expositio Historiæ Creationis.

1. Quum nemo (homo) potuerit esse testis creationis, totus iste processus revelandus erat. Jam hæc revelatio potuit fieri dupliciter: aut instructione orali, quum Deus deambularet cum Adamo in paradiso; aut in instructione visionaria, ita ut Adam, vel etiam Moyses, in visionibus magnas istas periodos videret, fieretque quasi testis oculatus, au-

ritus etc. Censemus hoc altero modo, i. e. per visiones, Adamum quasi adstitisse operi creationis, simili modo sicut propheta per visiones interitum Hierosolymorum ac populi Judaici, vel sicut S. Joannes in Apocalypsi mundi interitum etc. vidit. Rationes sunt:

a) Ita prophetæ futurum revelatum; *ergo* non repugnat etiam præteritum potuisse ita revelari, quia nemo poterat huic præterito assistere.

b) Genes. ii. 21. narratur, quomodo Deus formaverit ex costa Adæ dormientis Evam; quem processum Adam per visionem in somnio vidit (erat somnus quasi exstaticus). *Ergo* neque repugnat Adam et alia potuisse videre per visionem.

c) Graphica descriptio talis est, ut coram vidente et audiente omnia implerentur. Procedit Deus, imperat, obedit creatura, approbat Deus, benedicit, nomen dat. Repræsentatur velut magnum drama cosmogonicum.

Neque in hac visione character historicus deletur. Singulæ enim periodi, ut historice sese sequuntur, imaginibus repræsentantur, et graphice et historice magnis quasi lineamentis describuntur.

2. Series dierum secundum opera. — Duo primi versus sunt quasi exordium—creatur materia in statu mixto et confuso, habens in potentia quidquid ad formationem terræ ipsius, vitæ etc. pertinet; huic assistit providentia Dei ut formativa. Versu 3. incipit opus dierum.

a) *Primus dies.* Creatur lux—calor—(rotatio circa axem).*

* *Cosmogonica expositio.* Duobus primis versibus continetur astrogonia in genere, fitque transitus ad terræ formationem in specie. Potest supponi terra ex parte condensata, i. e., habens corticem, qui includat nucleum ignitum; supra se aquam, partim densam partim vaporibus densis globum circumdantem. Deus dispellit vapores, i. e., congregat magis, eo quod terra magis refrigescit; chemica affinitas in strato tellurico agere potest intensa sua activitate; hæc autem lumen et calorem novum producit, quod lumen est lumen cosmicum. Hoc lumen, ortum ex tenebris, partim extinguitur, partim non, secundum processum chemicum formativum. Idea igitur foret hæc: præparatur terra ad vitam geminandam, quod videtur expressum imagine Spiritus incubantis (quasi supra ovum).—Prima vero conditio a qua incipiendum, est apta dispositio luminis et umbræ, caloris, frigoris, etc. Hæc obtinetur per activitatem chemicam, condensationem, rotationem circa axem.

Alii Geologi ita: Tota materia fuit creata cum calorico latente—hinc in tenebris. Versu denique 3. ponit Deus motum rotatorium—hinc fit caloricum latens manifestum, producitur lumen, fit condensatio etc. Quando incipitur *a vespere* — *"factum est vespere et mane"*—non intelligitur vespere quem sequatur nox—quia neque sol existit, neque hoc lumen paucis horis statim exstingui possit, sed intelligitur initium periodi et finis, hominibus rudibus aptissime repræsentati sub imagine diei ipsis noti. —Erat autem dies cosmicus, non solaris.

b) *Secundus dies.* Formatur atmosphæra separans nubes ab aquis terræ.—*Rhakia* enim extensionem dicit vel etiam tegumentum.*

c) *Tertius dies.* Præparatur terra divisione maris ab aridō; producuntur plantæ.†

d) *Quartus dies.* Exornatur cœlum secundum ea sidera, quæ proxime cum terra cohærent et in eam agunt. Sensus est: antea aderant, nunc vero nubibus paulatim descendentibus ad terram aridam etc., apparent. Est autem tertia conditio ad vitam; quamvis potuerint plantæ jam antea crescere ex lumine sive terrestri, sive solari exigunt.—Aliqui Geologi putant, nucleum solis tunc fuisse proprie formatum, quamvis lumen irradiatum ex nebula gazosa, jam adesset.

e) *Quintus dies.* Postquam aridum ornatum et aer purgatus est in 3°. et 4°. die, creatur vita animalis in aqua et aere.

f) *Sextus dies.* Creantur in terra animalia terrestria et rex totius creationis—Homo.

Quæstio de natura dierum.—Moyses transtulit hebdomadam civilem ad hebdomadam cosmicam, ob duas rationes: *a*) quia ita populus sensibus addictus ac rudis melius Dei potentiam, providentiam, sapientiam intellexit; *b*) quia opus Dei laborantis per sex dies et quiescentis septimo die debebat fieri prototypon operis Israelitarum operantium per sex dies, quiescentium die sabbato. Præceptum enim sabbati multo efficacius est.‡

---

* Convenit Cosmogonia. Erat enim secunda vitæ conditio, ut aer adesset; nubes tamen ex natura sua tam densæ, ut nullum lumen sidereum ab extra penetrare posset.

† Abhinc non existit in Cosmogonia difficultas, quia in infimis stratis plantæ prævalent; quodsi inferiores species animalium jam adsint, dicendum, characteristicum tamen totius progressus esse, ut a plantis maxime incipiatur.

‡ De opere et quiete Domini tanquam prototypo operationis Israelitarum, nota: Gen. ii. 2.: "Et benedixit diei septimo et sanctificavit illum, quia in ipso cessaverat ab omni opere suo," explicatur Exod. xxxi. 13. seqq. "Videte, ut Sabbatum meum custodiatis, quia *signum* est inter me et vos in generationibus vestris . . . Qui polluerit illud, morte morietur; qui fecerit in eo opus, peribit anima illius de medio populi sui . . . Sex enim diebus fecit Dominus cœlum et terram et in septimo ab opere cessavit." Cf. Exod. xx. 4., 8–11., Deuter. v. 3., Jos. vi. 3.—die septimo cecidit Jericho. Neque diem tantum, sed et mensem septimum ut mensem sabbati (Levit. xxiii. 24.) et annum septimum ut annum sabbati (Exod. xxiii. 11., Deuteron. xv. 12–18.) præscripsit. Fuit igitur operatio sex dierum et quies sabbati exemplar et obligatio pro septem diebus, septem mensibus, septem annis. Supponamus igitur evolutiones mundanas fuisse epochas; potuissetne Moyses, si illas ut exemplar activitatis voluisset proponere rudi populo, melius proponere quam sub imagine dierum?

Quo sensu dies Mosaici intelligendi sint, multæ sententiæ, quæ ad duas classes potissimum reduci possunt. Prior tenet, omnia simul creata esse, ita ut distinctio secundum dies sit logica, altera tenet successive omnia creata esse, ita ut distinctio secundum dies sit realis. Quum utraque sententia vario modo exponatur, hinc

I. *Sententia, logice distinguens secundum dies.*

1. Secundum illud Eccli. xviii. 1.: "Qui vivit in æternum, creavit omnia simul" docet hæc sententia uno instante totum fuisse creatum, uti est; dies esse allegoricos. Sicut, si liber esset creatus uno momento, tamen expositio creationis inciperet a primo capite: ita factum est initium et finis, i. e., caput primum; dein simili modo caput secundum etc.— ostenderetur hac ratione, quamvis esset integer liber simul creatus tamen a parte rei librum constare variis capitibus sese sequentibus. Simili modo se haberet mundus; quamvis simul creatus, tamen in in se partes varias contineret; quæ si non essent productæ actione instantanea, postularent quævis propriam activitatem. Hæ vero partes cum correspondente activitate proponerentur imagine diei.—Tenent hanc sententiam Aristobulus (videtur primus fuisse), Philo Judæus (de Mundi Opificio; Allegoriæ l. 1.), Clemens Alex. (Strom. 6. 10), Origines (contra Celsum l. 6.; De Princip. l. 1. cc. 4. 16.), Athanas. (Sermo 3. contra Arianos), Procopius Gaz. (in Genesim), Gregorius Nyss., Hilarius (de Trinit. l. 12. c. 40.)—Cf. Spicileg. Dogmat. P. Corluy, p. 175.

2. Sententia S. August.—Ad explicationem nota:

a) "Dicimus . . . illam lucem, quæ primitus facta est, conformationem esse *creaturæ spiritualis;* noctem vero adhuc formandam in operibus, rerum materiam." (De Gen. ad lit. l. 4. cc. 21–38.) *Ergo* secundum S. August. simul a principio creata est materia informis, quæ est nox seu tenebræ; præterea *lux*, non illa materialis, sed angelica seu *angeli.*

b) Cognoscunt angeli se et creatam materiam *in seipsis*, quæ cognitio *vespertina*, quam nulla sequitur nox, ideoque secundum S. August. nulla fit mentio nocti. Cognoscunt dein easdem creaturas *in essentia divina;* hæc cognitio vocatur ab ipso cognitio *matutina.* Ideoque utraque cognitio simul sumpta est unus dies. –

c) Quum opera naturæ sint distincta, etiam cognitiones angelicæ

distinctæ sunt.—Distinctio autem non est in creatione activa, quæ una est et simultanea *sine intervallis temporum*, sed est in opere producto secundum *connexionem causarum* (De Gen. ad lit. l. 5. c. 5. n. 12.). Ut igitur sunt sex gradus distincti, ita sunt sex cognitiones angelicæ distinctæ, ideoque totidem dies — seu una cognitio sexies repetita, sicut unum verbum "*dixit*" sexies septiesve repetitur.

d) Quum septimo die nulla nova creatura contemplanda exhibeatur, est sine cognitione vespertina—hinc septimus dies non habet *vespere*. Est igitur hæc cognitio tota lucida et adhuc durans.

e) Res *anorganicæ* creantur ut completæ; res vero *organicæ* creantur secundum *rationes causales*, in quantum "tunc ea producendi virtutem terra latenter accepit" (de Gen. ad lit. l. 8. c. 3.)— seu "formavit potentialiter in numeris, quos deinde tempus explicaret" (de Gen. ad lit. c. 5. n. 14.). Semina igitur rerum vitalium creantur; evolutio seminum non pertinet ad opus creationis, sed administrationis; est igitur *extra opus sex dierum*.

Rationes S. Augustini.—*a*) Omnia sunt creata simul, nam "qui vivit in æternum, creavit omnia *simul*" Eccli. xviii. 1.; et Gen. ii. 4. omnia dicuntur creata uno die.

b) Dies non sunt sine sole et firmamento; sed tres primi dies biblici non habent solem etc. *Ergo* non sunt dies proprii.

c) Nequit explicari diem septimum caruisse vespere, hinc durare adhuc.

d) Non decet Majestatem divinam, creare successive.

Judicium S. Thomæ de hac sententia (Sent. l. 2. dist. 12. q. 1. aa. 2. 3.):

"Dicendum, quod quæ ad fidem pertinent, dupliciter distinguuntur: quædam enim sunt per se de substantia fidei, ut Deum esse trinum et unum, et hujusmodi, in quibus nulli licet aliter opinari .... Quædam vero per accidens tantum, in quantum scilicet in scriptura traduntur, quam fides supponit Spiritu S. dictante promulgatam esse, quæ quidem ignorari sine periculo possunt ab his, qui scripturas scire non tenentur, sicut multa historialia, et in his etiam sancti diversa senserunt, scripturam divinam diversimode exponentes. Sic ergo circa mundi principium aliquid est quod ad substantiam fidei pertinet, scilicet mundum incepisse, creatum, et hoc omnes sancti concorditer dicunt; quo autem

modo et ordine factus sit, non pertinet ad fidem nisi per accidens."— Dein exponit S. Thomas, quomodo S. August. distinguat et materiam et rationes seminales, quæ debeant postea effectum producere; doceatque, "nec in distinctione rerum attendendum esse ordinem temporis, sed *naturæ* et *doctrinæ; naturæ*, sicut sonus præcedit cantum natura, sed non tempore, et ita, quæ naturaliter priora sunt, prius facta memorantur, sicut terra prius quam animalia . . . . . *Doctrinæ* vero ordine, sicut patet in docentibus Geometriam; quamvis enim partes figuræ sine ordine temporis figuram constituant, tamen Geometria docet, constitutionem fieri protrahendo lineam post lineam; et hoc fuit exemplum Platonis ut dicitur in principio cœli et mundi. Ita etiam Moyses rudem populum de creatione mundi instruens per partes divisit, quæ simul facta sunt. Ambros. vero et alii sancti ponunt ordinem temporis in distinctione rerum servatum, et hæc quidem positio est communior et magis consona videtur literæ quantum ad superficiem; sed prior est rationabilior et magis ab irrisione infidelium sacram Scripturam defendens, quod valde observandum docet August. (Gen. lit. l. 1. c. 19.) ut Scripturæ exponantur, quod ab infidelibus non irrideantur; et hæc opinio mihi placet, tamen utrumque sustinendo ad omnia argumenta respondendum est." — Cf. Sum. Theol. (1. q. 74. a. 2.), Albert. M. (in 2. dist. 12. a. 1. et in Summa de quatuor coæquævis). Sententiam S. August. damnarunt tanquam erroneam Molina, Cornel. a Lapide, Arriaga etc.; tanquam minus probabilem posuerunt eam Natalis Alex., Estius, Thomistæ juniores; defendit eam S. Eucherius Lugdun. (sive auctor operis Comment. in Genes., quod S. Eucherio attribuitur). Xistus Senens. (l. 4. Bibl.) eam tam sublimem et eruditam dicit, ut neque ante neque post August. tempora talis unquam prodierit. Similem expositionem dant Cardin. Norisius (Vindic. August. c. 4. § 9.), Hyac. Serry, Cajet. (in Comment. in Gen. i. 5.), Melch. Can. apud Bannez (p. 1. q. 74. a. 2. n. 1.)—Cf. potissimum Berti, ex August. familia, (De theolog. discipl. ll. 1. c. 2. prop. 1.). Videtur acerrimus defensor illius sententiæ.

II. *Altera sententia, rejiciens sensum allegoricum.*

Hæc sententia duplex est: *aut* sumit totam historiam creationis ad literam, ita ut dies intelligantur stricto sensu ut dies civiles, *aut* totam narrationem historicam esse censet, dies vero statuit esse epochas incertæ longitudinis, i..e. *dies cosmicos.* Jam

A. DE PRIORE SENTENTIA.

Dies creationis sunt dies civiles.

Nota 1.—Dies sumitur tripliciter: *Primo*, ut distinguitur a nocte—est spatium temporis, quo lucet sol. Gen. vii. 4.: "Pluam super terram quadraginta diebus et quadraginta noctibus." — Sumitur *præterea* pro spatio 24 horarum, ita ut subintelligatur nox ut simul comprehensa. Gen. vii. 4.: "Post dies septem pluam super terram" (νυχθήμερον). Est modus iste fere in omnibus linguis: post quatuordecim dies; aliæ tamen ponunt post quatuordecim noctes, subintelligentes dies — *after a fortnight.*—Sumitur *denique* pro epocha indefinita, de qua post.

2. Vespere et mane sunt dies et nox secundum initia.

3. Quum dicuntur fuisse dies civiles, non intelligitur Deum toto illo tempore laborasse sicut artifex humanus. Opus enim totum factum fuit in instante; sed opus sequens nonnisi post vigintiquatuor horas productum est; unde inter unum instans et alterum intercessit spatium vigintiquatuor horarum.

4. Neque Deus intelligendus est sex actus distinctos posuisse, sed unum actum tantum, quo voluit, ut res fierent sex intervallis distinctis.

ARGUMENTA.—Duplex series: 1. contra allegoricam expositionem; 2. contra geologicam secundum epochas. Hinc

1. Contra allegoricam expositionem.

a) Secundum regulas hermeneuticas tamdiu sensus literalis tenendus, quamdiu non urget ratio ad allegoricam expositionem: metaphora enim supponit rationem, quum talis sensus sit improprius, unusquisque autem supponatur id velle dicere, quod proxime exprimit. *Atqui* nulla ratio urgens adest, ut postea patebit. *Ergo.*

b) In exponenda Scriptura notandus est α) *finis*, β) *indoles auctoris*,

γ) *sermonis contextus.* Jamvero, *finis* erat cognitio Dei veri et veri mundi creatoris, cognitio activitatis divinæ secundum sex dies et quietis die septimo, tanquam exemplaris pro activitate Judæorum et cessatione a labore die septimo, quæ erat ratio aliqua fundamentalis (commemorativa) religionis Mosaicæ. *Atqui* allegoria in activitate divina non fuisset exemplar. *Ergo.*—*Quoad indolem auctoris.* Scripsit Moyses ut historicus toto libro Genesis, neque est ratio, cur aliqua pars ab hac indole historica excipiatur; *atqui* cum historia non convenit allegoria; *ergo.* — *Quoad contextum sermonis.* Alia nomina, v. g., cœlum, terra, planta, animal etc., non sumuntur allegorice; *ergo* nec dies; præterea, singulis diebus describitur terra vel aliud quodvis productum ejusmodi adjectivis, ut prorsus deberent distingui — "terra erat *inanis* et *vacua*," etc.

c) Debuisset populus esse valde cultus, si verum sensum voluisset capere, in hypothesi allegoriæ; sed hoc non obtinuit. *Ergo.*

2. Contra geologicam secundum epochas.

a) Vox *dies* (*jom*) sumenda primario sensu et ut a Judæis fuit intellecta, uti semper fuit usurpata in Genesi etc., ut in tribus ultimis diebus ejusdem narrationis intelligitur, ita ut si obscuritas quædam sit in prioribus tribus, hæc explicetur per majorem et evidentem claritatem sequentium. *Atqui* Judæi intelligebant dies civiles, quia non alii ipsis erant noti; sumitur semper in Genesi ut dies civilis—plus enim centies occurrit, nunquam alio sensu quam ut dies civilis; tres ultimi dies certe erant ex motione solis orti, semperque valet principium, *obscura per clara sunt explicanda. Ergo.*

b) Si primis diebus nondum exstitit sol, nihilominus lux est creata et a tenebris divisa, ita ut lux esset *dies* et tenebræ *nox.* Potest hoc duplici modo explicari: *aut ita* ut Deus crearit materiam luminosam, vel aliud lumen conjunctum calorico et chimicæ affinitati, atque ita contraxerit in unam partem globi terrestris rotantis ut loco luminis solis produceret diem, in altera vero parte obscura noctem; *aut ita* ut ipse Deus immediate per sese lumen solis produceret in atmosphæra terrestri secundum hemisphæram, et ita diem et noctem. *Atqui* in hoc sensu manet dies civilis, nec fit miraculosum quid; creatio enim non est miraculum. *Ergo.*

c) Quodsi dicuntur quarto die stellæ fixæ apparuisse in firmamento cœli, sed lumen stellarum aliquarum exigere saltem duos annos, simili modo ac supra dici potest Deus ipse per sese radios illos intermedios creasse, neque id miraculosum est, quum agatur de creatione; præterea, medium propagationis in creatione potuit esse diversum, hinc et propagatio fieri citior.

d) Asserta ex Geologia, Astronomia, Palæontologia, nimis infirma sunt, quare ex iis repugnantia diei civilis probari nequit. Nam

In genere. —1. Geologia nimis recens et nimis imperfecta est, tum propter defectum inquisitionis—minima enim pars terræ examinata est (nihil fere in Asia, Africa, Australia), nec facta inventa et allegata satis constant; tum propter discordiam ipsorum Geologorum, oppositionem in systematibus etc., ita ut unum tantum admittatur ut certum, totum globum terræ fuisse aqua obductum. *Atqui* ex tali scientia non possunt peti argumenta. *Ergo.*

2. Falsa est Geologorum suppositio, ut nunc vires agant, ita illas et antea in opere creationis egisse: alia enim valent in principio constitutionis, alia valent in re jam constituta.

3. Geologi nullam habent rationem omnipotentiæ divinæ, voluntque omnia ex ipsa rerum natura explicare, quod absurdum plane est.

In specie — 1. Stratorum ordo, ut fingitur a Geologis, non est constans et si in summis montibus strata apparent sedimentaria (soluta per aquam et deposita)—si præterea in ipsis montibus conchylia apparent secundum magnam extensionem, poterant illi montes fuisse antea submarina terra, in diluvio vero elevari ita, ut mare cederet in alium locum. *Ergo* per mutatum situm maris productum in diluvio bene explicatur.

2. Strata vero carbonica cum arboribus ingentis magnitudinis poterat Deus ita creare; præterea, ejusmodi petrifactio multo breviore tempore poterant initio fieri, et certe aliquot millia annorum poterant sufficere.

3. Fossilium numerus ingens per strata, secundum legem processus ab imperfectis ad perfectiora, *a*) exaggeratur, ut possit majus tempus pro multiplicatione individuorum poni: *b*) ordo ille prorsus incertus est; *c*) possunt assumi fossilia aliunde in certos locos confluxisse, esse translata — hinc in illis locis tanta quantitas; *d*) possunt assumi ante

diluvium fuisse jam aliquot revolutiones terræ, quibus phænomena illa explicari possunt; *e*) denique petrifactio non requirit tantum tempus, quantum quidam imaginantur.

4. Geologi sibi contradicunt: alii ponunt initio statum aeriformem, alii negant; alii ponunt ignem centralem, alii negant. In tanta sententiarum oppositione, quanta potest haberi fiducia in ipsis factis, quæ quisque fundamenta theoriæ suæ facit?

Rationes quædam confirmativæ. — 1. Deus creans terram, eam creat ut terminum aliquem causalitatis præcedentis, ita ut illi causæ naturali (quam Deus per suam omnipotentiam supplet) sit similis. *Atqui* talis status postulat, ut multa adsint vestigia causarum præcedentium. *Ergo* ex ipsa actione creativa debent in termino esse effectus respondentes causis, quas Deus supplet; *ergo* strata etc., possunt bene ita explicari.*

2. Si hodie quis Adamum videret, diceret, esse virum viginti vel triginta annorum; in quo tamen erraret. *Ergo* a pari de animalibus, de fossilibus, de aliis eventibus stratorum terrestrium.

3. Quemadmodum Deus in prima vita formanda alias secutus est leges (v. g., nunc gallina oritur ex ovo, prima gallina debuit creari), ita generatim et in aliis formandis alias leges est secutus. Jam vero hæ leges nos latent; nihil igitur de rerum initiis, nisi quod revelatum est, statuere licet.

PROPOSITIO II.

Quamvis potuerit Deus, potentia sua absoluta, creare mundum et constituere uti nunc est sex diebus civilibus, nihilominus, quum secundum S. Thomam (Opusc. 10. art. 24.) "*in prima rerum institutione non sit considerandum, quid possit Deus facere, sed quid natura rerum habeat, ut sic fiat*" (simili modo S. August. 2. super Genes.), *probabilior sententia tenet, confecta omnia secundum naturæ cursum sex* epochis.

St. Q. 1. De valore doctrinæ Geologicæ.—Geologia definitur a Le Conte (Elements of Geology, Introd. p. 2. New York, 1882.) "the history of the earth and its inhabitants as revealed in its structure and

* Annuli in corticibus arborum solent annua incrementa et hinc annos ipsos indicare. Sed arbores creatæ in paradiso ostendebant certe ejusmodi annulos; putaret igitur quis esse effectos annis præcedentibus; in quo plane erraret: simili modo in stratis terræ sedimentariis etc.

as interpreted by causes still in operation." — Jam vero revelatio illa non geologica nequit, in quantum vera, contradicere revelationi Dei immediatæ; Deus enim loquens per facta nequit contradicere sibi per verba loquenti. In scientia vero geologica distinguenda sunt fundamenta et quasi lineamenta systematis geologici, et evolutio in specie. Hæc evolutio, ut in omni experimentali scientia, per ambages, errores, hypotheses ad verum tendit; unde mirum non est, multa esse incerta et ambigua et erronea, magnamque auctorum dissensionem. Perperam igitur et contra Philosophiam sanam, aliqui Theologi, confundentes utramque partem, propter dubia secundæ quæstionis integrum systema integramque scientiam in dubium vocant. Quare "hoc indubitanter tenendum est," inquit S. August. (de Genes. ad lit. l. 1. c. 2.), "ut quidquid sapientes hujus mundi de natura rerum veraciter demonstrare potuerunt, ostendamus nostris libris non esse contrarium."

2. Actus creativus, ex parte Dei unus, æquivalet multis actibus successivis; terminus vero creatus respondet creationi, in quantum multiplex secundum æquivalentiam; hinc idem actus creativus repetitur secundum æquivalentiam successivam.

3. In successione termini lex naturalis observatur, ita ut prius præparetur terra, dein producantur quæ ad vitam sunt necessaria; denique vita vegetativa, animalis, homo. Quæritur vero, num generatim in termino ita omnia sint producta, ut rei natura postulaverit, i. e., num, si effectus naturalis appareat, etiam causa naturalis, quantum et ubi fieri potest, præcesserit; et num, si hoc admittendum sit, causa potuerit effectus istos producere 24 horis?—Hinc duplex pars:

PARS I. *Res sunt productæ ut evolutæ, ut earum natura postulavit, non tantum secundum essentiam individualem, sed etiam secundum nexum inter effectum et causam.*

PARS II. *Hæc evolutio non potuit fieri diebus civilibus, sed periodis indefinitæ durationis non in se, sed pro nobis, i. e.,* diebus cosmicis.

PARS I.

ARG. Formatio terræ, i. e., transformatio materiæ creatæ secundum varia stadia, aut est immediate a Deo facta, aut per vires naturales naturaliter effecta, ibi ubi natura rerum id postulat. *Atqui* non prius, sed alterum assumendum. *Ergo.—Prob. min.* Valet principium, *tam-*

diu effectus naturalis, etiam in creatione, ad causam naturalem reducendus est, quamdiu non est urgens necessitas assumendi altiorem. Si enim Deus immediate loco causæ naturalis effectum producit, v. g., si combustionem—materias combustas, quas producit ignis—producit, effectus est miraculosus etiam in creatione: esset enim effectus præter ordinem naturæ. Dicit enim S. Thom. (1. q. 105. a. 7. ad 1.): "Creatio et justificatio impii, etsi a solo Deo fiant, non tamen, proprie loquendo, miracula dicuntur; quia . . . non contingunt præter ordinem naturæ, quum hæc ad ordinem naturæ non pertineant." Jam vero ad ordinem naturæ profecto pertinet ordo inter causam et effectum, et ubi manifestatio causæ fuerit, ibi etiam ipsa causa fuerit. *Ergo* verus fuisset effectus miraculosus. *Atqui* "in prima institutione naturæ," ut ait S. Thom. (1. q. 67. a. 4.) "non quæritur miraculum, sed quid natura rerum habeat;" et Suarez (de Opere 6. Dier. l. 2. c. 7. n. 8.): "Credendum non est, terram fuisse supernaturaliter elevatam ad efficiendum per modum divini instrumenti, quia hæc opera miraculosa et supernaturalia non sunt per se ad primam naturæ institutionem accommodata, et ideo sine revelatione fingenda non sunt." *Ergo*.— Jam vero *effectus in mundo creato tales sunt, ut postulent naturalem causam. Ergo.*

Probatur Antecedens: 1. *Argumentis Geognosticis*:

a) Strata petrina, quibus cortex terrestris constat, possunt considerari secundum materiam (Calcium Carbonate — Chalk, Limestone); secundum externam compositionem (Conglomerate, Breccia); secundum dispositionem tabularem stratorum (ut strata sibi parallele superimposita); secundum organismos contentos. *Atqui* eadem materia, compositio externa, tabularis superimpositio activitate aquæ (sedimentatione, alluvione) nunc adhuc producuntur. *Ergo* et priora analogo modo facta sunt. Organismi vero in stratis illis (v. g. Jurassicis) contenti, sunt mollusca cum nutrimentis organicis inferioris ordinis, et animalia aquatilia superioris ordinis, quæ vivunt molluscis, v. g., monstrum illud marinum, Sepia Jurassica etc.; hæc vero, quæ in aquis vivunt, probant fuisse ante strata aqua soluta. *Ergo* strata illa aqua sunt effecta.

b) Apparent strata perrupta saxis eruptivis, quæ sunt ejusdem formæ ac *lava;* circa viam saxorum ingens perturbatio stratorum, adustio, combustio etc. *Atqui* assumi non potest omnia in hoc statu fuisse creata, sed fuisse vulcanice ejecta. *Ergo.*

2. *Argumentis palæontologicis.*

α) In stratis sedimentariis innumerabilis est multitudo plantarum diversarum specierum et animalium variorum ordinum, sive ut petrifacta, sive ut mumifacta, sive ut impressa seu secundum vestigia impressionum in variis lapidibus. *Atqui* hæ plantæ, hæc animalia supponenda sunt vixisse. *Ergo.*

Ad Maj. Si considerantur strata carbonifera, inveniuntur in illis arbores secundum radices, truncos, folia—v. g., lepidodendra, calamitæ 50–90 pedum;—præterea in statu compressionis, ita ut essent planatæ ut asseres; insuper nuces et uvæ, aliæ ex parte tantum carbonificatæ, aliæ impletæ adhuc materia farinosa; folia salicina tuberculis affecta ac deformata, simili modo, ut folia, quæ ab insectis perforata aculeis sunt; fossilia denique omnis generis, quæ partim in saxa conversa sunt, partim conservarunt organica membra, sicut pollinia quædam, quæ polline referta nunc adhuc in aqua intumescunt. *Atqui* ejusmodi fossilia ante vixerunt, ita ut non sint creata in hoc statu a Deo. *Ergo.*

Præterea, quoad animalia, inveniuntur sceleta ichthyosaurica in mediis saxis admodum crassis, idque in situ tali, ut, dum lateri uni incumbunt, alterum latus habeant laceratum et compressum; in ipsis eorum compagibus coprolitha, et in illis dissectis fragmenta ossium, dentium, piscium squamæ etc. Acephala quoque et gasteropoda terebrata foraminibus, ac si murices, qui una cum ipsis sunt, ea aggressi essent et exsuxissent. *Atqui* nemo putabit hæc omnia in hoc statu creata. *Ergo.*

Pars ii.

Non potuerunt hæc omnia fieri diebus civilibus 24 horarum.

Nota. Tria verba notanda: *Jom, Ereb, Boker*, quæ vulgata vertit per *diem, vespere, mane.*—Jam de singulis.

Jom [arab. *jaumun* ejusdem radicis] quamvis forsan quoad radicem, sicut latinum *dies* et Sansc. *div* a *dyu, apparere, to shine,* (Cf. Chambers' Etymol. Engl. Diction.) significet tempus in quantum lucidum, tamen ex usu significat spatium definitum temporis, vel lucidum tantum, vel lucidum et nocturnum —hinc 24 horarum—simul. Ex hoc vero usu, derivata alia est significatio *temporis indefiniti*, sicut et *dies* in latino,

v. g., dies messis, i. e., tempus messis; aliquid conferre in longiorem diem, etc.; item græcum ἡμέρα vel ἦμαρ, v. g., χειμέριον ἦμαρ, dies hiemalis loco tempus hiemale. (N. B. Ita non usurpatur nox.)—*Jom* igitur in significatione periodi indefinitæ occurrit Ezech. vii. 7.: "Venit tempus, prope est dies occisionis," — ubi dies idem dicit ac tempus. Amos viii. 13.: "In die illa deficient virgines pulchræ et adolescentes in siti," — ubi dies pro tempore. Ecclesiastes vii. 15.: "In die bona fruere bonis, et malam diem præcave." Item v. 16: "Hæc vidi in diebus vanitatis meæ."—Sæpe, dies tribulationis, IV. Reg. xix. 3.; dies peccatoris, Ps. xxxvi. 13.; dies Domini, Is. xiii. 6.; dies tenebrarum et caliginis, Joel ii. 2. etc.— Potest igitur *jom* significare tempus indefinitum.

Ereb, Boker — vespere, mane. — Sunt auctores (P. Pianciani, Marc. de Serres, Palmieri etc.) qui derivant *Boker* a radice arabica *baquara*, quæ significat *separare*—vel etiam ab arabico *baquaron*, i. e., *mane, primogenitum*: hinc vertitur ab ipsis *separatio, apparitio, initium*. — *Ereb* derivant a radice *arab* (ערב) — *miscere, confundere;* unde græcum *Erebus*. Aben-Esra *ereb* dicit vocari, quia figuræ rerum fierent confusæ; hinc *Ereb* vertitur ab ipsis *confusio*. Sensus igitur esset: et fuit confusio—et facta est apparitio—*epocha prima*.

Contra hoc ponunt alii *Boker* significare generatim tempus matutinum. Exod. xvi. 6. 7.: "Vespere scietis . . . mane videbitis gloriam ejus," i. e., postridie mane etc.—*Ereb* a Gesenio et Fuerst derivatur a radice *arab, niger fuit*, etiam *miscuit, aridus fuit*. Usus in Script. S. determinat generatim ad tempus vespertinum.

Secundum alios *mane* et *vespere* (*Boker* et *Ereb*) significare potest tempus primum et ultimum. Is. xiv. 12.: "Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris?"—Is. xxxiii. 2.: "Esto brachium nobis in mane, et salus nostra in tempore tribulationis."— Cf. Matth. xxviii. 1.: Ὀψὲ δὲ σαββάτων, *vespere autem sabbati*.—Confirmatur ex parabola conducentis in vineam (Matth. xx. 1.) ubi vita significatur per diem, et sermo est de hora *tertia* . . ., *undecima*, de *mane* et *sero*. Unde si periodus cosmica significatur per diem, consequenter mane et vespere significant initium et finem talis epochæ,

N. B. Si aliqui Geologi periodos nimium extendunt, peccant in eo, quod ponunt easdem vires nunc agere ut antea. Vires enim agunt dependenter a *mensura* et *circumstantiis*. Initio autem aliam virium mensu-

ram et circumstantias fuisse, facile patet. Ceteroquin omnis hoc agricola et hortulanus scit, quantum in plantarum evolutione pendeat ab aere, calore, cultu etc. Imo in homine apparet, quantopere annis primis et postea crescat. Supponendum igitur initio multo fortiorem fuisse energiam.

Probatur propositio *argumentis geologisticis.*

1. *Ex magnitudine stratorum et saxorum.*

a) Strata azoica (Laurentina et Huronica) aliquibus locis altitudinem habent 30,000 m.; strata palæozoica, 15,000 m.; mesozoica, plus 1000 m. *Atqui* tantæ moles per vastissimas regiones extensæ non poterant brevissime ex aqua formari; debebant enim materiæ dissolvi, deponi, rigescere etc. *Ergo.*

b) De saxis ita Dana (Manual of Geology, p. 179.): "The lowest rocks of the series are shales and sandstones of the Longmynd, in Shropshire, and of northern Wales, the maximum thickness of which has been estimated at 28,000 feet. Dein recenset organismi species in illis contentas. Cf. in eodem auctore (p. 145.) "Thickness of the stratified rocks." Profecto ejusmodi cortices saxosi non poterant oriri paucis diebus.*—Nec possunt dici postea facti, quia pertinent ad primarias crustæ terrenæ partes.

c) Præterea, integræ insulæ ortæ ex animalculorum exuviis, v. g., insulæ madrepóricæ—corallicæ. N. B. Dana, explorans insulas maris occidentalis Australici (1838–42), numeravit 350 insulas basalticas trachyticasque, necnon 290 insulas corallicas. Cretæ denique moles ingentes aggregatum animalculorum sunt. *Atqui* nequit concipi, hanc creationem fuisse contemporaneam hominibus. *Ergo.*

2. *Ex multitudine fossilium inclusorum.*

Vita organica, tam vegetativa (plantarum), quam sensitiva (animalium), est summa secundum species et individua, hominis vero fossilia in ultimis tantum stratis apparent; præterea multæ species jamdudum interierunt, priusquam homo et superstites species (periodi quaternariæ) apparerent. *Atqui* nequit assumi paucis tantum diebus vel horis

* Professor Helmholtz has calculated from the rate of cooling of lavas, that the earth in passing from 2000° to 200° C. must have taken three hundred and fifty millions of years. But the temperature when the Archæan ended was probably not over 38° C. (100° F.), to reach which many more scores of millions of years must have been passed. The era was long. Dana (in opere citato p. 147.)

omnes istas species, ingentia illa arborum et animalium individua fuisse nata, evoluta, interiisse revolutionibus, fuisseque petrefacta; præterea assumi nequit species istas ante Adamum floruisse, interiisse, si paucos tantum dies distant; neque assumi possunt cœxistitisse Adamo et generatim generi humano, quia nulla humana ossa, nullæ exuviæ plantarum et animalium cum Adamo existentium in illis stratis inveniuntur.—Accedit crassitudo saxorum (vide supra), quæ circa illa oriri non poterat tam exiguo spatio.—Denique, tempore generis humani vires egerunt, sicut nunc; jam vero nunc lentissime agunt. *Ergo.* Inter strata ipsa et organismos contentos est ordo, quamvis non exactus plane ut Lyell voluit, sufficiens tamen, procedens ab imperfecto ad perfectiora, ita ut assumendum videatur, vitam imperfectam, ut primum conditiones adessent, ortam fuisse, floruisse, interiisse, ad novum stratum formandum. *Atqui* talis successio videtur successionem periodicam involvere. *Ergo.*

Probatur argumentis internis.

Arg. Assumendæ sunt periodi, si *a*) *jom*, saltem in sensu derivato, periodum significare potest, et si *b*) rationes graves hunc sensum suadent. *Atqui* ita est. *Ergo.*

Prob. min. per partes. *a*) *Jom* potest significare periodum (vide notam supra); et *convenienter* ad finem Moysis potest significare. Licet enim primo die non exstiterit sol—saltem ut luminare pro hac terra, lumen et tenebræ secundum successiones in evolutione cosmica sub imagine diei et noctis populo rudi et sensibus dedito bene proponi poterant; imprimis enim lex hebdomadæ et sabbati per ejusmodi propositionem urgenda erat.

b) Rationes sunt: *α*) Primi tres dies non poterant esse dies solares. Quod enim dicitur Deus creasse lumen et extinxisse vespere; creasse in uno hemisphærio et sustinuisse per diem, non autem in altero hemisphærio—videtur plane rejiciendum. Non enim apparet ratio ulla ita agendi; ut enim possit Moysis postea talem diem enarrare, non fuit profecto Deo motivum creationis. Præterea, esset profecto miraculosum, quum radii luminis postulent fontem luminosum et medium sustentans et propàgans.

β) Gen. i. 12. et ii. 9. dicitur produxisse terra uno die virgultum

omne etc. Jam vero quomodo hoc *uno die* fieri potuerit, præsertim si attenditur cap. 2. v.g., ubi narratur quomodo paradisus plantatus, arbores plantatæ, evolutæ, fruges ferentes? Non enim apparet, quomodo uno die, immo breviore tempore, i. e. die sexto (i. 27–31.) ex parte, potuerint ea omnia ita crescere. Nam rerum natura postulat suum tempus ad evolutionem; unde si augetur vis crescendi per Deum, est miraculosum, quod tamdiu non debet admitti, quamdiu explicari naturaliter omnia possunt. In assumpta autem hypothesi periodi, hæc bene explicantur.

γγ) Gen. i. 16.: "Fecitque Deus duo luminaria magna, luminare majus .... et luminare minus .... et stellas, et posuit eas in firmamento." *Ergo* non tantum sol et luna, sed et stellæ in firmamento visibiles erant. *Atqui* stellarum lumen longum tempus requirit, immo multos annos, ut ad terram perveniat. *Ergo.**—Nec dici potest Deus creasse radios luminosos, et creasse per 3½ annos radios α Centauri, per 129.1 annos radios σ Draconis: hoc enim nimium absurdum videtur, esset enim profecto miraculum simili modo ac si crearet accidentia sine substantia. Natura radiorum postulat, ut sint ex fonte luminoso, sicut natura accidentium postulat, ut sint in substantia. Creatio igitur non est miraculum, si creatur res, ut natura rei postulat, v. g., substantia, vita, homo; sed est in creatione miraculum, si res creatur in statu, qui est contra naturam rei, ita ut Deus *supernaturali* modo (non naturali) conservare eam debeat; et præterea, si in statu tali creat, qui supponat activitatem naturalium agentium, v. g., si Sepiam (monstrum marin.) creat cum aliis animalibus—nutrimentis Sepiæ—in statu fossili in strato sedimentario (vid. sup.). Falleret etiam homines, qui putant hæc omnia vixisse.

δδ) Gen. ii. 3.: "Et benedixit diei septimo etc." *Atqui* ille ultimus dies Dei non est dies 24 horarum, sed nunc adhuc durat; *ergo* neque præcedentes ita sumendi sunt. Præterea si hic dies, qui non habuit fi-

* Luminis celeritas est 300,000 Kilometra in *secunda;* hinc a sole ad terram pervenit 8 min. 18 sec.—Ex stellis fixis:

α	*Centauri*	3.5 *annos.*	α	*Lyræ*	17.9 *annos.*
61	*Cygni*	6.7 "	ι	*Ursæ Major*	24.3 "
β	*Centauri*	6.9 "		*Polaris*	42.4 "
μ	*Cassiopeiæ*	9.4 "	α	*Aurigæ*	70.1 "
	Sirius	16.7 "	σ	*Draconis*	129.1 "

nem, potuit esse prototypon sabbati pro Judæis, quod sabbatum tamen finem habuit, possunt et aliæ epochæ esse prototypa dierum hebdomadæ.

Scholium ad solvendas difficultates.

1. Potuit quidem Deus absolute omnia in statu, in quo inveniuntur, creare. Sed simili modo potuit etiam Deus creare tabulas symbolis hieroglyphicis contectas, cuneiformia documenta, statuas, imagines, nummos, instrumenta varia. *Atqui* ubi hæc inveniuntur, ibi supponuntur fuisse homines; et recte ex his documentis viri docti eruunt Historiam, Ethnographiam, Archæologiam, etc. *Ergo* a pari.

2. Quamvis effectus creatus semper vestigia quædam quasi causæ præteritæ habere possit, multa tamen sunt, quæ ex sese creationem postulant, ut substantia, vita vegetativa, sensitiva, spiritualis: effectus tamen non debent esse tales, ut ex sese homines in errorem inducant (vide num. præced.).

3. Deus debuit Adamum ut primum hominem creare; quod si Adam ostendisset vulnus unum recens et crudum, alterum cicatrice obductum, unum brachium inveterato canceromate deformatum, alterum sanum —nemo diceret, Adamum ita creatum; a pari in animalibus (vide supra).— (Cf. Pesch, Inst. Philos. l. 3. d. 1. sect. 2. n. 564. . . .).

Optime S. August. (de Genesi ad lit. l. 1. c. 19. n. 39.): "Plerumque accidit, ut aliquid de terra, de cœlo, de cæteris hujus mundi elementis, de motu et conversione vel etiam de magnitudine et intervallis siderum, de certis defectibus solis et lunæ, de circuitibus annorum et temporum, de naturis animalium, fruticum, lapidum, atque hujusmodi cæteris, etiam non Christianus ita noverit, ut certissima ratione vel experientia teneat. Turpe est autem nimis et perniciosum ac maxime cavendum, ut Christianum de his rebus quasi secundum Christianas Literas loquentem, ita delirare quilibet infidelis audiat, ut, quemadmodum dicitur, toto cœlo errare conspiciens, risum tenere vix possit. Et non tam molestum est, quod errans homo deridetur, sed quod auctores nostri ab eis, qui foris sunt, talia sensisse creduntur, et cum magno eorum exitio, de quorum salute satagimus, tanquam indocti reprehenduntur atque respuuntur."

Recens Expositio Hexæmeri DD. Clifford, Episc. Cliftoniens.

(*Dublin Review*, 1881.)

1. Hexæmeron Mosaic. non est narratio historica, sed carmen liturgicum, quo singulis diebus hebdomadæ certa opera Dei coluntur. Est imitatio Ægyptiorum, qui, ut refert Herodot. (l. 2. c. 82.), unumquamque diem hebdomadæ certo Deo, i. e., planetæ dedicarant.* Voluit igitur Moyses impedire, quominus Israelitæ hunc morem assumerent, ideoque totam hebdomadam secundum singulos dies ad Deum retulit, singulis diebus singula opera Dei attribuens. Varia igitur Dei opera in sex categorias, non chronologicas, sed secundum successionem logicam distribuit. Septimum diem quieti sacræ assignavit. Est igitur Moyses imitatus Ægyptios in hac liturgia, sicut in aliis rebus externis, v. g., in vestibus sacerdotalibus.

2. *Rationes pro*:—*a*) S. Scriptura neque per accidens Geologiam docere vult; *ergo* neque hæc quærenda: sed si ita est, jam corruit scientifica explicatio.

b) Hexæmeron non est pars libri historici, sed inductio tantum ad librum historicum.

c) Est typus hebdomadæ Hebraicæ; *ergo* ex se pertinens ad cultum publicum et liturgiam.

d) Sicut carmina liturgica possunt nobis mysteria præterita ut præsentia proponere, v. g.: "Hæc dies, quam fecit Dominus,"—"Natus hodie Salvator mundi. . . ."—ita potest etiam carmen liturgicum varia opera Dei ad varios referre dies.

e) Tota forma est poetica (id quod negari non potest, quum aliqua certa forma ubique soleat observari: *jussio, impletio, descriptio, appellatio, laudatio,—benedictio* pro viventibus animalibus.)

f) Hac ratione difficultas omnis in explicatione evanescit.

* Duas habebant Ægyptii hebdamadas: unam, decem dierum—tres ejusmodi hebdomadæ constituebant mensem (30 dierum); alteram, *septem* dierum. Dedicaverant septem dies septem Planetis, putantes, planetam quamque velut Deum præsidere suo diei. — Erant autem planetæ: *Re* [*Ra*], sol; *Joh*, luna; *Hormai*, Mercur.; *Surot*, Venus; *Molech*, Mars; *Amun*, Jupiter; *Rephan*, Saturnus. Quum deus-planeta quisque suas virtutes et sua vitia haberet, infans natus traxit ad se virtutes ac vitia, dei correspondentis, fuitque vel felix vel miser, prout deus suus bonus vel malus etc. fuit: unde horoscopium nativitatis. Censent multi Moysen Ægyptios in multis imitatum. Cf. Weiss (Hist. t. 1. p. 159. etc.)

3. *Rationes contra*:—*a*) Est *inspirata* narratio, hinc successio etc. vera.

b) Est *historica*, quia historice evolvit creationem.

c) Quamvis poetica indoles, nullibi tamen forma lyrica.

d) Contra sunt arg. omnia, quibus allegorica expositio rejicitur.

e) Quamvis ingeniosa cogitatio, nimis tamen arbitraria.

Altera Expositio Recens, quæ "*Theoria Restitutionis*" vocatur.

1. Fuit ab initio terra creata et bene formata; tum vero angeli mali post peccatum eam devastarunt. Hac devastatione interierunt omnia animalia, plantæ, etc., quæ in stratis geologicis inveniuntur. Deus igitur restituit terram sex diebus civilibus.—Hanc explicationem Buckland præsertim induxit; quem secuti sunt multi Protestantes. Ex Catholicis tenent eam Wiseman, et præsertim Westermayer (Testament. Vetus, Schaffhausen, 1860), qui censet angelos corporalitatem quamdam habere, qua potuerint angeli, per peccatum ex cœlo ejecti, initio incolere mundum creatum.

2. Licet in hac sententia possint geologica bene explicari, inprimis interitus multarum specierum, nihilominus rejicienda videtur: nam *a*) *Tohu vabohu* indicat per se statum, in quo creatus fuit mundus, non vero in quem conjectus fuit per angelos malos. *b*) Quamvis in stratis generatim species appareant nunc extinctæ, nihilominus et hæ species homini coævæ jam inveniuntur, ut non sit ratio restitutionem dicendi novam productionem. *c*) Non videtur convenire potentiæ et sapientiæ Dei, permittere talem perturbationem.

DE PRODUCTIONE ORGANISMORUM.

Duplex quæstio: 1. Qua ratione vita in creatione producta; 2. Qua ratione singulæ ordines.

I. Qua ratione vita generatim.

Nota. Aliqui (Sterry, Hunt, Edgar Quinet, H. E. Richter, W. Thomson), censent spermata vitæ per aerolithos ab aliis stellis ad terram delata. Inclinat in hanc sententiam Helmholtz. (Cf. *Kosmos*, folium period. in ann. 1877. p. 384). Alii (Th. Fechner, W. Preyer) putant prius producta *organica*, ex quibus anorganica sint orta. Ratio

est: in omni re est tendentia ad stabilitatem; jam vero organica non sunt stabilia, sed tantum anorganica. *Ergo.*—Utraque sententia contra fidem est, et in se arbitraria.

Materia creata est ante vitam, quia ad illam cooperatur *dispositive* et *instrumentaliter*: *dispositive*, in quantum conditiones præviæ ad vitam ponuntur, et præterea in materia (nutrimentis etc.) dispositiones necessariæ sunt ad formas vitales suscipiendas; *instrumentaliter*, in quantum materia elementaris instrumentum est in generatione.

1. Quæritur vero, quomodo vita in materiam fuerit inducta. S. Thom. (1. q. 71. a. 1. ad 1.): "Emanatio," ait, "creaturarum a Deo est sicut exitus artificiatorum ab artifice; unde sicut ab arte artificis effluunt formæ artificiales in materia, ita etiam ab ideis in mente divina existentibus fluunt omnes formæ et virtutes naturales." Hinc distinguendum id quod influit (i. e. forma) et materia in quam influit. Ac formæ quidem, ut existunt in arte divina, sunt *primordiales*, rerum principia omnino prima; in materia recipiente est *ratio passiva* seu *obedientialis*, in quantum fieri potest, quod Deus vult, et *ratio seminalis*—virtus seu vis in materia posita, productiva effectus naturalis.

2. Quæritur, quid sint rationes seminales.—Variæ sententiæ:

a) Dicitur ab aliis esse aliqua *forma generalis incompleta inclinans materiam ad suscipiendum principium vitale.* — Sententia non probata, sed ficta.

b) Dicuntur ab aliis *spermata* quædam variarum vitæ specierum in creatione producta, quæ statis temporibus, si conditiones adsint, se evolvant.—Sed contra est: *α*) Non potuerunt conservari in prima rerum productione, si tantus calor, tanta rerum permixtio et confusio erat. *β*) Perfectiores organismi animalium vix possunt sine cura parentali se evolvere. *γ*) Spermata fuissent longo tempore inutilia.

c) Propterea censent alii, Deum in prima formatione cosmica virtutem specialem materiæ elementis indidisse, ut possent, ut primum favebant conditiones, res essentialiter perfectiores ex sese evolvere, i. e., species varias vitæ. Huic sententiæ favet S. Script., nam dicitur Gen. i. 11.: "Germinet terra herbam virentem." Videtur etiam S. August. (l. 3. in Gen. cc. 4. 5.; l. 8. c. 3.) hanc sententiam habuisse. Non potest igitur absurda dici. Cf. Suarez (de Opere sex Dier. l. 1. c. 7. n. 11. et l. 2. c. 10. n. 11.). Nihilominus contra est:

α) Si talis virtus inhæsisset materiæ, debuisset certa quædam organisatio fuisse in materia; jam vero hæc vix assumi potest, et si adfuisset, calore etc. interiisset. *β*) Non apparet, quomodo ex virtute tam generali potuerit procedere tanta specierum diversitas. *γ*) Quum vitæ productio interventum Dei immediatum postulet, naturale est et ordinarium, Deum toties intervenire, quoties vitæ gradus id exigit; ideoque successiva actio immediata Dei in creatione naturæ ordini convenit.

d) Est igitur communis sententia, res organicas non secundum semina fuisse initio creatas, ita ut tempore statuto prodierent, sed ut primum vitæ conditio adfuisset, Deum immediate produxisse —non nova creatione simpliciter, sed eductione formarum vitalium ex potentia materiæ. Quando autem dicuntur seminales rationes in materia fuisse repositæ, hæ rationes non sunt semina, sed dispositiones materiæ ad semen, si adsit, vel ad generationem, vel ad productionem formæ vitalis concurrentes. Materia enim *dispositive* et *instrumentaliter* concurrit (vide supra).

In semine distinguenda est materia et virtus active formativa; unde virtus seminalis in semine est esse imperfectum et inchoatum individui vitalis, seu est principium vitale quasi in nucleo inclusum. In materia vero talis virtus non est. Unde S. Thom. (l. 2. sent. dist. 18. q. 1.): "Materia," inquit, "coadjuvat ad generationem, non agendo, sed in quantum est *habilis* ad recipiendum talem actionem, quæ etiam habilitas, appetitus materiæ dicitur et inchoatio formæ." Comparans dein operationem Dei, ut artificis, cum humano artifice, duplicem ponit differentiam: "Primo ex parte materiæ; quia quum artifex materiam non producat, sed ex materia data operetur, potentiam materiæ non confert ad recipiendum formas, quas materiæ inducit, nec inferre in materiam potest. Deus autem, qui totius rei auctor est, non solum formas et virtutes naturales rebus contulit, sed etiam potentiam recipiendi illud, quod ipse in materia facere vult. Secundo ex parte formæ, quia formæ quas inducit artifex, non producunt sibi similes . . formæ autem naturales sibi similes producere possunt; et ideo proprietatem seminis habent et seminales dici possunt."

N. B. In prima creatione postulat rerum natura, ut Deus immediate intervenerit; postea vero sufficit natura sibi ad generandum. Quodsi qui contendunt, Deum in formis vitalibus immediate ita intervenire

debere, ut eas, creat etiam in posterioribus generationibus, dicendum: aut forma vitalis (v. g. animalium) assumitur ut subsistens in se, aut ut subsistens in materia. Si prius, subvertitur activitas sensitiva, affirmantur sine ratione et creatio et annihilatio; tolli videtur essentialis differentia inter animas brutorum et hominum. Foret talis forma simplex in se et subsistens in se, et hinc etiam spiritualis. Si alterum, i. e., ut subsistens non in se sed in materia, valet principium: *si habet esse dependenter a materia, habet etiam fieri dependenter a materia. Ergo* hæc assumi nequeant; sequitur igitur, semel, i. e. in creatione, Deum immediate intervenisse.

Quæritur, in quonam statu sint creata.—Variæ sententiæ:

1ª. Censet in statu embryonali omnia producta, et multiplici Dei interventu evoluta. Sed obest, quod interventus Dei multiplicatur sine ratione; quod, præterea, nulla ratio suadens hanc opinionem affertur; quod, denique, opera Dei, quantum naturæ convenit, sunt perfecta.

2ª. Docet, non esse necessario assumendum, Deum in opere creationis vel equos, vel elephantos, etc. creasse in statu perfecto et adulto, sed dici posse Deum usum esse ad producendum speciem superiorem specie inferiore, ita ut speciei inferiori vel principium vitale speciei proxime superioris indiderit, vel in ea quasi germina altiora posuerit, vel in ea ovula speciei superioris produxerit. Hæc descendentia non est descendentia Darviniana, ut patet, quia non est descendentia simpliciter, sed secundum quid. Ratio pro hac sententia est, quia facta palæontologica quædam, v. g., pterodactylum (animal cum digitis alatis) et alia animalia quæ videntur plures species participare, melius explicantur.—Respondetur tamen, quamvis non absolute sententia improbabilis sit, saltem minus probabilis est. Facilior enim aliquorum factorum *singularium* explicatio non sufficit ad stabiliendum theoriam. Poterant autem illa animalia, v. g., ichthyornis, quæ est avis dentibus instructa et vertebris piscium, archæopteryx, inter avem et amphibium species quædam vera, esse paulatim exstincta. Præterea, species separatæ et perfectæ in magno individuorum numero simul cum illis inveniuntur.

3ª. Statuit, singulas species esse creatas ut tales, sed unamquamque in statu suæ speciei inferiore, ut est larva relate ad papilionem—vocatur *theoria transmutationis*. Potest admitti ut probabilis: nam admit-

tit constantiam specierum; sed in omni specie evolutio aliqua admittenda, ut satis probant hortulani in cultu plantarum, educatores animalium, v. g. in equorum cultu. Hinc Suarez* (De Op. sex Dier. l. 2. c. 10. n. 12.): "Deus ea tantum immediate producit, quæ nonnisi per ipsius actionem in rerum natura introduci poterant quoad species suas; nam cetera, quæ per causas secundas produci poterant, convenientius fuit per illas fieri, et hoc ipsum magis ad perfectionem universi pertinet."—Possunt etiam in hac theoria facta, quibus nititur Darvinismus, facile explicari; præsertim vero interitum tot specierum, quia erant destinatæ a Deo creante ad has species constantes et fixas evolvendas.

4ª. Statuit, fuisse uniuscujusque speciei individua adulta creata tot, quot sufficerent ad propagationem, simili modo ut pro genere humano Adam et Eva. Præstat hic paucis proponere doctrinam P. Suarez (Op. sex Dier. l. 2. c. 10.)

a) *Prima assertio* (n. 2.): "Primo nobis certum sit, hæc animantia non virtute tantum, aut in semine, sed actu et in seipsis facta fuisse his diebus, in quibus facta narrantur." Rationes ejus sunt: *α*) Uniformitas verborum: "*Dixit Deus: Fiat, et factum est;*" — hæc enim significant actualem productionem. *β*) Sistendum est in aliquo primo, quod factum, non generatum fuit. Non autem potuit illud primum esse semen, quia hoc decisum a generante; quia hoc conservari non potest, vel ad fœtum formandum perduci, nisi in utero alicujus animalis generantis. Neque potuit hoc primum individuum (primum par parentum) per causas universales fieri, v. g., per solem vel astra, ut Avincenna aliique antiqui Philosophi posuerunt. *γ*) Patet ex benedictione quinto die data: "*Crescite et multiplicamini.*"— Supponit enim vim generandi actu datam.

b) *Secunda et tertia assertio* (n. 3.): "Quamvis productio animalium interdum creatio dicatur, nihilominus non fuit ex nihilo, sed ex præjacente materia, modo tamen proprio auctoris naturæ."—Falsum igitur, quod docet Cajetanus, interpretans vim verbi "*producat*"—*efficienter* ab aqua vel terra producta esse et plantas et animalia. Verbum "*producat*" significat causalitatem elemento convenientem, i. e., passi-

* Quærit hoc numero Suarez, num adulterina animalia, quæ ex conjunctione maris et feminæ diversarum specierum producta sint, ut mulus, leopardus, lynx, et similia, a Deo perfecte ut talia creata sint. Respondet negando, quia hoc naturalibus viribus reliquisset, affertque rationem superiorem.

vam, *ex qua*. Neque animæ inferiorum animalium tantum, sed omnium simpliciter animantium, quantumvis perfectorum citra hominem, ex potentia materiæ eductæ sunt, ut patet ex verbis: "producat terra animam viventem" — et sequitur distributio ad species: "*jumenta, reptilia*, et *bestias terræ*." Producta autem sunt in ea magnitudine et quantitate corporis, ad quam solent hujusmodi animalia in termino augmenti pervenire. Neque tamen omnium eadem magnitudo debet esse, quum in hac re aliqua varietas ad pulchritudinem universi pertineat.

c) *Assertio quarta* (n. 7.): "Hæc animalia ratione carentia in magna varietate generum et specierum fuerunt creata simul." Patet imprimis ex eo, quod tres ordines veluti tria genera: pisces, volatilia, terrestria creata sunt.* Deinde (n. 9.) plures in ordinibus species creatæ sunt. Nam post illos dies sex non fecit Deus se solo . . . novas specierum productiones, et ideo omnes species animalium, quæ naturaliter fieri non possunt a causis secundis nisi per seminalem generationem et propagationem ab aliis similibus in eadem specie, fuerunt a Deo procreatæ. Præterea, hoc satis ostendunt verba, quæ proxime quidem de piscibus valent: "Creavit Deus cete grandia . . . et omnem animam viventem, quam produxerant *aquæ in species suas*."

d) Quæri potest, quot individua creaverit Deus in unaquaque specie.—Certe saltem bina. Sed pendet responsum ab alia interrogatione, num uno tantum loco vel per totum orbem produxerit. Pro uno loco, regno, bina sufficere potuerunt; pro diversis autem, plura necessaria erant. Quamvis res incerta sit, hæc posterior pars verisimilior videtur.

Quæritur, quisnam sit progressus quoad materiam et formam, et formas inter sese.

Resp. Jam Aristoteles docuerat, materiam in entibus inferiorum generum in via esse ad hominem; nec aliud quidquam eam appetere quam ut homo evadat. Cf. S. Thom. (I. Physic. l. 15.). Item S. Thom. (l. 2. dist. 1. q. 2. a. 8. n. 3.): "Omnis creatura corporalis tendit in assimilationem creaturæ intellectualis, quantum potest, et propter hoc etiam forma humana, scilicet anima rationalis dicitur finis ultimus intentus a natura inferiori."—Et (Cg. l. 3. c. 22.): "Quum vero, ut dic-

*Sumitur distinctio a domicilio, i. e. ab aqua, aere, terra.

tum est, quælibet res mota, in quantum movetur, tendat in divinam similitudinem ut sit in se perfecta, perfectum autem sit unumquodque in quantum fit actu, oportet quod intentio cujuslibet in potentia existentis sit ut per motum tendat in actum. Quanto igitur aliquis actus est posterior et magis perfectus, tanto principalius in idipsum appetitus materiæ fertur. Unde oportet quod in ulteriorem et perfectissimum actum quem materia consequi potest tendat appetitus materiæ quo appetit formam, sicut in ultimum finem generationis.

"In actibus autem formarum, gradus quidam inveniuntur. Nam materia prima est in potentia primum ad formam elementi; sub forma vero elementi existens, est in potentia ad formam mixti, propter quod elementa sunt materia mixti; sub forma autem mixti considerata, est in potentia ad animam vegetabilem, nam talis corporis anima actus est. Itemque anima vegetabilis est in potentia ad sensitivam, sensitiva vero ad intellectivam; quod processus generationis ostendit; primo enim in generatione est fœtus vivens vita plantæ, postmodum vero vita animalis, demum vero vita hominis. Post hanc autem formam non invenitur in generabilibus et corruptibilibus posterior forma et dignior. Ultimus igitur generationis totius gradus est anima humana, et in hanc tendit materia sicut in ultimam formam. Sunt ergo elementa propter corpora mixta, hæc vero propter viventia, in quibus plantæ sunt propter animalia, propter hominem; homo enim est finis totius generationis."

ARTICULUS V.

DE HOMINE.*

Definitiones: 1. (communis) *Animal rationale.* Animal—*genus;* rationale—*species.* Incipitur definitio a genere—hinc animal, ut substantivum; determinatur per speciem—*rationale,* ut adjectivum. Quæ definitio quum indigna videretur eo, quod nobilior homini pars secundo loco poneretur, aliam tentarunt.

2. *Intelligentia organis utens* [une intelligence servie par des organes]— ita Bonald. Similem proposuit S. August.

3. *Anima rationalis, terreno et mortali corpore utens* — ita S. August. Cf. Teissonier (Theol. Dog. t. 2. De Deo Creat. c. 4.)

De Creatione Hominis.

PROPOSITIO III.

Quamvis nulla in eo appareat repugnantia, quod Deus absolute et in alio ordine potuerit protoparentes secundum corpus per successivas immutationes ex inferioribus animantibus formare; de facto tamen in hoc ordine Deus immediato suo interventu et operatione corpora protoparentum formavit, Adami quidem ex pulvere, Evæ vero ex costa Adami.

* Variis in linguis vario modo homo nominatur pro varia in eo concepta *qualitate.*

1. *Homo* (*humanus*) a verbo *humus,* secundum originem. Displicet tamen Quintiliano (l. 1. c. 6.): "Quasi vero non omnibus eadem origo!" Hinc alii derivant a ὁμοῦ, i. e., ens congregabile, sociale. — Antiqui *hemonem* dicebant hominem — ita Festus. Ennius apud Priscium (p. 683): "miserum mandebat hemonem."—Hinc radix dubia.

2. *ἄνθρωπος* —*ἀνά, ἄνω,* suffix *tra* et *ὄψ* — *qui faciem sursum habet;* hinc a statura recta denominatur. Curtius tamen et Pott ita: *ἀνδρ* —*ωπο*—*ς,* i. e., facies viri, quia *ἄνθρωπος* generatim pro viro usurpatur. *ἀνήρ* vero ex radice *ner,* Sabin. *nero, fortis;* hinc secundum hos auctores a fortitudine et robore denominaretur.

3. *Man, Mann*—ens cogitans—Sansc. *manu, cogitare;* Sansc. *manas, mens* (Germ. *Mensch*) mind, to mean, meaning. *Ergo* a cogitando, mensurando, ratione, denominaretur.

St. Q. 1. *Duæ partes*: I. Non repugnat, Deum *potuisse* per evolutionem ascendentem, seu per creationem derivativam, quæ vocatur, corpus primorum hominum, ex quibus species humana originem sumere debebat, præparare usque ad gradum, ut anima humana corpus informare posset.

II. De facto vero non ita agit, sed immediate corpus Adami formavit.

2. Snell (De Creatione Hominis, p. 44. 1863.) censet hominem, secundum corpus, per evolutionem ex inferioribus speciebus ortum. Duo igitur urget: *a*) Inferior species non est in se aliquod absolutum, finitum, ultimum—ideoque constans; sed *b*) non est nisi embryo superioris—hinc quasi inchoativa species superior, quæ inchoatio evolvi debet et perfici secundum organa; organa vero per usum, per operationes divisas cuique organo proprias. Hac ratione etiam humanum corpus ortum est. A. R. Wallace, similem theoriam habet, innixus principio, quod urget S. Thom. (Cg. l. 2. c. 68.): "Semper invenitur infimum supremi generis contingere supremum inferioris generis; sicut quædam infima in genere animalium parum excedunt vitam plantarum, sicut ostrea, quæ sunt immobilia, et solum tactum habent, et terræ in modum plantarum affiguntur; unde et beatus Dionysius dicit, 'quod divina sapientia conjungit fines superiorum principiis inferiorum.'"—Quamvis Wallace rejicere videatur in linea ascensionis organicæ teleologiam, eam tamen admittit pro corpore humano propter nimiam perfectionem.

3. Distinguenda est evolutio continua, quæ specificas differentias reducit ad cumulum differentiarum accidentalium,—est theoria Darvini; et evolutio *per saltus*, secundum quam *species* superior sit in inferiore in statu quasi embryonali et relate ex quo procedat, sicut (ad apparentiam) papilio ex larva. Vocatur etiam theoria generationis heterogeneæ. Tenent hanc theoriam C. E. de Baer, A. Koellikar, Oswald Heer, Asa Gray, St. G. Mivart (On the Genesis of Species, 1871.), K. Owen (Derivation-hypothesis of Life and Species, 1863.)

4. *N. B. Mivart* (The Genesis of Species) hæc proponit:

a) Est in organismis tendentia innata se evolvendi.

"If then (as was before said at the end of Chapter VIII) such innate powers must be attributed to chemical atoms, to mineral species, to gemmules, and to physiological units, it is only reasonable to attribute such to each individual organism" (p. 243.). Urget dein hanc tendentiam et virtutem, quamvis in se satis intelligi non possit, admittendum nihilominus esse.

"We are logically driven to this positive conception, if we do not accept the view that there is no force but volition, and that all phenomena whatever are the immediate results of the action of intelligent and self-conscious will." (p. 246.)

b) *Evolutio* fit per saltus.

"We have seen that the notion of sudden changes—saltatory actions in nature—has received countenance from Prof. Huxley (Lay Sermons p. 342.). We must conceive that these jumps are orderly and accord-

ing to law, inasmuch as the whole cosmos is such" (246.). Postquam docuit negandum, vel potius transmittendum esse, num organismi possint oriri ex materia et viribus physicis, pergit: "But the question is: How have the highest kinds of animals and plants arisen? It seems impossible that they can have appeared otherwise, than by the agency of antecedent organisms not greatly different from them." (p. 247.)

c) Hæc interna tendentia exstimulatur et adjuvatur per externas conditiones.

"[That] the latent tendency which exists to these sudden evolutions [jumps] is determined to action by the stimulus of external condition." (p. 255.)

"It is, to say the least, probable that other influences exist, terrestrial and cosmical, as yet unnoted." (p. 250 in fine.)

"..... these external influences, equally with the internal ones, are the results of one harmonious action underlying the whole of nature, organic and inorganic, cosmical, physical, chemical, terrestrial, vital and social." (p. 255.)

d) Ad hæc accedit Selectio Naturalis, sub dominio tendentiæ internæ.

"Thus it has been seen that 'Natural Selection' is accepted. It acts and must act, though alone it does not appear capable of fulfilling the task assigned to it by Mr. Darwin. (p. 257.) ..... [the author] admits fully that 'Natural Selection' acts and must act, and that it plays in the organic world a certain, though a secondary and subordinate part." (p. 240.)

e) Postquam ita statuta est lex evolutionis, i. e., Naturalis Selectio sub dominio tendentiæ internæ, excitata, determinata, adjuta conditionibus et circumstantiis externis, quamvis *modus*, quo agant illa agentia sit adhuc latens, transit Mivart ad hominis corpus. Statuit igitur animam a Deo creari; de corpore vero ait:

"This animal body must have had a different source from that of the spiritual soul which informs it, from the distinctness of the two orders to which those two existences severally belong (p. 300.) ..... We find a perfect harmony in the double nature of man, his rationality making use of and subsuming his animality; his soul arising from direct and immediate creation, and his body being formed at first (as now in each separate individual) by *derivative* or secondary creation through natural laws. By such secondary creation, i. e., by natural laws for the most part as yet unknown, but controlled by 'Natural Selection,' all the various kinds of animals and plants have been manifested on this planet." (p. 305.)

5. *Judicium de hac sententia.*—P. Suarez immediatam Dei actionem (distinctam a creatione stricte dicta) tenet esse doctrinam Catholicam, quæ proponatur a magisterio Ecclesiæ communi et quotidiano.—P. Perrone censet de fide esse, immediatum Dei interventum. Certe si narratio *collective* sumitur, i. e., productio Adæ et Evæ, præsertim propter productionem Evæ, sententia Mivart non videtur satis tuta in fide.

6. *De opinione Cajetani.* Valde curiosa,

Cajetanus (Comment. in Gen. c. 2.) docet productionem Evæ non literaliter sed metaphorice sumendam, ut Suarez dicit (de Op. sex Dier. l. 3. c. 2. n. 5.). Per ablationem costæ significatam esse diminutionem viri quoad animum respectu uxoris (vir videtur quandoque infirmus relate ad feminam) ; per costam significatam esse socialem vitam inter virum et uxorem ; per costam, quatenus *una* tantum, significatam feminæ debilitatem physicam ; et eo, quod Deus in locum costæ ablatæ suppleat carnem significatum esse, quod diminutio roboris in viro propter uxorem, prolis fructu compensatur.—Rationes Cajetani (secund. Suarez) sunt :

a) Vel fuisset Adam ante formationem Evæ *monstruosus*, si habuisset ultra costas naturales unam, ex qua Eva fuisset formata ; vel *mancus*, si eundem costarum numerum habuisset, ex quibus amisisset unam.

b) Ex parva materia unius costæ non potuit integrum corpus Evæ formari.

c) Modus formationis fuisset nimis prodigiosus.

d) Adam et Eva simul creati sunt. Somnus præterea Adæ metaphorice sumendus, hinc "narratur Adam dormisse, sed non scribitur fuisse expergefactus seu evigilasse."

e) Aliud signum metaphoræ est, quod Deus adduxit omnia animalia ad Adam ut inquireret, num inter illa aliquod simile Adæ inveniret, quod ei esset adjutorium. Hoc enim secundum Cajetanum significatur verbis: "Adæ vero non inveniebatur similis sibi."

f) Verba : "et adduxit eam ad Adam," non sunt literaliter sumenda, quia Eva fuit Adamo præsentissima.

g) Verba ad serpentem metaphorice sumenda sunt ; *ergo* a pari.

Pars i.

Arg. Nulla apparet contradictio, absolute *in alio ordine potuisse* Deum talem legem ferre in evolvendis viventium speciebus, ut superioris speciei inchoatio lateret in specie inferiore ; atque ita ut ipse homo secundum corpus potuerit ita præparari ad informationem per animam immediate creandam. *Ergo*, quum agitur de absoluta potentia, possibilitas illa admittenda videtur.

Confirmatur. In fœtu humano evolvendo, illi, qui statuunt animam post quadraginta dies etc. jungi corpori vivo, debent evolutionem corporis vivi per gradus ex inferiore ad superiorem admittere. Atqui quod hic fit in uno fœtu in utero materno non apparet cur repugnet pro primo homine evolvendo extra hominem, in ordine specierum viventium successivo. *Ergo* hoc Deo omnipotenti possibile dicendum.

Pars ii.

De facto Deus ita non egit.

Arg. 1. *a*) Actio formativa corporis Adæ.

α) *Secundum præparationem*, effectio exhibetur ut immediata actio Dei; nam exhibetur Deus ut immediate secum loquens, consilium quasi iniens, seque ad operandum exhortans. *Atqui* deest omne fundamentum hanc actionem metaphorice interpretandi; et e contra, fieret hæc actio inutilis et vana, si jam omnia creata essent. *Ergo* est sensu literali sumenda.

β) *Secundum ipsam operationem:* effectio termini [corporis Adami] supponit pulverem existentem, unde non est productio Adæ simul cum creatione materiæ facta. *Ergo* nova quædam productio (æquivalens) (contra Cajetan.).— Præterea (contra Mivart) materia ex qua est "limus terræ," non autem aliquod præcedens animal. *Atqui* nulla ratio est, alio modo verba clara illa interpretandi: si enim sex dies allegorice explicari possunt, non sequitur, etiam omnia, quæ fiant his diebus, allegorice interpretanda esse. *Ergo.* Accedit, quod animalia cuncta adduxit Deus ante formationem Evæ ad Adam (Gen. ii. 19.); additur vero: "Adæ vero non inveniebatur adjutor similis ejus," ideoque Evam creat ex costa Adami. *Atqui* non fuisset ratio talis formationis, si animalis forma adfuisset, qua potuisset uti. *Ergo* si pro Eva non aderat, nec Adamo adfuisse censenda est.

b) Actio formativa Evæ.

Clare omnino edicitur Eva fuisse formata ex costa Adæ. *Atqui* hoc excludit, fuisse creatam ex animali. *Ergo.* — Præterea, ideo somnus immittitur Adamo; *atqui* talis non haberet rationem, si Eva esset ex animali forma formata. *Ergo.*—Accedit, quod Adamus dixit (Gen. ii. 25.): "Hoc nunc os ex ossibus meis; et caro de carne mea." *Atqui*

hæc falsa essent si, non esset sumpta ex ossibus et carne Adami. *Ergo.* Denique, nomen propterea ab Adamo Evæ datur: "Virágo, quoniam de viro sumpta est," poniturque hoc ut motivum, cur uxor adhæreat viro: "Quamobrem relinquet homo patrem suum et adhærebit uxori." *Atqui* hæc profecto non haberent sensum, si Eva non ab Adamo desumpta esset. *Ergo.*

Arg. 2. I. Cor. xi. 8–9.: "Non vir ex muliere est, sed mulier ex viro. Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum." *Atqui* hic repetit Apostolus verba Genesis, et exinde concludit mulierem referendam ad virum; quæ profecto conclusio nulla esset, si Eva esset transformata ex animali forma. *Ergo.*

Arg. 3. *Ex Patribus.*—*a*) PP. unanimi consensu hæc verba literaliter intelligunt, v. g., S. Aug. (in Joan tract. 9. n. 10.): "Dormit Adam, ut fiat Eva: moritur Christus, ut fiat Ecclesia. Dormienti Adæ fit Eva de latere; mortuo Christo, lancea percutitur latus, ut profluant sacramenta, quibus formetur Ecclesia." Alio loco (De Civit. Dei l. 12. c. 21.) docet, feminam ex viro formatam ob societatis unionem etc.

b) Patres distinguunt creationem pulveris, formationem pulveris, creationem animæ. *Ergo* non allegorice explicant, sed secundum literalem sensum, ita ut formatio hominis sumatur tam literaliter ac creatio. S. Aug. (De Civit. Dei l. 14. c. 11.): "Etsi de terræ pulvere Deus finxit hominem, eadem terra . . . omnino de nihilo est; animam de nihilo factam dedit corpori, quum factus est homo." * Simili modo loquitur Gregor. Nazianz. (Orat. 38.)

c) Concipiunt creationem hominum ut typum Christi et Ecclesiæ. Tertull. (De Resur. Carn. c. 6.): "Quodcumque limus [formandus in corpus Adami] exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus . . . . ita limus ille, jam tunc imaginem intuens Christi futuri in carne, non tantum Dei opus erat, sed et pignus."—Simili modo Eva significat Ecclesiam (vide supra, sub *a*). S. Cyrill. Alexand. (Catech. 12.) docet,

* *Ergo* quamvis S. August. allegorice explicet sex dies per cognitionem angelicam, hæc explicatio non tangit ipsam effectionem a parte rei; unde potuit (ut et fecit) literaliter creationem protoparentum explicare. Si docet, omnia *simul* creata, excipere potest creationem hominum; si docet, creata omnia in rationibus seminalibus, non potest agere de vita humana, quæ oritur ex conjunctione animæ creandæ. Præterea insinuat, Adamum creatum adultum; comparat creationem Adami cum conversione aquæ in vinum, quæ profecto est actio immediata Dei. *Ergo.* (Cf. Gen. ad lit. l. 6. c. 13.)

ex eo, quod ex luto, corpus Adami, ex ejus costa produxerit Evam, Deum probasse Judæis, sua potentia virginem (manentem virginem) potuisse parere filium.

d) Quærunt PP., num angeli potuerint servire in hoc opere creandi hominis. Hinc—*α*) docent, non esse simplicem creationem, in qua non possunt agere angeli; *β*) statuunt etiam indolem hujus actionis fuisse supra cursum naturalem, quum non agatur de ministerio virium naturalium sed angelorum; *γ*) insinuant aliqui PP. (Cf. a Lapide, Gen. ii. 7.) potuisse adhiberi angelorum ministerium, v. g., ad colligendum pulverem, non autem ad organizandum. Prius fit per motum, quem efficere angeli possunt; alterum fit per immutationem materiæ, quam angeli efficere nequeunt. Cf. S. Thom. (1. q. 91. a. 2. ad 1.), P. Suarez (de Opere sex Dier. l. 3. c. 1. n. 5.), S. August. (Gen. ad lit. l. 9. c. 15.). — S. Basil., S. Ambros., S. Cyrill. docent, hominem a sola Trinitate conditum sine alio adjutore; contrariam sententiam vocant errorem Judaicum. *Ergo* conveniunt omnes agi hic de operatione Dei immediata.

Arg. 4. Scholasticos doctores unanimes esse, facile constat. Cf. S. Thom. (1. q. 92. a. 2. ad 2.)—Scotus cum suis idem docuit (Cf. Dupasquier, de Hominis Creat. disp. 2. q. 1.).—De Schola Augustiniana constat ex S. August. Cf. Berti (l. 11. c. 2. et l. 12. c. 2.). — Suarez idem (in Opere sex Dier. l. 3.)

Nota. Nec objici potest, agi hic de re physica, ideoque et physice explicanda. Nam cadit quidem *generatio* sub leges physicas, non autem creatio; neque postulat natura humana, ut ab animali transformato desumatur corpus.

Arg. 5. *Rationes congruæ. a*) Quum Adam formaretur intuitu Christi, Eva intuitu Ecclesiæ, certe conveniebat dignitati hominis ut *non* ex animali transformaretur.

b) Supposito homine primo creato, conveniebat, ut Deus legem a se latam, vivum ex vivo, et individuum ejusdem speciei ab alio individuo ejusdem speciei saltem in homine exequeretur. Jam vero generatio nunc fit per semen viri—partem viri organicam; quod quum in prima productione mulieris ex viro fieri non posset, aliam partem Deus ex viro sumpsit et transformavit.

N. B. S. Thom. (1. q. 92. a. 3.) videtur censere, Adamum creatum fuisse cum illa costa superflua; probabilius tamen cum P. Suarez admittitur, Adamum numerum costarum naturalem habuisse, ita ut Deus ex hoc numero unam sumpserit eamque postea suppleverit. Cf. Suarez (De Opere sex Dier. l. 3. c. 2. n. 7–8.).

Scholium de sexu Adami. Duplex sententia: 1. Adamum creatum fuisse *sine sexu*, hinc nec virum nec mulierem fuisse. 2. Adamum fuisse *ἀνδρόγυνον*, seu Hermaphroditem, hinc utrumque sexum in se conjunxisse.

1. Jam prior sententia concipit Adamum ut hominem idealem, ex se sexum excludentem. Hanc propugnat, inter Patres, S. Gregor. Nyssenus (Opif. Hom. c. 17.) docens propagationem sexualem non decere hominem, sed post peccatum inductam esse. Sine peccato, simili modo ut angeli, quibus corporeitatem et propagationem aliquam tribuit, futurum fuisse, ut homines se propagarent. — Scotus Erigena (De Nat. Divin. n. 6.) reproduxit.

Contra est — *a*) Non est ratio concipiendi Adamum ut virum alio modo quam Evam, quæ certe ut femina formata fuit. *Ergo* ut illa femina, ita Adam vir. *b*) Neque productio hæc utriusque sexus vi *separationis* inducitur effecta, sed vi primæ creationis. *c*) Costa Adæ satis clare supplet locum seminis in generatione, nec alia transformatio Adæ assignatur; quare assumenda non est. *d*) Non post sed ante peccatum Eva facta est, nec dici potest ex præviso peccato facta, sicut nec Adam ob prævisum peccatum creatus. *e*) Nec talis interventus decet Deum, cujus opera sunt perfecta sub illo respectu, sub quo creantur; hinc si in potentia creantur, talis potentia naturaliter se evolvit.

2. *De Androgynia.*—Heteroclitus primus hominem fuisse androgynon docuit; hinc Plato (in Symposio): "Olim nostra hæc natura non eadem fuit ac nunc; principio enim tria hominum genera fuerunt, non ut nunc duo, masculus et femina; sed aderat et tertium commune amborum; cujus quidem nunc nomen superstes est, res ipsa exstincta; Androgynumque erat forma et nomine ex masculo et femina." Addit Plato, Deum eos divisisse, ut multiplicarentur. Cf. Tull. (De Divinat. l. 1.), Plin. (Hist. Nat. l. 7. c. 2.), Gellium (l. 9. c. 4.), etc. — Multi Talmudistæ eadem sentiunt de homine primo, alii tamen Adamum statuentes unam personam in corporis structura utriusque sexus partici-

pem;* alii vero *bicorporeum*, i. e., duas personas tergo vel lateri copulatas.† Hanc eandem doctrinam de primo homine Hermaphrodito plurimæ Mythologiæ paganæ exhibent. Cf. Lueken (Tradition. generis humani, §§ 6. 7. 8. etc.)—Inter Catholicos doctores Adamum bipersonalem fuisse redintegrant Venetus (tom. 1. prob. 29.) et Eugubinus (Cosmopoia, ad cap. 1. Genes.). Ratio eorum erat Gen. i. 27.: "Masculum et feminam creavit eos." Respondet S. August. (de Gen. ad lit. l. 3. c. 22.): "Ne quisquam arbitraretur, ita factum, ut in homine singulari uterque sexus exprimeretur, sicut interdum nascuntur, quos androgynos vocant, ostendit se singularem numerum propter conjunctionis unitatem posuisse, et quod de viro mulier facta est, sicut postea manifestatur, quum id, quod hic breviter dictum est, diligentius cœperit explicare, et ideo pluralem numerum continuo subjecit, dicens: '*Fecit eos et benedixit eos.*'" Cf. Petav. (de Opif. sex Dier. l. 2. c. 8. n. 10.)

De Creatione Animæ.

Quum homo constet anima et corpore, corpus vero factum a Deo, quæritur jam, unde anima sit. Hæc vero quæstio duplex: 1. Unde anima Adami et Evæ; 2. si sit ex creatione, num eodem modo in omni homine anima creanda a Deo sit.

* Physiologia docet, structuram virilem vel femineam in ultimo stadio fœtus tantum apparere; in priore stadio in unoquoque individuo utriusque sexus organa secundum initia adesse, in progressu evolutionis alterutrius sexus organa sola evolvi, aliis paulatim neglectis. In Adamo adulto uterque sexus evolutus, postea separatus.

† Docent Rabbini (Talmud.) Adam ingentem et informem massam creatam, ut pertingeret ab ortu Solis usque ad occasum. Deum vero, ab angelis perterritis rogatum, reduxisse Adamum secundum alios ad 100 cubitor. altitud., secundum alios 300 cubit., secundum alios 900 cub. — Ratio hujus magnitudinis videtur fabula de præexistentia animarum, quæ animæ omnes in Adamo habitabant.—Docent præterea quoad Androgyniam, Adamum Hermaphroditum fuisse (ut supra). Qui eum bicorporeum censebant, statuebant, Adamum duplicem hominem ex tergo copulatum, duas facies etc. habuisse et unam caudam; Deum secuisse utrumque et caudam abscindendo circumcidisse: deinceps duas personas fuisse. Alii vero contendunt, primo Adamum alteri feminæ Lilith copulatum, cum qua per 130 annos procreasset dæmonia; dein ex misericordia Deum Evam ex ejus latere produxisse, ut homines gignerentur.—Vide Midrasch Agada apud R. Selomah. Multi Rabbini allegorice omnia exposuerunt; alii literaliter. Cf. Gener (Theol. tom. 3. p. 2. tract. 1. l. 3. sectio 1.)

1ª. *Quæstio.* De origine animæ in Adam et Eva.

PROPOSITIO IV.

Deus vere creavit animam Adami et Evæ.

St. Q. 1. Non creari, sed conjungi animam præexistentem (in expiationem criminis antea commissi) cum corpore humano, ideoque et cum corpore Adami et Evæ, docent inter Paganos Plato, Pythagoras, Plotinus etc.—Inter Judæos multi Rabbini, Philo cum Essenis. Joseph. (de Bell. Jud. l. 2. cc. 8. 11.).—Inter hæreticos, Gnostici, ut Julius Cassianus, Basilides, Bardesanes, aliique—præcipue Priscillianistæ, Cathari. —Inter Patres, Pierius Alexand. (Phot. cod. 119.), S. Pamphilus (Apol. Orig.), S. Methodius (Combes. Auct. pp. novissim. p. 97.), Didymus (Eulog. Alex. de Trinit.), Marcus Victorin. (in Eph. i. 4–7.), Nemesius, Sinesius, Evagrius, Joann. Hierosolym. (Hieron. ep. 38.). Cf. Klee (de Creat. pars 2. c. 3.)

"Spiraculum vitæ" (Gen. ii. 7.) explicant ut principium vitæ supernat. Orig. (Princ. l. 3.), Tatian. (adv. Græc. 12.)—Præterea ex schola Wolfiana multi defensores exstiterunt, etiam Kant docens inclinationem ad malum ex peccato ante conjunctionem cum corpore commisso repetendam; idem Schelling docuit.

Arg. 1. *Ex S. Scriptura.—a*) Post creationem perfectam "*vidit Deus cuncta et erant valde bona.*" Gen. i. 31. *Ergo* homines tam secundum corpus quam secundum animam boni erant.

b) Scriptura miseriam omnem et peccatum non a peccatis ante vitam commissis, sed ex actuali peccato primorum parentum derivat, et illud peccatum ex serpentis seductione deducit (Gen. iii.). *Ergo* excludit peccata a quoque ante vitam commissa ut fontem miseriæ etc.

c) Infantuli moriuntur propter peccatum originale, non propter peccatum ab ipsis actualiter commissum, ut patet ex Rom. v. 14., ubi sermo est de iis., qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ et tamen moriuntur; et magis etiam ex Rom. ix. 11., ubi de Jacob et Esau dicitur: "*Quum nondum nati fuissent aut aliquid boni egissent aut mali.*" *Ergo* mors ex peccato originali est, et ante nativitatem nihil egerunt homines.

d) Patet ex ipsa creatione Adami et Evæ, quæ creantur in animam viventem, nam Gen. ii. 7.: "Factus est homo in animam viventem;" unde totus homo vivit. *Atqui* si esset anima in corpore tanquam in carcere, non posset homo dici vivere, quia non vivit carcer eo, quod captivus in eo est. *Ergo.*

Arg. 2. Rejiciunt hanc sententiam *ex Patribus*, Clem. Alex. (l. 8. Strom.), Tertull. (l. de Anima cc. 9. 15. 25.), Lactant. (Instit. l. 3. c. 18.; contra Originem), Petrus Alex. (l. 1. de Anim., fragm. apud Justinian., Ep. ad Mennam adv. Orig. error.), Gregor. Naz. (Or. 37. c. 15.), Gregor. Nyss. (de Opif. Hom. c. 28.), Hieron. (Apol. adv. Ruff. l. 2. c. 2.), S. August. (de Peccato Orig. c. Pelag. et Cœl. c. 31.).— Concil. Gen. CPtanum V. in novem capitibus errorem Originis speciatim rejecit. Leo M. (Ep. 15. ad Turrib. contra Priscillianist.): "Quam impietatis fabulam ex multorum sibi erroribus texuerunt [Priscill.], sed omnes eos Catholica fides a corpore suæ unitatis abscindit, constanter prædicans atque veraciter, quod animæ hominum, priusquam suis inspirarentur corporibus, non fuere, nec ab alio incorporantur nisi ab opifice Deo, qui et ipsarum est creator et corporum."

Arg. 3. *Ex Ratione.* 1. Secundum adversarios anima ante conjunctionem cum corpore vixit et libere, meritorie et demeritorie egit. *Atqui* si ita esset, deberet *a*) habere facti illius memoriam, quum per conjunctionem cum corpore non mutetur essentia;—*b*) habere, ut vere expiaret crimen, pœnitentiam criminis commissi, hinc illud scire;— *c*) nullus infans deberet mori ante usum rationis, quia pœnitentia debet esset rationalis; si enim ante usum rationis moritur, finem non assequitur. *Ergo.*

2. Homo est quodammodo annulus inter mundum corporeum et spiritualem, synthesis utriusque—quia ita convenit pulchritudini universi; *atqui* ad hoc requiritur ut corpus sit pars constitutiva, non carcer. *Ergo.* Præterea, patet ex Philosophia, hominem unam naturam, unam vitam etc. habere.

Objectio (ab Hæreticis maxime urgetur.). Sap. viii. 19.: "Puer autem eram ingeniosus, et sortitus sum animam bonam, et quum essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum." *Ergo* pro meritis vel demeritis præteritis corpus aut inquinatum aut mundum datur.

Resp. Ergo corpus non est simpliciter carcer pro anima; anima præ-

terea bona hic prædicatur; *ergo* non peccato infecta. Denique a S. August. applicantur verba Christo, Filio Dei (de Gen. ad lit. l. 10. c. 17.).

Scholium de Metempsychosi. Ægyptii, Pythagoras etc., docebant transmigrationem animarum impurarum in animalia, ut pœnas luant; et quidem animas hominum iracundorum malitiosorum in corpora serpentum, rapacium in lupos, audacium in leones etc., dum satis purgatæ in pristinum statum redire possint. *Resp.* Sententia admodum absurda; quum animalia ante hominem creata; nec possint unitatem substantialem inire cum anima humana. Denique, anima humana privaretur omni facultate intellectiva: memoria, voluntate, libero arbitrio etc.; *atqui* sine his nulla expiatio possibilis est. *Ergo.*

2ª. *Quæstio.* Num in quavis generatione hominis anima sit creanda.

Nota. Quum constet animam non præexistere, debet existere seu fieri cum corpore. Quæritur, quæ sit causa efficiens. Possunt variæ sententiæ ad duas reduci: 1. censet a generante procedere; 2. a Deo fieri.

Jam de 1ª. *sententia*, seu de *Generatianismo*, de quo duæ theoriæ: *a*) *Emanatistica*, *b*) *Dimanatistica*.

a) *Emanatistica.* Concipitur anima ut ens compositum, quod simili modo formatur ut corpus. Quemadmodum semen corporis a generante abscinditur, ita et semen pro anima. Hoc semen animæ tripliciter concipitur:

α) Identificatur cum semine corporis—materialismus crassus—infima sententia.

β) Concipitur semen animæ ut distinctum a semine corporis; ipsa etiam anima ut distincta a corpore, nihilominus vere corporalis: est Traducianismus Tertulliani (De Anima c. 27.); hac enim explicatione studet a se removere materialismum; rejicitur a S. August. (Gen. ad lit. l. 10. in fine).

γ) Semen animæ est materia quædam spiritualis; hæc materia spiritualis abscindi potest ab anima generantis et formari tanquam proprium quid destinatum ad aliud generandum. Hac via censet S. Aug. posse fortasse propagationem cogitari. Ab aliis comparatio aliqua adhibetur: Angelos dicunt illi, esse quasi lumina spiritualia; quemad-

modum lumen corporale aliud ex se emittat, ita et angelos, ut lumina spiritualia, alios angelos, sicut alia lumina, ex sese emittere. Simili modo anima generantis emitteret ex sese aliud lumen.

Emanatio vocatur etiam Traducianismus sensu stricto, ideo quod, semine tanquam traduce, anima in generandum transmittitur.—Generatianismus a multis Patribus defenditur; exclusa prima sententia, non clare definiunt, qua ratione sibi Traducianismum cogitent, v. g., S. Macarius (Homil. 30. n. 1.), S. Hieron. (Ep. 76. ad Marcell. et Anapsychiam) dicit majorem partem Occidentalium hanc sententiam tenere. Pelagiani imo dicunt omnes Catholicos esse Traducianos. Aug. (Opus imperf. cont. Julian. l. 6. . Defendit etiam presbyt. Anastas. (con. Monophys. Or. IV.). — Ex hæreticis defendunt Apollinaristæ (Greg. Nyss. de Anim. t. 2. p. 103.), Luciferiani (Aug. c. Hær. c. 81.).—Inter Lutheranos Lutherus cum multis adhæret Generatianismo; Melanchton, Calixtus, Musæus, Creatianismo.

Rationes sunt:

a) S. Scriptura testatur *homines* fieri (imo animas) a parentibus. Gen xii. 5.: "[Abraham] tulit Sarai uxorem ... et animas, quas *fecerant* in Haran." Simili modo Gen. xlvi. 26.: "Cunctæ animæ, quæ ingressæ sunt cum Jacob in Ægyptum, egressæ sunt de femore illius." Cf. Paul. ad Hebr. vii. 9–10.: "[Levi] adhuc in lumbis patris erat, quando obviavit ei Melchisedech."

b) Homines a Deo regenerantur, sicut ab hominibus generantur; *atqui* regenerantur secundum animam; *ergo* et ita generantur.

c) Ens vivens generat sibi simile; *atqui* similitudo est secundum materiam et formam. *Ergo.*—Parentes enim non tantum carnis inanimatæ sunt, sed hominis.

d) Christus in incarnatione non humanam naturam, sed carnem assumpsisset.

e) Deus post sex dies quievit in creando. *Ergo.*

f) Deus non potest immediate cooperari adulteris, creando animam.

b) *Dimanatistica* seu *Dynamica.** Docet, produci animam virtute

* Multi Patres quæstionem considerant difficillimam, obscurissimam, indissolubilem Gregor. M. (Expl. ad Secundin.): "Utrum ipsa [anima] ab Adam descenderit, an certe singulis detur, incertum remansit, eamque in hac vita insolubilem fassi sunt (PP.) esse quæstionem."—Prudentius:

Non animas animæ pariunt, sed lege latenti
Fundit opus natura suum, quo parvula anhelent
Vascula, vitalisque adsit scintilla coactis.—(Apoth. adv. Ebion. v. 918.)

et potentia. Jam vero hæc virtus potest poni in Deo, qui animam creet,— est theoria Creatianismi, vel potius Concreatianismi; vel potest poni in generante. Quodsi in generante ponitur, duplex est sententia:

1. Generans, formans semen, habet *vim quasi creativam*, a Deo animæ datam, ut producat animam immaterialem (Froshammer, Klee.).

2. Non producit quidem proxime animam spiritualem, sed ex potentia præjacente animam aliquam quasi sensitivam, quæ haberet in se facultatem ut possit extrinsecus illuminari spiritualiter, fieretque spiritualis; hac ratione distingueretur ab anima belluina. Ita Averroistæ; simili modo Rosmini.

PROPOSITIO V.

Vera est et Catholica doctrina animam in generatione hominis a Deo creari; ut recte S. Bernard. (Serm. 81. in cantic.): *"anima creando immittitur* [*in corpus*], *immittendo creatur."*

St. Q. 1. Creatur a Deo; *ergo* factura Dei est, non emanatio, ut Pantheistæ volunt, ex substantia Dei, sicut scintilla ex igne prosilit; *ergo* verus terminus est activitatis divinæ distinctus ab activitate hominum; spiritualis, non materialis—ut materialistæ volunt.

2. Quoad certitudinem doctrinæ notandum: *a*) non fuisse clare in S. Scriptura revelatam, ita ut Patrum aliquorum potuerit esse aliqua dissensio; nihilominus *b*) ex magisterio communi Ecclesiæ nunc saltem (quod supponit ex Patribus majorem partem semper rem docuisse) manifestum esse, esse doctrinam catholicam; *c*) solemnem tamen Ecclesiæ definitionem non fuisse datam. Hinc opposita doctrina prorsus temeraria et erronea est. * Vid. g-note.

Arg. 1. Primis sæculis Patrum auctoritate, scientia, sanctitate florentium multo major pars animam in quovis homine creari docuit; ex tempore vero Benedicti Papæ XII omnes hanc doctrinam tenuerunt. *Atqui* talis doctrina, quæ initio quidem aliquam habebat obscuritatem

* Leibnizius, ut evitaret interventum continuum Creatoris, finxit omnes animas initio creatas corpusculis quibusdam quasi indutas et repositas in Adamo, qui generatione partem aliquam convenientem traderet filius. Simile quid aliqui fingunt quoad animas bestiarum et plantarum, ut evitarent obscurum conceptum de eductione ex potentia materiæ.

postea tamen manifesta facta est in magisterio Ecclesiæ, est sane doctrina vera et catholica. *Ergo.*

Prob. maj. a) Patres diserte docent hanc doctrinam, contrariam vero diserte rejiciunt. Clem. Alex. (l. 6. Strom.): "Anima, quæ est pars hominis, non generatur per dejectionem seminis, sed intromittitur." Lactant. (de Opif. Dei c. 19.) docet corpus ab utroque parente, animam vero a solo Deo esse, utpote immortalem.— Hilarius (de Trinit. l. 2. c. 20.): "Omnis anima opus Dei est, carnis generatio semper ex Deo fit." +S. Hieron. (Apol. adv. Ruf. l. 3.): "Quotidie Deus operatur animas et in corpora mittit nascentium."—Ambros. (lib. de arca et Noe): "Ex nullo homine generantur animæ." Eandem sententiam defendit S. Athanasius (l. 1. cont. Apollin. c. 4.), S. Ephræm, Theodoret. (Græc. Affect. Cura. disp. 5.), S. Cyrillus Alex. (ad. Nest. l. 1. c. 4. etc.), S. Gregor. Nazianz. (Carm. in laud. Beat. Virg. v. 392.), Prudent. (Apoth. adv. Ebion.), Petrus Chrysol. (Serm. 6.), S. Prosp. (de Pœnitentia), S. Leo M. (Ep. ad Turrib. 93.). *Atqui* Patres hi: Clem. Alex., Lactantius, Hilarius, Hieron., Ambrosius, Athanas., Ephræm, Theodoret., Cyrill. Alex., Gregor. Naz., Prudent., Petrus Chrysolog., Prosp., S. Leo M. sunt profecto auctoritate, scientia et sanctitate insignes. *Ergo.*

Coroll. *Ergo* videtur S. Hieron. (Ep. 126. [alias 82.] ad Marcellin. etc.) exaggerare scribens: "maxima pars Occidentalium autumat...., animam nasci ex anima."

Arg. 2. Conc. Later. V., de anima humana: "Pro corporum, quibus infunditur, multitudine singulariter multiplicabilis et multiplicata et multiplicanda sit."

Benedict. XIII obligavit Armenos ad rejiciendum Generatianismum his verbis: "Item, quod quidam magister Armenorum, Mechitriz, qui interpretatur Paraclitus, de novo introduxit et docuit, quod anima humana filii propagetur ab anima patris sui, sicut corpus a corpore, et angelus etiam unus ab alio; quia quum anima humana rationalis existens, et angelus existens intellectualis naturæ sint, quædam lumina spiritualia ex se ipsis propagant alia lumina spiritualia."—Responderunt ad hoc Episc. Armeni (Raynald, Annal. Eccl. an. 1341. n. 50. etc.): "Hic error, quod anima hominis propagetur ab anima patris sui sicut

corpus a corpore .... semper fuit excommunicatus in Ecclesia Armenorum—et maledictus sit."

× *Nota.* Scholasticos Creatianismum docuisse, in confesso est.

Arg. 3. *Ex Ratione.*— 1. Generantes educunt animam vel ex propria anima vel ex proprio corpore, vel ex nihilo. — *Atqui a*) non ex propria anima, hæc enim substantia *simplex* est ideoque indivisibilis; hinc repugnat, partem ab ea decidi et donari alteri. — *b*) Non ex proprio corpore, nam substantia spiritualis et simplex ex substantia naturali, inerti, composita et extensa decerpi vel erui nequit.—*c*) Neque ex nihilo, hæc enim productio esset creatio, quæ in creatura admitti nequit. Præterea, si anima generantis posset aliam animam creare, posset angelus idem; sed id absurdum. *Ergo.*

2. Quod est independens in esse, est et independens in fieri. *Atqui* anima est independens in esse. *Ergo* (quando fit generatio) etiam in fieri. *Ergo* generatio est conditio et causa movens Deum, ut ipse creet.

3. Si anima fieret dependenter a materia, ejus etiam activitas esset dependens intrinsece a materia, sicut in sensatione materia viva ut totum quid sentit, ita et intelligeret materia simul cum anima, reflecteret in se, esset sui conscia et libera. *Atqui* hæc omnia absurda. *Ergo.*

4. Qualis finis, talis origo. *Atqui* finis est Deus immediate possidendus. *Ergo* et origo est Deus immediate producens.

Ad Maj. Finis rei, quæ fit, jam in origine ipsa apparet; unde si finis spiritualis est, et origo spiritualis sit; si finis est, ut sit immediata imago et similitudo Dei, erit et consequenter origo tendens in imaginem immediatam Dei. Sicut animal tendit per generationem in imaginem suam, ita homo, qua animalis, tendit in imaginem suam; anima igitur, quæ est immediata imago Dei, hinc ad Deum destinata, immediate a Deo produci debet.

5. Anima esset vel a patris anima vel a matris anima secanda, vel ab alterutra creanda. *Atqui* utrumque repugnat: in priori enim casu perfecta generatio vel patri vel matri neganda; magis deneganda in in altero casu. Neque possunt ut principium compositum agere, quia anima ipsa fieret composita. *Ergo.*

Quoad argumenta opposita respondetur:

a) Si parentes in S. Scriptura dicuntur aliquando fecisse *animas*, anima sumitur ut principium vitale: hoc vero aliquando ponitur ut pars

pro toto— quæ metonymia admodum frequens in S. Script., i. e., contentum sumitur pro continente, ut Virgilius—"*vina coronant.*" Simili modo ponitur quandoque *caro* ut pars pro toto: "omnis caro corruperat viam suam." Sensus igitur est: *homines*, quos generaverant.—Præterea, quando Abraham cum Sarai et animabus quas fecerant, emigrarunt, intelliguntur animalia, quæ enutrierant; erat enim Sarai sterilis.

b) Homo regeneratur a Deo quoad animam, ergo generatur etiam quoad animam a parentibus—*falsa conclusio*: nam in regeneratione regeneratur anima, non corpus; *ergo* a pari in generatione generatur corpus, non anima.—Præterea, homo dicitur possidere Deum, esse destinatum ad possidendum Deum, esse mortuum in æternitate, esse in cœlo, etc., quamvis tantum anima sit.

c) Homo autem generat sibi similem eo, quod semen obligat Deum ad animam creandam, quæ sit forma corporis formandi secundum dispositiones semini communicatas; hæ autem dispositiones reddunt terminum generatum similem generanti, sicut fit in generatione brutorum.

d) Verbum non assumpsit corpus tantum, sed et animam; quare vere assumpsit humanitatem.

e) Quodsi Deus dicitur cooperari adulterio creando animas, respondendum cum S. Thom. (1. q. 118. a. 2. ad 4.): "Quod in actione adulterorum illud, quod est naturæ, bonum est et huic cooperatur Deus; quod vero est inordinatæ voluptatis, malum est, et huic non cooperatur Deus."—Præterea, in suppositione adversariorum nec potest Deus concurrere cum frumento ad crescendum, quod fur furatus sereret.

De Animæ Unitate.

1. Anima definitur a S. Thoma (1. q. 75. 1. c.): "Primum principium (internum) vitæ in his, quæ apud nos vivunt." Sed apud nos triplex vita: vegetativa, sensitiva, intellectualis. Est vero una anima triplicem hanc vitam dans: prout igitur principium vitæ intellectualis est, vocatur spiritus; prout vegetativæ et sensitivæ vitæ principium est, vocatur anima; quumque non possit vitam dare nisi sit *forma*, definitur *ut talis* ab Aristotele (de Anima l. 2. text. 5.): "*Actus primus corporis organici physici potentia vitam habentis:*" *—definitur *ut anima*: "*principium vi-*

* Anima ut spiritus a S. August. (l. de Spiritu et Anim. c. 6.): "Anima *est similitudo omnium.*" Seneca: "Anima est spiritus intellectualis in se et in corpore ad

tale corporis viventis; ut spiritus: "anima, ut habens virtutem intellectivam." Cf. S. Bonavent. (t. 7. Centil. p. 3. sect. 19. de Definit. Animæ).

2. Quum duæ concurrant ad hominem constituendum, i. e., corpus et anima, doctrina hoc tenens vocatur *dichotomia* (divisio in duo). Pythagoras vero et Plato, Joseph., et Philo Judæus tria principia adstruunt: *σῶμα*, corpus — *ψυχή*, anima — *πνεῦμα*, spiritus. Vocatur theoria hæc *trichotomia* (divisio in tria). Adhæserunt huic doctrinæ hæretici Gnostici (Iren. adv. Hær. 1. 8. n. 3.), Montanistæ, Apollinaristæ, Manichæi. — Averroistæ docent, hominem constare corpore et anima *non spirituali* tanquam forma. Intellectum vero spiritualem esse *extra animam*, unum tantum et immultiplicabilem, qui velut *unus sol* omnes homines illuminet. Hanc illuminationem recipiens homo ideas haberet, seu cogitaret. Quum Petrus de Oliva hunc errorem in scholas Catholicas vellet introducere, Concilium Viennense definivit, animam rationalem seu intellectivam esse vere et per se et essentialiter corporis humani formam, ita ut, qui aliter doceret, hæreticus sit censendus.

Guenthèrus, quo melius argueret contra Averroistas pro individualitate animæ spiritualis, statuit, negandam illam quasi universalitatem vitæ consistentem in triplici vita, sed spiritualem tantum animæ in corpore vitam reservandam; unde juxta animam spiritualem posuit principium vitæ sensitivæ etc. Etiam Theosophi mystici, Paracelsus, Bœhme, Weigert etc. tenent doctrinam trichotomicam.

3. Sæpe in Script. S. coordinantur spiritus et animæ justorum ut in Cant. trium puerorum. — Hebr. iv. 12., idem duplici modo et fortius exprimitur; sicut *"sancti et humiles corde"* etc.—Sæpe etiam *πνεῦμα* significat *dona Spiritus S et Spiritum Sanctum*, v. g., "Spiritum nolite exstinguere;"—"nolite contristari . . . Spiritus narret gemitibus . . .;" — "Ipse autem Deus sanctificet vos per omnia, ut integer spiritus vester, et anima et corpus sine querela servetur" I. Thess. v. 1.; agitur hic de principio gratiæ sanctific.

× Arg. 1. *S. Scriptura* ubique docet, duobus tantum elementis constare hominem. *Ergo* hæc duo tamdiu sunt tanquam unica assumenda,

beatitudinem ordinatus."— Quatenus principium triplicis vitæ est, dicit Ambrosius "quod anima vegetabilis appetit esse; sensibilis *bene esse;* rationalis *optime* esse, et ideo nunquam quieseit, donec optimo conjungatur." Apparet triplex vita successive; virtus enim formativa rationabiliter prius disponit ad vitam quam ad sensum, et prius ad sensum quam ad rationem. S. Bonav. (t. 8, l. 2. c. 32.)

quamdiu non tertium aliquod gravi ratione interponendum demonstratur. *Atqui* ratio, propter quam adversarii tertium elementum ponunt, non probat, imo contrarium evincit. *Ergo.*

Prob. Ant. In creatione hominis duo tantum elementa componentia formantur, corpus et spiraculum vitæ, quod est anima; *in morte* hominis, decompositio fit tantum in duo elementa: "Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere." Matth. x. 28. in resuscitando mortuo anima tantum spiritualis ad corpus redit; jam vero si esset anima sensitiva præter animam spiritualem, iste reditus animæ spiritualis non sufficeret. Luc. viii. 53., de filia Jairi: "Reversus est spiritus ejus, et surrexit continuo."

Prob. min. Nulla gravis ratio adest. Nam si pugna dicitur esse in homine, hæc non est inter duas animas, sed est inter diversas inclinationes ejusdem animæ; sicut si pugna est in intellectu inter diversas rationes pro et contra, ita ut intellectus dubius hæreat; imo si essent duæ animæ, non posset una anima sibi conscia esse inclinationis in altera anima. *Atqui* hoc tamen obtinet. *Ergo* tantum abest, ut probet pro adversariis, ut sit contra.

Arg. 2. *Ex Patribus.*—PP., ut S. Athan. (Comm. Ess. Patr., Filii, Sp. S. n. 4.), S. Gregor. Nazianz. (Or. 40.), Gregor. Nyss. (de Anima, de Opif. Hom. c. 8. etc.), S. Basil. (Homil. in "*attende tibi*" n. 3.), S. August.: "Homo, qui constat anima et corpore" (Civ. Dei l. 13. c. 11. n. 1.) — "Homo non est corpus solum vel anima sola, sed qui ex anima constat et corpore" (loc. cit. l. 13. 24. n. 2.), S. Hieron. (In I. Thessal. v. 23.), S. Chrysost. (de Proph. Obscurit. ii. 5. etc.), S. Nemes. (Natur. Hom. c. 1.), S. Joan. Damasc. (Orthod. Fid. l. 2. c. 12.)—docent clare hanc doctrinam, definiunt vitam venire ex conjunctione animæ et corporis, mortem esse separationem animæ a corpore. *Ergo.* Quodsi aliqui Patres, ut S. Justinus (lib. de Resurrect. Tryph. n. 7.), Tatianus (contr. Græc. 13) distinguunt spiritum, animam, corpus, nihilominus docet Justin. (Apol. 1. n. 8.; Dial. cum Tryph. nn. 4. 5.) — item Tatianus—duobus tantum principiis constare hominem.

Arg 3 *Ex Conciliis*—Concil Constantin. IV. (869): "In tantum impietatis quidam .... devenerunt, ut duas cum [hominem] habere animas impudenter dogmatizare ..... et propriam hæresim confirmare pertentent ..." Hos dein anathematizat.—Accedit damnatio ope-

rum Guentheri etc. facta a Pio IX., in qua falsitas *trichotomiæ* fusius evolvitur.

Philosophice

Arg. 4. *Ex Ratione.*—*a)* Eadem anima, quæ sentit, etiam intelligit se sentire. *Atqui* hoc fieri non posset, si anima sentiens et anima intelligens non identificarentur, sed tantum conjungerentur physice. *Ergo.*— *Prob. min.* Intelligere sensationem est redire in sensationem et reflectere. *Atqui* non potest redire et reflectere in actionem alterius, quia sensatio est immanens. *Ergo.*

b) Nexus inter facultatem sensit. et intellect. id postulat. Nam operatio sensus intensior impedit operationem intellectus, et ex altera parte juvat. *Atqui* non potest quis immediate impedire et juvare operationem immanentem alterius, præsertim si alterum habeat dominium actionum suarum. *Ergo* est unum principium omnis vitæ in homine.

Coroll. *Ergo* una illa anima cum corpore unam novam substantiam, novam naturam et suppositum seu personam constituit. (Vide Philos.)

Scholium de antiquitate generis humani.

I. *Chronologia biblica.*

1. Quum non certe constet, quam chronologiam auctor inspiratus adhibuerit, licet triplice illa in sacris scriptis usurpata uti.

	Text. Hebr. (*Vulgata.*)	*Text. Samarit.*	*Versio Septuag.*
Ab Adam ad Noe . .	1656 ann.	1306	2242
A Noe ad Abrah. . .	293 "	942	1183
Ab Abrah. ad Christ. D.	2000–2100 ann.		

2. Secundum usum in Eccl.—Alii ponunt 4000 ab Adamo ad Christ. D.; P. Tournemine 4891; Euseb. Cæs. 5199; similiter Beda et Martyr. Rom.); Eccl. Alex. 5504; Theophil. Antioch. et Chronic. Alex. 5508; Eccl. Constantin. 5510.; Clem. Alex. 5604; Lactant. 5800; S. Cyprian. 6000; Isaac Vossius 6004; Julian. Toletan. 6011; Onuphrius Panvinius 6311. Cf. Perrone (t. 5-6. c. 3.)

II. *De chronologia aliena.*

Quæritur num chronologia biblica sit tam stricte servanda, ut quæcumque chronologia excedat numeros amplissimos in illa admissos rejici debeat ut falsa.—*Resp.* Non videtur; non enim constat inter numeros illos biblicos esse numerum verum, quem scripserit auctor inspiratus;

quare et in usu Ecclesiæ (ut patet ex 2.) sæpe majores numeri adhibentur. Verumtamen non ita excedere debet, ut numerus biblicus vel Ecclesiasticus plane disparcat. Verum enim vero documenta, ex quibus hac ætate adversarii argumenta desumunt, vix majorem numerum postulant. Hæc vero sunt:

I. *Documenta Historica.*

1. Historia *Sinica* in tres epochas recte dividitur:
   a) Ab initio usque ad Yao, . . . 2357 a. Ch.—mythica.
   b) A Yao usq. ad Konfutse, . . . 551 a. " —semimythica.
   c) A Konfutse ad dynastiam Tang, . 618 p. " —historica.

Jam prima et secunda epocha secundum Sinenses comprehendit 96 Million. annor. — Primus homo, Puank, vixit 18,000 ann. —est igitur calculus mythicus. Cf. Weiss (tom. 1. p. 6.) *

2. *Chronologia Ægyptiaca* (Weiss t. 1. p. 179.). — Primus rex fuit *Menes*. Vita ejus ante Christum varia ponitur: alii 2182 (vide Uhlemann Antiquitat. 3. 60.); alii 6467; Champollion 5867; Lesueur 5773; Bœkh 5702; Lenormant 5303; Lepsius 3892; Seyffarth 2781.—*Ergo* nihil probat contra chronol. biblicam.†

3. *Chronologia Chaldaica*.—Berosus (Berossos), sacerdos chaldaicus, cœvus Alex. M. (350 300) composuit tres libros "Chaldaica et Babylonica." Perierunt usque ad aliqua fragmenta. Alexander Polyhistor. summam aliquam ex illis confecerat, secundum quam PP. Berosum citant.—Ponit Berosus ab initio mundi usque ad diluvium 432,000 annos lunares, a diluvio usque ad expugnationem Babylonis per Medos 34,080 an. Absurda narrat de pisce-homine Oanne, qui caput hominis, cor-

* Inscriptio Yu imperatoris, quæ dicitur una ex antiquissimis totius generis humani, Sinarum vero simpliciter antiquissima, est ab anno 2207, quia eo tempore Yu successit Yao. Cf. Hager (Monum. du Yu), item Klaproth (de eadem re).

† Bunsen (de Ægypt.) censet Ægyptios constituisse civitatem 7000 a. Ch.—A creatione usque ad diluvium ponit 10,000 an.; diluvium putat fuisse partiale. Ponit 27 dynastias, quarum quæque plures reges numerabat, sibi succedentes.— Nihilominus priores calculos nimis *arbitrarie* assumit; dynastiæ denique non successivæ sed simultaneæ in pluribus Ægypti partibus erant. Denique, assumit series regum, quas dat Manetho (an. 320 a. Ch.). Is Manetho, sacerdos Ægypt., composuit historiam Ægypt., ex qua fragmenta tantum restant. — Sanchuniathon, Phœniciæ gentis, qui dicitur conscripsisse historiam Phœnicum et Ægyptiorum, quam transtulit Philo (ex Byblo) in græcum, videtur fuisse titulus operis collectivi, fictus a Philone.

pus piscis, in cauda pedes hominis habuisset. Sunt igitur fabulosa; unde non probant. Cf. Weiss (t. 1. p. 262.)

4. *Chronologia Assyrica* incipit constituere regnum 1314 a. Christ.; vid. Rawlinson (The five great Monarchies of the Ancient World, vol. 2. p. 49.). Kallisthenes cum Alex. M. invenit Babylone calculos siderum ab anno 1903 a. Alex., *ergo* ab anno 2234 a. Christ.—*Ergo* non sunt contra S. Script.

5. *Chronologia Eranica* (Persarum etc. . .). Mythos omnes populorum illorum ab initio mundi usque ad Sassanidarum casum, Firdusi, poeta persicus, poetice in suo opere Schahnameh [liber heroum] descripsit. Videtur ætatem mundi ponere 12,000 annos. Cum calculis mythicis nitatur, non probat. Weiss (t. 1. p. 455.)

II. *Documenta Astronomica.*

1. Kallisthenes, qui cum Alexandro M. fuit Babylone (337) invenit in testis (lateribus coctis) insculptas observationes sidereas ex anno 1903—*ergo* ex anno a. Ch. 2234.

2. Ægyptii habebant, ut Diogenes Laertius dicit, usque ad Alex. M. 373 eclypses solares, 732 eclypses lunares. Jam vero, secundum Freret (Cf. Weiss tom. 1. p. 208.), hæc proportio viget inter illas eclypses ab anno 4700 usque ad Alex.; hinc incepissent notare Ægyptii eclypses 5000 an. a. Ch. Supponeret autem hoc multo majorem ætatem illius gentis; quæ quamvis excederet secundum hunc calculum numeros Septuaginta quoad totam ætatem generis humani, excessus non foret nimius.—Hæc autem sunt antiquissima documenta astronomica.

III. *Documenta Geologica.*

1. *De periodo glaciali.*—Alii ponunt unam, alii plures; alii reponunt in tempore remotissimo, ut Croll. (240,000 ann.), Lyell (initio 800,000, postea vero 200,000 ann.; alii imo ponunt *billionem* et 280 Million. annos etc.; alii denique intra limites 5000 ann.—Quoad homines, alii ponunt saltem in Helvetia homines ante periodum illam jam exstitisse, ut Wh. Perty, Schleiden, Unger, Buechner; alii, ut Vogt, Lyell, Pfaff, declarant tam in Anglia quam in Scandinavia et Helvetia tantum post periodum glaciálem hominum apparere vestigia.

Resp. Ex rationibus, quibus existentia talis periodi evincitur, patet quam incerta omnia sint, ita ut nulla argumentatio fieri possit.

Rationes: a) Fragmenta rupium ex quibus glaciales torrentes in Alpibus proficiscuntur, solent comitari, vel potius a glacie propulsari, ut quasi circa glaciem lineam forment, quæ vocatur Moræna. Hæ vero Morænæ inveniuntur per magnam partem Europæ et Americæ.

b) Quum talis torrens glacialis similis sit fluvio, solet in rupibus alvei seu vallis lateralibus rimas producere, quasi secando—saxa polire etc.

c) Solet saxa erratica secum afferre.—Hæc vero inveniuntur in Anglia, Germania, Gallia etc.; saxa vero erratica sunt ex *rupibus Scandinaviæ, Grœnlandiæ* etc. *Ergo* concluditur glaciem eousque pertigisse.

Jam vero, causæ hujus facti prorsus sunt incognitæ: nam explicatio Abbé Hamard (Gisement du Mont Dol), fuisse hiemes cosmicas per coincidentiam apheliorum cum vicinitate solstitii hiemalis nostri hæmispherii, non probat, quomodo pedetentim a Scandinavia potuisset procedere period. glacialis; item opinio D. Lorinzer (Geologia et Palæontologia p. 242.), fuisse fere connexam cum diluvio per absorptionem calorici. In utroque enim casu egisset hiems et frigus sicut nunc agit. Si vero causæ sint tam ignotæ, unde fieri possit, ut tempus assignetur? *Homines* vero vixisse, vel *animalia* etc. est impossibile; præsertim si et congelatio et fusio magnum, ut Geologi quidam volunt, tempus exigebat. Potuisse vero in Alpibus torrentes glaciales extendere se in ultimas valles, ita ut homines cum ipsis viverent, impossibile non est; quum nunc adhuc glacies illa crescat, decrescat, moveatur etc. Torrens glacialis (Aar-glacies) annuum motum 70 metror. habet. *Ergo* nihil contra Script. S.

2. Alvei fluviorum, alluviones, elevatio litoris, v. g. Norvegiæ, supra mare—nihil probant, quum intra tempus historicum fluvii subito mutaverint alveos, novosque sibi paraverint. Homerus ignorat Ægyptum inferiorem; nunc tamen ad exitum Nili maximæ urbes: aliæ urbes antea ad mare, nunc longe absunt. Elevatio Norvegiæ initio citior esse potuit, quia hoc sæpe accidit.—Denique ipsum mare mutat situm. Quod ad cavernas attinet impletas ossibus, armis primitivis, poterant facile impleri per fluctus diluvii. Quod fluctus, orti ex fusione glaciei exeunte periodo glaciali, omnia illa congesserint, quemadmodum

attulerunt montes glaciales cum saxis erraticis ex Grœnlandia, Scandinavia, non est probabile (vide supra).

3. Quum 1853–54 in lacubus (nunc jam triginta fere) integri pagi constructi super palos inventi sint, ad remotissimam ætatem referebantur. Jam vero ex instrumentis inventis (in domo lacustria lacus Benaci argentum detectum), ex ossibus fere omnium animalium, quæ nunc domestica sunt etc., ex Herodoto, qui loquitur de domibus lacustriis Thraciæ; ex Hippocrate, qui tales novit in Phasi fluvio, patet, fuisse recentis ætatis.*

4. Neque ex aliis monumentis, ut sunt *Dolmen*,† *Menhir*,‡ *sæpimenta lapidea* § (Stonehenge, Cor-gawr, i. e., magnus circulus), quidquam pro majore ætate sequitur. Distinguimus enim tempus *præhistoricum* et *historicum;* ex priore nulla exstant documenta scripta; quare nihil certi de *ætate, tempore* etc. dici potest.

De Unitate Generis Humani.

Quæstio, num Adam et Eva sint vere generis humani protoparentes.

Adversarii alii docent ante Adamum alios exstitisse homines; alii vero plures familias in genere humano distinguendas, productas vel ante, vel simul, vel post Adamum.—Jam

1. De Præ-Adamitis.

Rabbi Moyses Ben-Magmon (ut refert Peyrerius, Syst. Theol. p. 1. l. 3. c. 3.) refert in More Nevochim libros antecessorum suorum, qui mentio-

* In lacu Constantiensi prope urbem Wangen pali 40,000 detecti; in aliis lacubus pagi 300 domunculor. Ubique in Europa inveniuntur; in Hibernia vocantur *Crannōges.* Hodie adhuc habitatores lacustrii sunt in Nova-Guinea, (insul. Austral.) in Orinocco fluvio, etc.

† Dolmen (proprie mensæ lapideæ) est saxum aliquod tabulare impositum duobus aliis lateralibus; videtur fuisse sepulcrum. In Gallia adhuc 2000.

‡ Menhirs (lapides oblongi) sunt lapides in formam obeliscorum erecti, memoriales ut videtur. Sunt valde frequentes in Gallia, in Africa (superiore ad Constantin.) in America Septentrionali.

§ In Wiltshire (Wessex, Salisbury) existit talis circulus Stonehenge. Sunt 17 magnæ columnæ, 6 m. altæ; 2 m. latæ; 1 m. crassæ;—circulus formatus in diàmetro 35 m.;—præterea intra circulum aliæ sunt. Circa, plurima sepulcra. In Britania minore vocantur templa Druidarum, aræ Bardorum etc. Inveniuntur in Hibernia, Dania, Hispania, Lusitania, Sardinia—et in Kabul (Afghanistan).

nem faciunt præceptoris Adami, nomine *Samboscer*. *Inter Muhamet., Giafar Sadik*, unus ex primis Turcarum Imánis (765 p. Ch.), docuit tres Adamos biblicum Adamum præcessisse; imo postea plures, quum 17 revolutiones terrestres sibi successissent, unaquæque exegisset novum Adamum; quare et opinio inter Muhametanos prævaluit, fuisse quendam *Gian Ben-Gian*, qui ante Adamum jam in Ægypto Pyramides exstruxisset. Julianus Apostata (fragment. epist. ad Themist. inter opera Julian. ex edit. Spanheim, tom. 1. p. 292.): "Si a duobus tantummodo geniti essent omnes, neque leges adeo varias ac discrepantes futuras fuisse, neque totum alioqui orbem ab uno dumtaxat impleri potuisse, tametsi plures una fœtura mulieres ipsis parerent . . . . . Enim vero passim per omnes terras, annuentibus diis, eodem modo quo unum volunt aliqui [Christiani], plures in lucem homines exstiterunt, auctoribus generis diis attributi, qui et ipsos produxerunt, quum videlicet ex æterno a conditori animas accepissent."

Origines ejusdem doctrinæ accusatur, quod deduci volunt ex Hom. 1. in Gen., l. 4. cont. Celsum, Hom. in II. Cor. xii. 2.; clarius ex verbis ejus, quæ S. Methodius (Apol. Phot. cod. 235. p. 939.) commemorat.—Alii vero eum defendunt, ut videtur, *merito*. [illegible]

Jordanus Bruno asseruit, solos Judæos ab Adam et Eva, Gentiles vero a quibusdam Præ-adamitis.—Sæc. XVII. Isaac Peyrèrius (Calvinista Gallus) statuit, Gen. i. 26. creatos homines diversos esse ab illis, qui creantur Gen. ii. 7. ut ex adjunctis pateret; a prioribus descendisse Gentiles, ab aliis Judæos.

Rationes sunt: *a*) Abel dicitur pastor ovium, Gen. iv. 2.; *ergo* debet defendere ab hostibus, hinc ab aliis hominibus.—*b*) Gen. iv. 6. 7. dixit Dominus ad Cain: "si male [egeris], statim in foribus peccatum erit." *Ergo* sunt fores seu portæ; illæ autem significant in Script. S. Judices; unde sensus: *judices* aderunt.—*c*) Gen. iv. 14. 15.: "Omnis, qui invenerit me, occidet me . . . Deus posuit Cain signum, ut non interficeret eum omnis, qui invenisset eum." Fugit autem Cain "*ad orientalem plagam Eden.*" *Ergo* ibi erant jam homines. — *d*) Gen. iv. 17. ædificavit Cain civitatem Henoch (ex nomine filii sui utique primogeniti); sed ad hoc debebant adesse architecti etc.; quinam vero erant, si tantum Adam et Eva præter Cain erant?

N. B. Peyrerius, ejurato Calvinismo Romæ sub Alex. VII, revocavit errorem.

Hac ætate proposuit eandem doctrinam Prof. Alex. Winchell (Univers. of Michigan).* Rationes: 1. Duodecima saltem dynastia, quæ regnabat in Ægypto—1643 secund. Strong, 2300 secund. Lepsius—jam quatuor agnovit nationes in Ægypto: *rubram, flavam, nigram, albam.* Jam vero diluvium secundum Usher erat 2348, secund. Strong 2515, secundum Poole 3099 a. Ch. *Ergo* valde exiguum tempus debuisset sufficere ad evolvendam nationem nigram; sed hoc impossibile. Probat Major. ex *monumentis* Ægyptiacis, in quibus quatuor illæ nationes apparent. 2. Confirmat suum argumentum: ex 4000 annis nigri, flavi, albi non sunt mutati; quia existunt nunc adhuc sicut tunc. Ergo profecto et ante si nigri descenderent vel a Noe, vel ab Adam debuisset plurimum temporis præcedere, ut ita mutarentur. 3. Confirmat præterea: equus, qui nunc est, fuit jam tempore Adami. Jam vero si equi non mutantur, cur homines mutentur? ergo concludit, nigros populos debere descendere non a Noe, nec ab Adamo, sed a Præadamitis.

2. De Co-Adamitis.

Nota. Quum tanta sit hominum varietas, Anthropologi in varias classes homines redegerunt; distributionis fundamentum vel in corporis colore, vel in capillorum natura—prout vel tenuis et subtilis vel lanatus (Haeckel) est; vel in cranii forma † et reliqua corporis structura (Blumenbach, Camper, Retzius, Aeby) posuerunt. Hæ vero classes ab aliis ponuntur esse species diversæ, ab aliis vero esse stirpes tantum

* *Pre-Adamites:* or a Demonstration of the Existence of Men before Adam by Al. Winchell, Chicago 1881.—Cf. *Pre-Adamites*, in Chambers Encyclopedia.

† Blumenbach considerat in cranio proportionem inter axem cranii verticalem et horizontalem; *Camper* angulum facialem,—qui fit, quando ex fundamento cranii ad maxillam superiorem ducitur linea, et alia ex fronte ad idem punctum maxillæ; angulus ille variat inter 68° et 80° Retzius distinguit Dolichocephalos (δολιχός, longus — κεφαλή, caput) et Brachycephalos (βραχύς, brevis); *in prioribus* longitudo capitis superat latitudinem de una quarta; *in aliis* tantum de una quinta de una octava. In unaquaque classe distinguit *orthognathos*, si maxillæ non prostant, et *prognathos*, si prostant. Cuvier et Lacepède distinguunt tres classes: Kaukasios, Mongolos, Nigritos. Borg de St. Vincent 15 classes; Pritchard (unus ex primis) 7: Iranios (Kaukas.), Turanos (Mongol.), Americanos, Hottentottos, Nigritas, Papuas, Alfuros. Blumenbach (parens Anthropologiæ) 5: *Kaukasios, Mongolos, Æthiopes, Americanos, Malesios.*—Varii sunt colores: *albus, flavus, niger, cupreus, fuscus.*

unius speciei.—Qui differentiam specificam ponunt, arguunt *a*) *ex physiologia et anatomia.*—Crawford censet inter calorem Nigritæ Africani et Albi Europæi; inter Sinensem et Hindostanum; inter Australensem et Indianum Americanum tantum esse discrimen, quantum sit inter lupum et canem aureum (jackal) et vulpem. Qui velint ex anatomia humani generis unitatem specificam probare, eos posse eandem specificam unitatem inter porcos et canes probare. Cf. Daniel (Geogr. t. 1. p. 202.). Figuier (Human. Genus) docet Nigritam differre ab Europæo quoad *cutem nigram, porosam, male olentem*; quoad *capillum brevem, lanatum* et *crispidum*; quoad *oculos*, in quibus *iris est nigri splendoris*, ut totus fere oculus eodem colore splendeat. *Angulus facialis Europæi* circa 76½ gradus usque ad 81 gradus (90 grad., tantum in statuis græcis); *angulus* vero *Nigritæ* 61½–63 gradus. (Orang-outang et gorilla, simiæ, 45 grad.) —*b*) *Ex linguarum differentia.*—*c*) *Ex impossibilitate geographicæ propagationis.*—Qui docent, esse stirpes ejusdem speciei descendentes a variis protoparentibus, afferunt rationes sub *b* et *c*.

PROPOSITIO VI.

Revelatione docemur, totum genus humanum descendere ab Adam et Eva, ita ut contraria doctrina Præadamitarum et Coadamitarum sit contra fidem.

St. Q. 1. Systema Præadamitarum hæc tria potissimum proponit: *a*) Deum creasse mundum, ut nunc existit cum viris et mulieribus in omnibus terræ partibus, a quibus orti sint Gentiles.— *b*) Post longam sæculorum seriem, Deum creasse Adam et Evam, a quibus orti sint Judæi.—*c*) Diluvium non fuisse universale, sed fuisse tantum in Palestina, ita ut Judæi tantum, non Gentiles, periissent undis. Cf. Gatti (vol. 1. pag. 292.).

2. Quæritur, quid sit *species*.

a) Species, ut hic sumitur, est illud, quod determinat genus (a generando), pertinetque ad esse constitutivum entis; estque ita connexum cum genere, ut pertineat ad terminum, qui proxime per generationem intenditur. Præterea, species dicitur esse illud esse unum, quod participent individua. Quare illud unum in individuis, quod est proxime et per se terminus generationis, est species. Actus vero generativus

modificari accidentaliter potest ab aliis causis externis ideoque et terminus ipse.

b) Ad generationem, cujus proxima intentio per se, hinc essentialis intentio, est productio speciei, concurrunt duo comprincipia partialia, masculinum et femininum, ita ut ex duobus illis fiat unum principium totale. Species igitur ut terminus debet utrique principio respondere; ex quo patet utrumque principium debere esse in eadem specie. Patet præterea ex eo, quod natura tantum individuis ejusdem speciei inclinationem ad còitum indiderit secundum illud Script. S. (Eccli. xiii. 20.): "Omnis caro ad similem sibi conjungetur." Quodsi nihilominus coitus fit, is oritur vel ex morbo aliquo, vel ex artificiali excitatione.

c) In omni specie admittuntur varietates, seu stirpes, a causis externis modificantibus profectæ; quæ ita possunt fieri propriæ, ut in alteram quasi naturam abeant et per generationem transmittantur, uti patet in homine, in quo dispositiones patris ac matris in eadem familia fiunt hæreditariæ). Hæ varietates ita separant quandoque stirpes, ut differentia specifica vix appareat.* Hinc principia quædam: 1. Quo perfectior forma seu species est, eo pauciores varietates seu stirpes; quo imperfectior forma seu species, et quo magis accedens ad materiam, eo plures varietates.—2. Quo major est distantia inter varietates, eo minor inclinatio inter individua diversæ stirpis ad coitum; quo vero minor, eo major.—3. Quo imperfectior forma, v. g., in plantis, eo facilius obtinetur ex duabus varietatibus tertia, et hæc ipsa eo constantior est in generationibus descendentibus; quo perfectior forma seu species, eo difficilius obtinetur ex duabus stirpibus tertia, et eo difficilius hæc tertia manet in descendentibus, ita ut post unam vel alteram generationem exstinguatur, aut redeat ad typum vel masculi vel feminæ.

Coroll. Ergo quamvis fertilitas probat convenientiam in specie, fertilitatis major minorve duratio probat constantiam varietatum.

d) Distinguenda est specierum classificatio naturalis, i. e., gradus specifici ex ipsa natura procedentes, et classificatio specierum artificialis, quam Naturalistæ faciunt. Naturalistæ procedunt ex signis externis. Constantia autem signorum externorum non semper denotat species,

* Causis mere externis una varietas in aliam transire potest, v. g., avena (*oats, Hafer*) in hordeum (*barley, Gerste*), quam mutationem in Norvegia et Suecia agricolæ sæpe obtinent: Societas Agriculturæ in Bavaria similes aliarum frugum mutationes obtinuit. Cf. Daniel (Geogr. t. 1. pag. 201.).

sed sæpe varietates specierum; quare artificialis et naturalis classificatio non semper conveniunt. Limes enim inter speciem a natura et proprietatem hæreditariam aliunde productam valde obscurus est. — His præmissis:—

Arg. *Ex Scriptura.*—1. Ideo "quod homo non erat, qui operaretur terram" (Gen. ii. 5.), Deus formavit homines simpliciter, non *alium* hominem ideoque vocatur Adam *homo* — "*Faciamus hominem*" (Gen. i. 26.), ut totam terram replerent et sibi subjicerent: "et replete terram et subjicite eam" (Gen. i. 28.).—*Atqui* hæc evidenter demonstrant ante Adamum non fuisse alios homines, ideo primos homines Adam et Evam fuisse creatos, *ut ex ipsis* repletio terræ, seu populus totam terram incolens, oriretur atque ita ut illi totam terram sibi subjicerent. *Ergo* ex Adam et Eva totum genus humanum descendit, ita ut illi fuerint primi homines primique omnium parentes.

2. Ex formatione Evæ in specie.— Gen. ii. 18.: "Adæ vero non inveniebatur adjutor similis ejus," ideoque formata Eva est, et facta est "mater cunctorum viventium" Gen. iii. 20. *Atqui* hoc manifeste probat, non fuisse alios homines similes Adamo, ut possent ei esse adjutoris, ideo omnium viventium matrem factam fuisse Evam. *Ergo* non exstiterunt præter Adamum alii homines, et Eva sola fuit prima omnium hominum parens.

3. S. Paul. docet—*a*) omnes homines mori, quia *b*) omnes in Adamo peccaverint (Rom. v. 12.), ideoque *c*) Christum alterum Adam omnes redemisse (I. Cor. xv. 22. et 45.), *d*) diserte dicit (Act. xvii. 26.): "Fecit [Deus] ex *uno* genus hominum inhabitare universum. *Ergo* Apostolus docet mortem universalem ex Adamo, peccatum omnium secundum originem ex Adamo, Christi redemptionem omnium universalem, eo quod alter Adam fuisset, denique omne genus ex Adam incepisse.

Arg. *Ex Patribus.*—Lactantius (l. 6. Instr. c. 10.) docet, illicitum odium alterius hominis ideo quod consanguineus, consanguineus autem, quod omnes ex Adam. S. Aug. (Tract. 9. in Joan.): "In ipso exordio Adam et Eva parentes omnium gentium erant, non tantummodo Judæorum." Idem, S. Ambros. (de Paradis. n. 48.), S. Hieronym. (l. 16. in Isa.), S. Joan. Chrysost. (Homil. de Perfect. Charit.), S. Theodoret. (l. 3. Therap.) etc.

ARG. *Ex Ratione.* 1. *Ex Physiologia.*

a) Plures Naturalistæ argumentantur ex altitudine corporis, (ut notat Figuier) (The Human Race, p. 28.), contra unitatem specificam: Patagonii generatim 1m. 73c., homines silvestres (Bushmen) 1m. 31c., qui sunt limites ex utraque parte. *Atqui* in omni populo individua sunt ad utrumque limitem vergentia nec tamen specie differunt. *Ergo.*

b) Generatim arguitur ex colore. *Atqui* neque hoc valet, quia in omni populo sunt individua, quæ plus minus accedunt ad alios colores; inter albos imprimis versus colorem nigrum;* præterea ipsi populi quo magis ad partes ~~occidentales~~ australicas vergunt, eo magis accedunt per varios gradus ad colorem nigrum. *Atqui* talis accessio ad illas regiones accidentalis est, et quemadmodum clima in alia viventia—plantas, animalia—agit et magnas mutationes producit, ita etiam supponendum est, aliquam mutationem producere in hominibus. *Ergo.*

Quamvis, ut notat Figuier (The Hum. Race, p. 502.), homines albi inveniantur in Centro Africano, in Soudan, Sahara, dum nigræ tribus existunt in regione admodum frigida, ut Van Diemen's Land et New-Zealand; præterea Làpones subnigri prope Islandos et Norvegianos albos; in California aborigines tribus nigræ:—*experientia* tamen sufficienter probat actionem solis in hominis cutem; accedit ad hanc actionem commoratio fere continua sub divo, in cavernis et tentoriis fumo impletis etc. Accedit, quod etiam in homine albo pars nuda et pars vestibus contecta differunt quoad albedinem; mulieres denique inter albos sæpe subflavæ sunt, suntque partes cutis cum pigmento nigro. — Quod autem niger non fit albus, falsum est, quum exempla prostent, nigros (a nativitate) factos fuisse albos, et in aliquibus regionibus nigri nascuntur colore subalbo qui intra octo dies transit in nigrum.

c) Inter qualitates spirituales Nigritarum et Alborum nulla differentia specifica apparet, e contra convenientia. *Ergo.*—Nam *a*) Nigritæ et Mullatones optima utuntur memoria, ut possint varias linguas facile discere, v. g., loquuntur Anglice in America, Hispanice in America

* "The black color resides in an oily, greasy principle, termed '*pigmentum nigrum*,' which is deposited in a layer in the mucous tissue on the cuticle. This penetrates into the hair, dyeing it black, and diffuses itself throughout the entire system even to the membranes surrounding the brain. This black mucous net-work appears to protect the skin from the violent action of an African sun and preserves it from those inflamations, which are called sun-strokes in our climate." Figuier (The Hum. Race, p. 502.)

Occidentali, in Africa (Occidentali hollandice et germanice, arabice, koptice, etc. Figuier (The Hum. Race p. 512.) — *β*) Sunt inter ipsos individua, quæ plurimos superant Albos ingenio, v. g., *Duces* (in bellis) Toussaint Louverture, Christoffe, Dessalines, etc. Blumenbach refert multa nomina Nigritarum illustrium inter quæ Jacob. Captain, qui opera theologica conscripsit latine et hollandice.—*γ*) Amant cantum, musicam etc.—*Atqui* hæc probant, non esse specificam differentiam inter utramque stirpem. *Ergo.*

d) Possunt inter se matrimonia inire satis fertilia, et gignere descendentium prolem magnam. *Ergo.*

Nota. "Crossing with the White gradually diminishes the Negro's color, and in proportion to the preponderance of black or white in its progenitors, the offspring presents various gradations of complexion. The following are the names which according to Valmont de Bomaire are given in the colonies to the issue of the union of the two races: 1. The child of a white man and a Negress, or of a Negro and a white woman, is called a *mulatto*, who is neither black nor white, but of a blackish yellow hue, and who has short and frizzly black hair. 2. The offspring of a white man and a mulatto woman, or of a Negro and a mulatto woman, is termed a *quadroon*, who, as regards color, is a mixture of three-quarters white with one-quarter black, or three-quarters black with one-quarter white. In the first case the complexion is fairer; in the second, darker than that of a mulatto. 3. A white man and a fair quadroon, or a Negro and a dark quadroon produce an *octoroon*, seven-eighths white and one-eighth black, or seven-eighths black and one-eighth white. 4. The child of a White and an octoroon, or of a Negro and a dark octoroon, is in the one case almost entirely white, in the other, nearly quite black.

"Valmont de Bomaire adds, that in succeeding mixed generations (the union with the white man taking place in Europe, and that with the black man, in Senegal) the complexion would grow lighter or darker, until at last a white or a black being was brought into the world. Such is the course of physical influences and the causes of deterioration or relapse in the color of the human species. Only four or five generations of mixed blood are required in order to render the Negro stock white, and no more are wanted to make the white black. The union of a mulatto with a quadroon or octoroon woman will produce, as may be understood, other hues, approaching to white or black in proportion to the progression described above. The progeny of a black and a quadroon is termed "saltatras" in the colonies; the word signifies "a leap-backwards" or a return towards the black race.

"Crossings of the Negro with individuals of the Yellow or Red Races, with Asiatic Indians or American red-skins, beget offspring of varied shades of color, bearing different designations according to the countries." Figuier (Op. cit. p. 502.)

2. *Ex Geographia et Historia.*

Ethnographi nobis populos exhibent ita inter se convenientes secundum traditiones, ut debeant assumi ab una stirpe descendisse. Cf. Luecken (Traditiones Generis Humani). Præterea geographica insu-

larum distantia nullum impedimentum propagationis offert, ut nunc satis patet.—Historice vero descensus omnium populorum ab Adamo et Eva nobis exhibetur in Weiss (tom. 1. pag. lxi. Histor. Univ.): *"Tabula gentium Genesis, Die Voelkertafel der Genesis."*

3. *Ex Lingua.*

Arg. Omnis lingua potest addisci ab omni populo, etiam a Nigritis (vide supra), idque adeo, ut si omnes convenirent, unam omnium linguam debere esse, omnes certe hanc possent addiscere. *Ergo* constat, si nunc diversæ sunt linguæ, hoc non ex defectu facultatis esse, sed ob alias rationes.

Cfrm. Nulla species animalis assumit modum clamandi etc. alterius speciei, quasi forsan una possit imitari alias species; unaquæque enim habet proprium speciei instinctum. *Atqui* homo non tantum imitatur mechanice, sed proprias sibi facit aliorum linguas, quumque in lingua exprimatur tota vita interna, illam quoque assumit. *Ergo.*—Diversitas vero linguarum nititur in facto divino, i. e., in confusione Babylonica.

Principia ad difficultates solvendas.—1. *Contra Peyrere.*

Primo tempore, initiis humani generis, matrimonium inter fratrem et sororem necessarium erat. S. Scriptura non omnes filios Adam et Evæ refert, sed tres tantum — Cain, Abel, Seth — nullam vero filiam; præterea Gen. v. 4.: "Et facti sunt dies Adam postquam genuit Seth octingenti anni; genuitque filios et filias;" Seth vero natus est post 130 annos, intra quos 130 annos Cain et Abel tantum nominantur. Certum igitur est intra illos annos fuisse multo plures filios Adam et Evæ, nepotes, pronepotes, etc. Unde relate ad Cain, — ejus fuga, timor ne occideretur a fratribus propter Abel, fundatio urbis, i. e., loci majoris, muris et mœniis circumdati, etc. explicari facile possunt.

2. *Contra Winchell.*— Poterant Æthiopes descendere ab Adam, si a) imprimis facile ex colore albo transitus ad nigrum per Solis actionem fit, ut patet experientia; quum enim familiæ albæ resident inter negros, et ipsæ nigrescunt. b) Præterea, primis temporibus generis humani, tales mutationes facilius ortæ sunt, quum vita esset prorsus alia, alia fertilitas, duratio, essetque destinatio ad omne clima, omnem regionem etc. Postea vero, quum modificata omnia essent regione, victu, climate, pa-

tet non posse esse eundem transitum. Quoniam igitur homo animal est quasi universale, magis etiam receptivus est, quam omne aliud animal, quumque pendeat a multis causis externis, immutationes receptas constantius retineat ac transmittat, facilius stirps oriri potuit quam in aliis animalibus. Comparetur denique diversitas in familia humana cum diversitate familiæ avis. Pulli avium easdem plumas, eandem magnitudinem etc. habent; non ita liberi in familia, qui diverso quandoque colore, magnitudine etc. nascuntur. Est igitur humana natura multo magis variabilis.

3. *Contra reliquos.* — Multi Paganorum mythi ponunt primos suæ gentis homines fuisse aborigines seu *autochthones*. Duplex hujus verbi sensus: *aut* sunt orti ex illa terra, non descendentes per generationem— is sensus absurdus; *aut* fuerunt primi occupantes, vel tales, qui ex tempore immemorabili terram possiderunt; is sensus rectus et bonus. — Illi, qui ponunt, stirpem quamque habuisse suam familiam, statuunt factum aliquod historicum, quod documentis historicis probare debent; sed talia non sunt. *Ergo.*—Reliqua patent ex argumentis.

ARTICULUS VI.

DE HOMINE UT EST IMAGO DEI.

Quamvis Deus mundum creaverit propter se, hominem tamen induxit in mundum, ut tanquam vicarius suus mundum sibi subjiceret (Gen. i. 28. 29.), et suo loco regeret.* Docet præterea Diogenes, teste Plutarcho (lib. de Tranquill. Animæ, et l. 1. de Monarchia), mundum esse quasi templum Dei sacrum et pulchrum, in quod homo inductus ut antistes (Lactant., l. de Ira Dei c. 14.: "homo divini templi antistes") et sacerdos, qui oret pro creaturis, gratias agat, sacrificet ex creaturis. (Cf. a Lap. in Gen. i. 26.). Hinc et "in veste póderis [quod Aaron tanq. summus pontifex habebat] totus erat orbis terrarum" Sap. xviii. 24. (Cf. Exod. xxviii. 6.). Creavit autem Deus hominem ad imaginem suam. Imago vero duplex: altera naturalis, quæ immediate et per se creationi respondet; altera supernaturalis, quæ per se justificationi (sive conjunctæ cum creatione sive separatæ) respondet.—Hinc

A. DE NATURALI IMAGINE.

PROPOSITIO VII.

Imago Dei naturalis homo totus, non anima tantum est; ita tamen, ut in anima sit imago Dei per se, in corpore vero per derivationem. (Petav.)

St. Q. 1. Deus creavit hominem ad "*ad imaginem et similitudinem.*" Anthropomorphitæ putabant, hominem secund. corpus esse imaginem, unde Deum statuebant corporeum. Oleaster et Eugubinus (in Cosmopoia) docebant, Deum Filium induisse formam humanam secundum quam formaret. Tertullian. (de Resurr. Carn. c. 6.) docet Ada-

*Hominem omnia regere, graphice describit S. Ambros. (Ep. 38.): "Recte ergo postremus [homo] quasi finis naturæ formatus ad justitiam, inter cetera animantia justi arbiter . . . . . Recte ergo novissimus, quasi totius summa operis, quasi causa mundi, propter quem facta sunt omnia, quasi omnium habitator elementorum. Inter feras vivit, cum piscibus natat, super aves volat, conversatur cum angelis, terram inhabitat, et cœlo militat, falcat mare, aere pascitur; cultor soli, viator profundi, piscator in fluctibus, in aere auceps, in cœlo hæres, cohæres Christi."

mum in eum typum formatum, in quo Christus venturus sit, et hac ratione imaginem Dei esse." Simile quid Prudent. (in Apotheosi).

2. "*Imago* et similitudo.*" Alii distinguunt, imaginem reponentes in corpore (S. Iren. l. 5. c. 6.: "caro plasmata secundum imaginem Dei"), similitudinem in spiritu (item S. Iren. l. c.).—Plures imaginem, *naturalem* vitam; similitudinem, *supernaturalem* censent. S. Basil. (Hom. 10. in Hexæm.), S. Hieron. (in Ezech. xxviii.), S. Chrysostom. (Hom. 9. in Gen.), S. August. (l. cont. Adimant. c. 5.), S. Bernard. (Sermo 1. de Annunt.): "Imago in gehenna uri potest, similitudo non." Alii censent, esse Hendiadyn., i. e., ad imaginem similitudinis = ad imaginem simillimam. (A Lapide in loc. hunc): ita et Sap. ii. 23; præterea Gen. ix. 6., Gen. v. 1., ubi modo unum, modo alterum solum adhibetur.

Pars I. *Homo totus est imago* naturalis.

Arg. 1. Homo est imago naturalis, si ut sic immediate ex creatione procedit. Creatio enim ab ordine naturali requiritur, hinc naturalis est. *Atqui* ita procedit, ut patet ex historia creationis (Gen. i. 2.). *Ergo.*

Arg. 2. *Homo totus* (non secundum animam tantum).—Is est imago, qui in formatione intenditur ut imago, et formatur ut imago. *Atqui* intenditur ut imago homo totus: "*Faciamus hominem ad imaginem etc.*," et quod intendit, exequitur Deus formando corpus etc.; et postea asseritur, opus ita fuisse perfectum Gen. i. 27., v. 1.; ix. 6.: "Quicumque effuderit sanguinem humanum, effundetur sanguis illius; ad imaginem quippe Dei factus est homo;" unde et Evæ est facta secundum imaginem Dei, quod negavit Theodoretus. Cf. a Lapide (in Gen. i. 26.). *Ergo.*

Pars II. *Præcipue et primarie in anima.*

Arg. Anima est in summo rerum gradu, in quo est Deus et angelus, i. e., in natura intelligente, spirituali. *Ergo* est Deo similis (licet analogice) sub respectu speciei. *Atqui* est præterea facta a Deo in eadem specie analogica. *Ergo*, quum hoc utrumque requiratur ad rationem imaginis vivæ, ut sit producta in similitudinem speciei, sequitur esse immediate imaginem Dei.

* *Imago* in Heb. צלם (tselem), צל (tsel), *umbra;* hinc Ps. xxxviii. 7.: "In imagine [betselem] pertransit homo." Sensus igitur "ad adumbrationem similitudinis."

Reponitur vero ratio imaginis in anima *a*) *secundum essentiam*, quia est spiritualis, definitive existens etc.; *b*) *secundum facultates*—intellectum et liberum arbitrium, quibus agit simili modo sicut Deus; secundum intellectum enim *est quasi omnia*, secund. liberum arbitrium participat dominationem Dei. *c*) *Secundum operationes* est imago quædam SS. Trinitatis; potest facere Deum in ordine naturali intentionaliter existentem, in ordine supernaturali per illapsum essentiæ divinæ in intellectum, ut ita participet ipsam vitam Dei.

Pars iii. *Etiam secundum corpus*—licet derivative.

Arg. 1. Gen. i. 26.: "Faciamus hominem ad imaginem nostram, ut præsit piscibus etc." *Atqui* hæc præsidentia, seu hoc dominium, non est totum in anima, sed etiam *derivate* in corpore, quum non anima sola, sed anima cum corpore et per corpus regat corporalia. *Ergo.*

Arg. 2. S. August. (lib. 83. QQ. q. 51.): "Corpus hominis ..... quia tale est, ut ad contemplandum cœlum sit aptius, magis in hoc ad imaginem et similitudinem Dei, quam cætera corpora animalium, factum jure videri potest." Potho Prumiensis (Cf. Petav. Hexæm. l. 2. c. 2.): "Exterior hæc domus imago est interioris domus; interior vero domus imago est illius, quod in mente divina continetur" (lib. 1. de statu dom. Dei sub finem).—*Ergo* corpus dicitur imago animæ; hæc, imago Dei. *Atqui* quod est imago imaginis, est etiam imago prototypi, licet non immediata, sed pro natura sua secundum derivationem. *Ergo.*—Joann. Damasc. (in Eclogis) docet, carnem ex pulvere in imaginem formatam.—Eurysius Pythagoreus (in lib. de Fortuna) docet "Opificem seipso utentem exemplari fecisse hominem; tabernaculum autem [i. e. corpus] ceteris simile, utpote ex eadem materia conditum; verum ab optimo elaboratum artifice, qui illud molitus est, exemplar adhibens seipsum."

Reponunt vero Patres rationem imaginis in recta statura, in regia vultus dignitate, in organis linguæ adaptatis, in manuum aptitudine. Cf. Greg. Nyss. (de Hominis Opific. c. 8.).*

* Anaxagoras dicit hominem omnium animantium sagacissimum, quod *manus* habeat. Aristoteles vocat manum *instrumentum instrumentorum*, universale quoddam, quod homo per manum plures artes capere posset; natura enim agit ut prudens homo, qui ei dat tibiam, qui tibia canere potest; ita a pari homini dat manus. Cf. Petav. (Hex. l. 2. c. 4. n. 8.).— Quum igitur homo sit tam mirifice formatus, vocatur ab Euryphamo Pythag.: "*Oculus universitatis.*" Cf. Pet. (Hex. l. 2. c. 2. n. 4.)

B. DE SUPERNATURALI IMAGINE.

Summa quaedam.

Omnis imago tendit ad similitudinem protótypi; unde si est viva, suis actionibus similitudinem acquirere debet: circumstantiæ vero, in quibus posita est, vocantur ejus status.—Hinc *de statibus.*

1. Definitio Status. *"Est conditio vitæ stabilis."*

2. Divisio. Secundum tria elementa, quæ ad statum concurrunt, varia divisio; sunt autem tria illa momenta: *a*) *terminus* seu *finis ad quem; b*) *principium quod*, seu *natura*, quæ tendit; *c*) *tendentia ipsa.*

a) Secundum terminum, qui est vel *finis ultimus*, vel *finis intermedius* —hinc status *simpliciter* totius vitæ, vel status vitæ *secundum quid*, v. g., status religiosus, matrimonii.—*Agimus de priore.* *Finis ultimus* aut est finis supernaturalis aut naturalis; hinc et status vel naturalis vel supernaturalis. Finis denique aut consideratur ut comparatus et possessus, aut ut comparandus; prior est status *termini*, alter status *viæ.*—*Agimus de statu viæ.*

b) Secundum principium seu naturam.—Natura, ut tendens ad finem naturalem ultimum, *aut* habet tantum naturalia—quoad essentiam, facultates, activitatem cum debito Dei concursu et providentia, ita ut tantum careat peccato et dono indebito; *est status naturæ puræ: aut* habet præterea omnia illa tali modo in se ordinata, ut nulla sit oppositio, concupiscentia etc., hinc ut sit perfecta subjectio, sicut in civitate perfecte instituta, omnium viget concordia; *est status naturæ integræ.*—Natura tendens ad finem supernaturalem eget principio supernaturali sibi superaddito; *status naturæ elevatæ.*

c) Secundum tendentiam ipsam.—Si natura in statu vel puræ naturæ vel integræ naturæ sine ullo malo morali sit, est recte ad finem ultimum ordinata. Hæc rectitudo vocatur *justitia* originalis naturalis. Ad finem supernaturalem, seu elevatum supra naturam, debet ipsa natura esse elevata per aliquod superadditum et ita recte ordinari. Hoc fit per donum superadditum, quod vocatur justitia originalis supernaturalis; quumque de hac potissimum sermo sit, vocatur simpliciter justitia originalis.*

* Justitia duplici modo sumi potest: *vel ut virtus*—est habitus inclinans hominem ad suum cuique reddendum, est enim virtus jus conservans; *vel ut status*, in quo quis est recto modo ad finem respectivum ordinatus. Ita sumitur hic.

Justitia originalis est aut adæquata, aut inadæquata. Prior* intelligitur principium ordinans proxime animam, seu nova illa forma vitæ supernaturalis cum virtutibus connexis, quæ in illa radicantur, et præterea dona hominem ad intra ordinantia, ut corpus animæ, pars sensitiva intellectivæ parti, totus denique homo Deo sit subjectus. *Inadæquata* intelligitur tantum forma ad Deum ordinans, seu gratia sanctificans cum virtutibus connexis; quare a priore distinguitur, sed *inadæquate* tantum.

Duplex genus adversariorum: alii negant dona supernaturalia in protoparentibus, ut Pelagiani, Sociniani, Rationalistæ; alii statuebant, dona supernaturalia hominibus data, sed ex debito: unde censebant ex amissione per peccatum naturam læsam. Lutherani, Calvanistæ, Bajus, Jansenius, etc.

DE EXISTENTIA DONORUM SUPERNATURALIUM.

PROPOSITIO VIII.

Constat ex Ecclesiæ documentis, duplex donorum genus in homine accurate *distinguendum: prius, donorum supernaturalium, quæ sint indebita naturæ et gratuita, nec naturalibus viribus comparabilia; alterum, donorum naturalium, quæ sint debita, vel comparabilia naturaliter.*

Arg. 1. *Ex Patribus.* — Patres accurate distinguunt naturalia et supernaturalia 1. secundum originem, 2. secundum inhærentiam, 3. secundum efficientiam. *Ergo.*

Prob. Ant. quoad partes.—1. *Secundum originem.*

Patres docent *a*) venire dona supernaturalia ab extra, postquam natura est jam constituta; *b*) causam efficientem donorum naturalium esse creationem, supernaturalium esse justificationem; *c*) non ex naturæ debito vel merito, sed solum gratuito. *Ergo* docent quoad originem, sive physicam, sive ethicam, supernaturalia ita distincta a naturalibus, ut dum hæc pertineant et lateant in natura, supernaturalia nullatenus in ea lateant.

Prob. Ant. a) Docent venire ab extra supernaturalia. S. Basil. (l. de Sp. S.) docet de angelis—consequenter de anima humana: "Sanctifica-

*Status justitiæ originalis vocatur *simpliciter* status innocentiæ, quod non tantum peccato careret, sed et *pœnalitate* omni—hinc *innocentiæ paradisicæ.*

tio, quæ est extra substantiam (ἔξωθεν τῆς οὐσίας), sanctitatem eis adjungit per Spirit. S.; præterea (Hom. in Ps. xxxii.) docet, nullam creaturam sanctitatem adipisci, nisi per Spiritus præsentiam.—Damascen. (l. 2. c. 3.): "Angelos, ait, sanctificationem ἔξωθεν τῆς οὐσίας habere." —Cyrill. Alex. (cont. Anthropomorph. c. 7.) vocat dona illa [supernat.] "ὑπερκόσμιον κάλλος." — Distingunt præterea PP. inter dona *adventitia* et *non adventitia*. Greg. Nasianz. (Orat. 36. cont. Arian.): "Non enim velut adventitia [ὡς ἐπίκτητα] ei [Christo] tribuemus hæc dona, sed ut talia, quæ ipsi a principio cum Patre adfuerint, non ratione *gratiæ* sed *naturæ*." Opponuntur ergo bona *gratiæ* et bona *naturæ*; quæque pro nobis bona gratiæ non naturæ sunt, hæc pro Christo bona naturæ sunt. —Simili modo Cyrill. Alex. distinguit lucem substantialem Christi et lucem in creaturis *superventitiam*, quia creaturæ naturaliter tenebræ sunt.

b) *Causa donorum naturalium, creatio; supernat., justificatio.*

S. Aug. (Ep. 194.): "Non istam gratiam commendat Apostolus (Rom. iii. 24.), qua creati sumus, ut homines essemus, sed qua justificati, quum mali homines essemus." *Ergo* docet, quamvis et creatio sit quædam gratia, quum non præcedat meritum nostrum, aliam tamen gratiam esse justificationem. Iterum (Epist. 178. ad Innoc.) docet: "Etsi quadam non improbanda ratione dicitur gratia Dei, qua creati sumus . . . alia tamen est, qua prædestinamur, justificamur, glorificamur . . . . Hanc apostolica doctrina gratiam non immerito isto nomine appellat . . . . Illam vero gratiam, qua creati sumus homines, etiam si ita appellandam non immerito intelligimus, mirum est tamen, si ita appellatam in ullis legitimis prophetis, Evangelicis, Apostolicisque literis legimus." Ergo duplex gratia, naturalis ex creatione magis improprie, et supernaturalis ex justificatione vere et proprie.

c) *Non ex naturæ debito vel merito.*

S. Fulgentius (de Incarn. et Grat. c. 24.): "Ita fit, ut homo fidem habere possit, sed eam nisi ex dono Dei habere non possit. Non enim consequens est, ut omnia, quæ habere possumus, etiam ex nobis habere possimus."—Negant PP. hæc dona esse in potestate hominis. Prosper (adv. collat. c. 25.) Cassianum reprehendit, quod asseruerit, "religiosas cogitationes et sancta consilia de naturali posse prodire sapientia." S.

Basil. (in Ps. xxxiii.) dicit, non in hominis potestate, sed in gratia Dei consistere salutem.—Præterea dona illa vocant simpliciter gratiam, quæ dentur gratuito, non ex operibus. S. Hieron. (2. Dialog. c. Pelag.), Cæsar. (in 1. Dialog.), S. Cyrill. Alex. (l. 4. c. Nest.). Maxime S. Paul. (Rom. ii. 6., II. Cor. vi. 1., Gal. i. 15. et v. 4., I. Cor. xv. 10., Tit. iii. 7.). *Ergo* docent PP. nec in essentia, nec in facultate naturali, vel physice vel meritorie hæc dona supernaturalia latere.

2. *Secundum inhærentiam.*

PP. docent, ita inhærere dona supernaturalia, ut hæc amitti, dona vero naturalia amitti non possint. Cyrill. Alex. (cont. Anthrop. c. 3.): "Nihil amisimus eorum, quæ substantialiter nobis insunt, quum autem nos sanctificatio et justitia in Deum transformat, eos, qui non amplius virtuose videbant, dicimus hanc... eximiam pulchritudinem amisisse." —*Ergo* distinguuntur amissibilia a non amissibilibus; hæc, non autem priora, substantialiter insunt ita ut ad substantiam pertineant. Similiter Dionys. (Nom. Div. c. 4)—Evolvitur magis in tractatu *de Gratia.*

3. *Secundum effectum.*

Docent PP. conditionem hominis ex donis natural. esse conditionem *servi*, ex donis supernaturalibus esse conditionem filii. Cyrill. Alex. (Joan. l. 1. c. 1. v. 12.): "A natura *censemur effecta serva* [πεποιημένη καὶ δούλη κτίσις.] ... per gratiam supra naturam evecti nanciscimur præstantiam filiorum Dei." Idem (v. 13.) docet, exuta propriæ naturæ vilitate, gratiæ patrocinio nos vocatos in adoptionem filiorum Dei. Idem Cyrill. Hieros. (Catech. 7.) et S. Athan. (contra Arian. Or. 2.).

Docent insuper PP., donis supern. contineri *deificationem*, assimilationem et unitionem cum Deo, familiaritatem cum Deo: "*Dii secundum gratiam*"—θεοὶ κατὰ χάριν. Basil. (de Spir. S. c. 9.): "Hinc [ex donis Spirit. S.] gaudium nunquam finiendum, hinc in Deo perseverantia, hinc similitudo cum Deo, quo nihil sublimius expeti potest, hinc est, ut Deus fias." (Ep. 141.) docet homines secundum gratiam vocari Deos. Athanas. (de Incarnat. Verbi): "Filius humanam assumpsit naturam, ut nos Dei efficeremur." Damasc. (l. 2. c. 12.): "Deus hominem creavit accessu ad Deum deificandum, deificatum vero participatione divinæ illuminationis, non vero in essentiam divinam mutatum." De hac deificatione Dionys. (de Hierarch. Eccl. c. 1.)

Jam vero natura sumus homines; *ergo* posita infinita distantia inter

divinam naturam et humanam, dona, quibus acceditur ad divinam naturam, necessario debent excedere totam naturam humanam, tam quoad essentiam, quam exigentiam; tam quoad facultatem producendi quam merendi.

Arg. 2. *Theologi Scholastici* distinguunt eadem dona supernaturalia a naturalibus. Etenim—*a*) movetur quæstio, num Adam *post* creationem acceperit illa dona, an *simul* in creatione? S. Bonav. (in 2. dist. 39. q. 2. de angelis) supponit *post* creation.; S. Thom. (1. q. 95. a. 1.) supponit *simul*. *Ergo* supponunt distinctionem, duplicemque ordinem donorum statuunt, naturalem et supernaturalem.

b) Quoad originem donorum, distinguit S. Thom. (1–2. q. 109. a. 1.) naturale lumen cognitionis etc., quod fit a Spiritu S. ut infundente, a supernaturali, quod fit a Spiritu S. ut inhabitante.

c) Distinguunt dona *naturalia* ut *debita*, *supernaturalia* ut *indebita*. S. Thom. (1–2. q. 111. a. 1. ad 2.): "Potest intelligi duplex debitum: unum quidem ex merito proveniens, quod refertur ad personam, cujus est agere meritoria opera. Aliud est debitum secundum conditionem naturæ, puta, si dicamus debitum esse homini, quod habeat rationem et alia, quæ ad humanam pertinent naturam .... Dona igitur naturalia carent primo debito, non autem carent secundo debito, sed dona supernaturalia utroque debito carent et ideo specialius sibi nomen gratiæ vindicant."

d) Docent posse supernaturalia amitti, non autem naturalia. S. Th. (1. q. 95. a. 1. c.)

e) *Secundum effectum*. S. Bonav. (in 2. d. 29. a. 1. q. 1.): "Quod Deus immensus habitare velit in anima ut in templo, quod iterum velit servum reputare pro filio, quod ancillam suam assumere velit in conjugem, hoc nemo dubitat, esse meræ gratiæ ... seu per donum gratiæ superadditum."

Ergo conveniunt Scholastici cum Patribus. Distinguunt enim dona *supernaturalia* a *naturalibus*: priora dicunt superventitia; aliam habere causam, i. e., *Spirit. inhabitantem*; non latere in natura, nec secundum debitum, nec secundum meritum; ita inhærere substantiæ, ut possint amitti; per illa dona elevari animam supra semetipsam ad novam vitam.

Arg. 3. Ex propositionibus Baji et Quesnelli condemnatis.

Bajus (Prop. 21.) docebat, exaltationem ad consortium divinum fuisse naturæ debitam, hinc non supernaturalem :—condemnata propositio; hinc contradictoria vera est.

(Prop. 23.) absurdum, docet, dicere hominem initio supernaturali dono exaltatum ad Deum supernaturaliter colendum : — condemnata prop.; *ergo.*

(Prop. 24.) a vano homine inventum docet, fuisse per dona naturæ superaddita hominem ab initio in filium Dei adoptatum :— condemnata sententia; *ergo.*

(Prop. 26.) docet, integritatem primæ creationis . . . fuisse homini naturalem :—condemnata sententia ; *ergo.*

Quesnellus (Prop. 35.) docet: "Gratia Adami . . . . erat debita naturæ sanæ et integræ:"—damnata sent. ; *ergo.*

(Prop. 37.): "Gratia Adami sanctificando illum in semetipso *erat illi proportionata:*"—damnata ; *ergo.*

Accedunt prop. damnatæ Synodi Pistoriensi 16. et 17. de eadem re.

DE NATURA ORDINIS SUPERNATURALIS.

Nota. Duplici via solent Theologi inquirere in naturam ordinis supernaturalis: vel procedendo ex fine, qui est accessus ad Deum ; vel procedendo ex oppositione ad naturam, quæ via præfertur tum quia nomen indicat (supra naturam, tum quia notior natura. Cf. Franc. de Lugo, Theol. sch. (l. 1. Disp. 7. c. 1.)

PROPOSITIO IX.

Recte supernaturale ponitur in eo, quod exsuperat totum naturæ ordinem, tum in individuo, tum in toto, sive quoad debitum,† sive quoad potentiam activam physice et moraliter (meritorie), sive quoad potentiam passivam in quantum perfectibilis† est in linea sua non elevabilis ad alium ordinem).*

* Debitum naturæ est vel *ab intra*—essentia, vires; vel *ab extra*—Dei providentia, concursus, conservatio.

† Natura est substantia, in quantum principium activum et passivum : sub priori respectu, ut pars naturæ totius *agere* et pro se et in alios potest, v. g., angelus movere lapidem ; sub altero respectu *pati* ab aliis naturaliter potest, v. g., lapis naturaliter ab angelo movetur.

‡ Martin. Esparza (in Curs. Theol. S. Thom. vol. 1. l. 4. q. 6. a. 6.) distinguit duplicem modum implendi capacitatem naturæ, seu perficiendi naturam : *a) naturali mo-*

St. Q. 1. *Natura* (nasci, nativitas, natus, naturale — *φύσις, φύω*) originem dicit; unde naturale, quod cum origine conjunctum est. Aug. (Retract. l. 1. c. 15.), Arist. (Metaph. l. 5. c. 4.). — Potest vero origo considerari vel secundum factum, vel secundum principium producens: *sub primo respectu* potest nominari naturale, quidquid utcumque cum origine ex voluntate Dei conjunctum est, v. g., justitia originalis Adamo collata ut cum ipsa nativitate transiret ad posteros; *sub altero respectu* naturale est, quod juvat principium producens;—ita sumitur naturale in thesi.

2. Potest aliquid esse vel *supra*, vel *præter*, vel *contra* naturam.

a) *Supra* naturam, idque vel *absolute* vel *relative*. — *Absolute* supra naturam est, quidquid totum ordinem naturæ ita excedit, ut nulli creaturæ individuæ in complexu totius creationis vel necessarium vel utile (in sua linea) sit.— *Relative* supernaturale, quod licet alicui ordini superiori in natura proprium sit, tamen confertur inferiori ordini, cujus naturæ non convenit, v. g., si fieri posset, ut cogitatio conferretur lapidi.

b) *Præter* naturam est id, quod licet natura non exigat nec producere possit, nec ulla alia in toto naturæ ambitu, naturam tamen cui confertur, intra limites naturæ perficit, v. g., immunitas a concupiscentia, i. e., immunitas a lucta interna in principio vitali; immunitas a morbo et morte, i. e., immunitas a lucta in principio etc. materiali; scientia infusa, qua ignorantia pellitur etc. — *N. B.* Franc. de Lugo (l. 1. Disp. 8. c. 1.), Martin de Ripalda (de Ente Supern. l. 1. Disp. 1. n. 23.) vocant hoc *supernaturale secundum quid*, quum a solo Deo possit conferri.

Nota. Huc etiam miracula referenda, in quantum dijudicantur tantum ex termino miraculoso sub respectu naturæ. Hinc supernaturale simpliciter vocatur supernaturale secundum substantiam; alterum, supernaturale secundum modum.

do, b) *supernaturali modo*: prior implet tantum; altera implet et extollit; v. g., humana natura impletur per personalitatem humanam (naturaliter); sed potest etiam impleri personalitate Verbi; hæc personalitas Verbi non *plus* implet, sed idem implet *nobiliore* modo, sicut *aus* vel aqua vel alia substantia pretiosa impleri potest. Dona igitur supernaturalia perficiunt substantiam naturalem, sed *nobiliore modo*. Possunt igitur esse in natura: sed si insunt, habent alium finem non in natura contentum. Quia vero naturam etiam perficiunt, Patres quandoque *hæc dona supernaturalia* vocant *naturalia*.

c) *Contra naturam* sunt potissimum *peccata*.

Arg. 1. Ex Prop. præced.—PP. docent dona supernaturalia intra ambitum naturæ non contineri; posse amitti, ita ut natura maneat illæsa; effectum horum donorum esse ordinem, qui totam naturam excedat. *Atqui* hæc conveniunt cum thesi. *Ergo.*

Arg. 2. Illud, quod vel in exigentia naturæ individuæ, vel in potentia activa (producente aut merente), vel in potentia passiva (perfectibili in linea suæ naturæ) latet, vel in tota natura est, vel latet vel perficit in suo ordine, non est extra ordinem totius creationis, sed naturalem habet relationem ad naturam. *Atqui* supernaturale absolute totum ordinem superat. *Ergo.*

Arg. 3. Qualis finis, talis ordo rerum ad finem. *Atqui* finis (agimus autem de homine) potest esse supra omnem ~~creaturam~~ simpliciter. *Ergo* et ordo.

Prob. min. Homo, quum sit in summo gradu entium, habet Deum ut finem sibi naturalem, utique ut possidendum. Sed possessio naturalis hujus finis, quum sit ex parte hominis *finita*, potest supra se habere aliam possessionem, quæ obtineri naturalibus viribus non possit. *Ergo* si talis possessio Dei sit finis hominis, ordo rerum ad talem possessionem debet mutari, et hinc supra naturam elevari, seu esse supernaturalis.

Coroll. 1. *Ergo* falsa definitio: id est naturale, quod sensibus percipi potest; id supernaturale, quod sensus effugit. Profecto anima humana sensus fugit, licet naturalis sit.— Falsa præterea alia illa definitio, id naturale, quod per naturæ vires effici, id supernaturale, quod per illas fieri nequeat; anima enim humana a solo Deo fit.

Coroll. 2. *Ergo* falsa etiam norma Baji est, qua censet, illud *non* esse supernaturale, quod originem comitetur. Deus enim potest dona supernaturalia ita cum origine connectere, ut transmittantur ad posteros non vi productionis, sed vi voluntatis liberæ Dei, qua vult animam producere, et simul cum illa et in illa dona supernaturalia, ut in Beat. Virgine.

Coroll. 3. Falso etiam contendit Bajus (secundum propos. damnatas 1. 7. 9. 23. 24.), supernaturalia bona pro statu naturæ lapsæ esse naturalia bona pro statu naturæ innocentis.

Expl. Sumit Bajus eodem, quo Ecclesia, sensu supernaturale, ideo quod Christus Redemptor hæc dona attulisset, Christus vero redimere

homines non debuisset. Ideoque statuit fuisse bona indebita et supernaturalia pro statu naturæ lapsæ tantum, non pro statu innocentiæ. Sed falsa sententia, quum, ut S. August. (de Civit. Dei l. 12. c. 9.) testetur, et angelis in suo statu bona fuisse supernaturalia. *Ergo* et hominibus conferri illa bona supernaturalia poterant. — Concil. Arausic. (can. 19.) docet, gratiam habuisse etiam locum in natura integra. Denique damnatæ fuerunt propos. Baji 21. 23. 24. quibus negatur, supernaturalia fuisse ea dona, quibus primus homo fuit exaltatus.

Coroll. 4. Falsa etiam sententia Jansenii, supernaturale esse illud, quod operibus humanis comparari *non* possit, licet debitum sit naturæ vel conditioni naturæ. Nam quod naturæ est debitum, est etiam operibus debitum; et quod operibus est indebitum, est etiam naturæ indebitum, quia proprie naturæ per merita debitum est.

IN QUO SIT ORDO SUPERNATURALIS.

PROPOSITIO X.

Novus ordo supernaturalis in eo est, quod homines supernaturalis Dei imago constituuntur per adoptionem in filios—hinc et participes vitæ divinæ, ex quo homini jus existit visionis Dei ut Patris intuitivæ, et regni Dei tanquam hæreditatis.

St. Q. Filius duobus modis est, aut naturalis, aut adoptivus, ita ut adoptivo conferantur jura filii naturalis. Jam filius potest nondum habere possessionem sed jus tantum; vel jam tenere possessionem: si prius, potest adhuc exhæreditari; si alterum, licet habeat jam partem hæreditatis, tamen non cessat esse filius, imo vero magis est filius, quia est magis junctus *Patri*, *familiæ*, nec amittere filiationem potest.

ARG. Promittitur *a*) adoptio in filios. Gal. iv. 4. 5.: "At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum ... ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus." Cf. Rom. viii. 14. 15., Eph. i. 4. 5., Joan. i. 12. 13., I. Joan. iii. 1.

b) Per hanc adoptionem constituitur homo hæres Dei. Rom. viii. 7. 29.: "Si autem filii, et hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi .... qui primogenitus in multis fratribus." Cf. Gal. iv. 7., Coloss. iii. 24.

c) Hæreditas hæc est regnum Dei. Matth. xxv. 34.: "Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum." Cf. Matth. xix. 29., Apoc. iii. 21.

d) Promittitur visio intuitiva. I. Joan. iii. 2.: "Scimus quoniam quum apparuerit, similes ei erimus quoniam videbimus eum sicuti est." Non igitur sicuti nunc nobis apparet in creaturis. Cf. I. Cor. xiii. 10. 12.

Atqui a) si filii sumus *per adoptionem*, non sumus filii *per naturam; ergo* supra naturam.—Præterea, omnis creatura, hinc etiam homo, natura sua serva est; servus enim est, qui secundum se et opera sua est in possessione domini. *Atqui* filiatio supra statum servi, hinc adoptio in filium, est elevatio supra naturam. *Ergo* status filii adoptivi est supernaturalis.—*Nota.* Quamvis anima in naturalibus sit serva, novum tamen principium implantatur, quo participet vitam Domini, unde et ut particeps hujus vitæ Domini ponit actus vitales.

b) Servus non habet jus in regnum; neque enim conregnare, sed servire debet. *Atqui* homo ponitur hæres regni, cohæres Christi. *Ergo* non est in statu servi simpliciter, sed elevatus supra hunc statum: sed status servi est status naturæ. *Ergo.*

c) *Nomen hæreditatis* significat ex sese bona illa esse bona patris—quod idem significat *regnum Dei*. *Atqui* licet creatura possit ad participationem illorum bonorum vocari gratuito, tamen ex sese nullum potest habere jus in illa bona. *Ergo* jus in hæreditatem supra naturam est æque gratuitum. (N. B. de visione intuitiva postea).

Arg. 2. Patres distinguunt *a*) inter Deum ut conditorem, et Deum ut patrem; sub priori respectu fit creatura, sub altero respectu fit creatura jam existens filia *ex benevolentia*. *Atqui* quod ex benevolentia erga creaturam conditam fit, est gratuitum, et quod per adoptionem in filium fit, est extra ordinem naturæ. *Ergo* Deus ut pater producit alium ordinem, quam Deus ut conditor, i. e., ordinem supernaturalem.

Ad Maj. S. Athanas. (Or. 2. c. Arian. n. 19.): "Deus non solum eos homines facit, sed et filios dixit, tanquam si illos genuisset. Est autem Dei benevolentia, quod quorum sit conditor, horum postea per benevolentiam Patrem se faciat; quod tum contingit, quum creati homines, ut ait Apostolus, Spiritum Filii ejus clamantem Abba, Pater, in suis cordibus suscipiunt . . . nec enim alio modo possunt filii fieri, quum

ex natura sua sint creati, nisi Spiritum ejus, qui est naturalis et verus Filius, acceperint."

Distinguunt *b*) inter creaturam ut servum, cujus Deus Dominus sit, et filiam, cujus Deus Pater sit. *Ergo* docent statum filiationis esse extra statum creationis, hinc et extra statum naturæ. Cyrill. Alex. (Thesaur. l. 12. c. 15.): "Creatura serva est, et Creator Dominus; sed creatura quoque domino suo conjuncta a propria conditione liberatur et in meliorem traducitur .... Servi nos Dei sumus secundum naturam; ipse est Dominus.... Si ergo nos per gratiam Dei et filii sumus, erit Verbum Dei cujus gratia dii et filii Dei facti sumus, reipsa verus Filius Dei."

c) Docent hominem per adoptionem in filium quodammodo deificari. *Atqui* deificatio superveniens homini non est ipsi naturalis, sed supernaturalis tantum. *Ergo.*—S. August. (in Ps. lxxxi. 6.): "Manifestum est ergo, quia homines dixit deos, ex gratia sua deificatos ... Si filii Dei facti sumus, deificati sumus, sed hoc est gratiæ adoptantis, non naturæ generantis."—Basilius (l. de Spirit. S. c. 9.): "Spiritus S. unicuique capacium quum adsit quasi soli, omnibus sufficientem et integram gratiam infundit, non quantum ipsa natura possunt capere, sed quantum potest ille.... Hinc cum Deo similitudo, et quo nihil sublimius expeti potest, ut Deus fias."

Ad min. — Sunt supernaturalia, quia: *a*) homo, quantumvis donis naturalibus perficiatur, manet semper homo; *ergo* ut fiat quasi Deus seu ut deificetur, debet ornari donis supernaturalibus, i. e., divinis. *b*) Ut ad ordinem divinum elevetur homo, debet illa dona accipere, quæ Deo sunt propria. *Atqui* repugnat, ea bona, quæ Deo sint propria, esse naturalia creaturis. *Ergo* dona illa sunt supernaturalia.

De Visione Intuitiva.

Visio intuitiva definitur: "*cognitio terminata in essentiam Dei in se* (*non in alio*) *visam.*" Potest talis cognitio considerari aut ut necessaria naturæ, ut cognoscat (Ontologismus), vel ut homo beatus naturaliter fiat; aut ut non quidem necessaria naturæ, sed ut producibilis naturæ viribus. Jam non agitur de necessitate visionis intuitiva, quum on-

tologistica cognitio rerum in Deo sit damnata; sed de necessitate ad beatitudinem et de producibilitate naturali. Utraque rejicitur.

× Arg. 1. Visio intuitiva est fructus adoptionis in filium, quia filio tantum naturale jus est, videre patrem. *Atqui* adoptio illa supernaturalis est. *Ergo.*

Arg. 2. Matth. xxv. 21. promittitur bonis ingressio in gaudium Domini—"*intra in gaudium Domini tui*:" hoc autem gaudium Domini est beatitudo Dei. Unde ita: Gaudium Domini est beatitudo supernaturalis (comparata per gratiam, ut ex tractatu *de Gratia*). *Atqui* beatitudo spiritualis radicatur in beatitudine intellectus; beatitudo autem intellectus est in visione intuitiva Dei — summo actu, quem intellectus habere potest. *Ergo* beatitudo supernaturalis radicatur in visione intuitiva Dei, ideoque et hæc visio Dei supernaturalis est.

× Arg. 3. I. Joan. iii. 2.: "Similes ei [Deo] erimus, quia videbimus eum, sicuti est."—Unde ita: S. Joannes docet hominem deificari ex visione Dei (utique intuitiva; opponitur enim Deus sicuti est, Deo, sicut apparet). *Atqui* deificatio est supernaturalis. *Ergo* et visio intuitiva.

Ad Maj. Per intellectionem objecti, intellectus fit ipsum objectum in genere intentionali; assimilat enim se objecto: unde ex visione Dei assimilatur intellectus Deo.

Arg. 4. S. Dionys. (de Eccl. Hier. c. 1.): "Hæc salus iis, qui salvantur, nonnisi jam deificatis potest contingere. Est autem hæc deificatio Dei quædam, quoad fieri potest, assimilatio unioque . . . . sacræ veritatis visio, scientiaque simplicis perfectionis ejus, qui summe simplex est, divina participatio, fruitio intuitionis, quæ omnem sui contemplatorem spiritali modo reficit deificatque. Dicimus itaque Dei principalem beatitudinem, quæ natura Deitas est et principium deificationis, ex quo ii, qui deificandi sunt, deificantur divina bonitate."—Unde ita: Secundum hunc textum, deificatio est assimilatio et unio et visio Dei . . . *Atqui* deificatio est participatio quædam Deitatis (formæ, qua constituitur Deus), quæ tantum bonitate Dei homini confertur. *Ergo.*

PROPOSITIO XI.

Non creatæ tantum, sed creabili *creaturæ omni, adoptio in filium et visio intuitiva supernaturalis est.*

St. Q. Ponitur propositio, ut magis etiam innotescat, quid sit supernaturale.

Ripalda (de Ente Supern. disp. 22.) probat, licet huic *creatæ* naturæ adoptionem et visionem Dei intuitivam supernaturalem esse firmiter teneat, per omnipotentiam Dei absolutam possibilem et producibilem esse creaturam, cui adoptio etc. sit naturalis. Considerat autem physicam illam entitatem gratiæ, quæ superadditur naturæ, et lumen gloriæ, quod superadditur intellectui ut possit intuitive Deum videre, in physica sua entitate finita, non in dignitate neque relatione sua ad naturam divinam.—Arguit Ripalda ita:

Substantia . . . . . cum gratia sanctificante vel alio dono intrinsece supernaturali . . . . est adhuc finita. *Atqui* omne finitum Deo possibile. *Ergo.—Probatur Major.* Substantia sua simplici realitate æquivalens duabus realitatibus finitis, est per se finita. *Atqui* potest esse substantia, quæ æquivaleat realitati duplici, i. e., substantiæ alicujus et accidentis; anima vero est substantia et gratia sanctificans accidens et finita; quare illud, quod æquivalet utrique, finitum est. *Ergo.*

De adoptione in filium.

Arg. 1. Omnis creatura ex natura sua serva Dei est. *Atqui* repugnat servam esse simul filiam adoptivam ex natura sua. *Ergo.*

Prob. min. Servus est tum secundum se tum secundum actiones, jura, possessiones etc. pars possessionis seu dominii domini sui. *Ergo* ex sese et ex natura sua possidetur, non possidet. *Atqui* filius quamvis pertineat ad patrem, tamen simul habet jus ad possessionem ex natura. *Ergo* non potest esse simul servus.

Expl. Servus est *pars* possessionis domini, sicut et alia, v. g., animalia etc.: talis vero non potest habere jus in totam possessionem, ita ut compossideat cum patre. Si autem ex statu servitutis extollitur ad statum filiationis, etiam ad patrem pertinet, sed ut filius.

Arg. 2. Talis creatura pertineret natura sua ad statum angelorum.

Atqui angelus quantumvis ut angelus naturaliter perficiatur, manet angelus.—*Ergo.*

Cfrm. 1. Adoptio est juridica insertio in familiam. *Atqui* non apparet quomodo in natura possit esse hoc jus. *Ergo.*

Cfrm. 2. Filiatio enim, si esset naturalis, sicut intellectus naturalis animæ, esset natura filius; quodsi adoptio dicitur naturalis, deberet in natura esse naturalis dispositio ad illam formam, qua fit adoptio. *Atqui* naturalis dispositio ad aliquod divinum debet ipsa esse divina. *Ergo* deberet in natura jam esse aliquod divinum. *Atqui* non apparet, quomodo ipsa natura positivum illud divinum habere possit; omnis enim differentia evanesceret inter naturale et divinum, si divinum potest fieri naturale. *Ergo.*

De visione intuitiva.

Arg. Cognitio efficit, ut objectum existat in cognoscente ad modum cognoscentis — hinc existentiæ cognoscentis. *Ergo* inter modum existentiæ cognoscentis et inter objectum debet esse aliqua proportio. *Atqui* hæc proportio non tantum attingit objectum, sed existentiam objecti, v. g., num sit materiale vel spirituale etc. *Ergo* debet esse proportio aliqua inter existentiam subjecti cognoscentis et objecti cognoscibilis. *Atqui* inter modum existentiæ divinæ et existentiæ creatæ nulla est proportio, sed infinita distantia. *Ergo* Deus non potest existere ut objectum visum in intellectu cujusvis creaturæ.

Explic. Valet principium, *quidquid in altero existit, existit ad modum ipsius;* unde possibilitas, ut possit in altero existere ad modum ipsius; —hinc inter utramque existentiam debet esse aliqua relatio et proportio; v. g., animal potest videre omnia, quæ materialem habent modum existendi, ut *animalia, plantas, lapides, aquas, stellas*, etc.; ergo omnia, sive generice sive specifice diversa, modo habeant eumdem modum existendi; simili modo spiritus relate ad spiritualem modum existendi. Jam vero infinita Dei existentia non habet proportionem cum existentia angeli etc.; simplicitas Dei et simplicitas creaturæ cujuscumque non habent proportionem (univocam). Deus nimis quasi tenuis est, ita ut a nullo oculo videri possit, nisi lumen aliquod ad oculum illum accedat.

Resp. ad P. Ripalda, vid. supra in stat. quæst.

Aliud est per compositionem aliquid esse vel fieri, aliud per simplicem suam entitatem aliquid esse: prius non repugnat, alterum repugnat; quia deberet in simplicitate talem gradum supponere, quo cum simplicitate divina plane conveniret;—præterea, potest aliquid non repugnare per gratiam, quod tamen repugnaret per naturam;—videturque talis præterea excellentia in creatura repugnare, ut Deus amplius gratias conferre non posset.

PROPOSITIO XII.

Neque appetitus innatus neque elicitus adoptionis et visionis intuitivæ in humana natura existit; quamvis appetitus aliquis conditionatus et inefficax admitti possit.

St. Q. 1. *Appetitus* est cujuscumque rei inclinatio ad prosequendum bonum et fugiendum malum; estque vel habitualis, i. e., nihil aliud nisi potentia appetitiva; vel actualis, i. e., actus illius potentiæ.

2. Distinguitur præterea appetitus *innatus* seu *naturalis*, et *elicitus*. Prior est ordinatio naturæ ad bonum conveniens, nulla præsupposita cognitione—est quoddam quasi pondus naturæ; appetitus elicitus est actus sequens apprehensionem boni etc.

a) Appetitus *innatus* prævenit omnem actum apprehensivum, ideoque et communis est vitæ cognoscenti et non cognoscenti; est autem in se nihil aliud quam natura ut *ordinata* ad aliquod bonum. Jam vero ille ordo ad bonum potest esse vel simplex CAPACITAS boni alicujus, et tunc definitur: *potentia susceptiva boni alicujus;* vel est EXIGENTIA, et tunc definitur: *ordinatio essentialis ad bonum conveniens.* In priori sensu appetitus innatus sumitur *minus proprie;* altero sensu sumitur *proprie.* i.e. ut exigentia.

b) Appetitus *elicitus* sequitur bonum apprehensum. Jam bonum potest esse conveniens et possibile, et tunc oritur appetitus *ordinatus*, qui vocatur etiam *efficax* (quamvis media non adhibeat efficaciter); si bonum sit inconveniens vel impossibile oritur appetitus *inordinatus* qui et *inefficax* dicitur: v. g., puer parvus videns vestem sibi convenientem, eam appetere potest ordinate et efficaciter; parvus puer videns vestem magni pueri, eam appetere tantum potest inordinate, et sub hoc respectu inefficaciter.—Jam appetitus elicitus est multiplex, innatus

est unus tantum; prior ferri potest in disconveniens, etiam impossibile; alter nunquam.

3. Plures sunt scholastici, qui asserunt in natura innatum appetitum boni supernaturalis et visionis intuitivæ: Scotus (in Prol. q. 1. et in 4. Dist. 49. q. 10. a. 1.), Durand. (in Prolog. q. 8. n. 8.), Soto (1ª. de Natura et Gratia c. 4.), Paludan. (in q. 4. D. 49. q. 7. a. 1. c. 2.), S. Thom. (Cg. l. 3. c. 50. 51., 1. q. 12. a. 1. et 1–2. q. 3. a. 8.).

Arg. 1. Appetitus naturalis sequitur potentiam naturalem. *Atqui* nulla potentia naturalis exigentiæ, sed tantum receptiva in natura ordinis supernaturalis admitti potest, ut patet ex præced. thesi. *Ergo* appetitus naturalis stricte dictus in natura humana admitti nequit.

Arg. 2. Appetitus elicitus radicatur in appetitu innato *exigentiæ*. *Atqui* talis non est quoad ordinem supernaturalem in anima. *Ergo* neque appetitus elicitus.

Arg. 3. Appetitus conditionatus est appetitus elicitus, qui sequitur apprehensionem vel naturalem vel supernaturalem per fidem. *Atqui* vere dubitandum est, num sine revelatione possit esse apprehensio et cognitio visionis intuitivæ, præsertim si consideratur, non quamcumque *suspicionem* sufficere ad appetitum, sed cognitionem, rem esse et esse sibi convenientem: v. g., habitatio in luna non cognoscitur, sed suspicio aliqua est, sitne habitabilis nec ne; sed nemo ex hac suspicione appetit ibi habitare, saltem non efficaciter. Potest igitur esse similis quædam suspicio non sufficiens ad appetitum elicitum efficacem, sed inefficacem fortasse.

Scholium de Scholasticis.—Scholastici (quum nec Jansenismus etc. nec Ontologismus etc. essent orti) non tam accurate distinguunt *varium* appetitum; hinc ex eorum dictis existit difficultas. *Sed notandum* (quod supra in statu quæst.) solere etiam capacitatem boni supernaturalis vocari ab ipsis appetitum innatum: v. g., *Scotus* (in 4. D. 49. q. 10.) affirmat appetitu naturali (qui non est aliquis actus illicitus, sed potentia voluntatis absolutæ) voluntatem necessario appetere beatitudinem (i. e., vision. intuit.), quia natura non potest remanere natura, quin inclinetur ad suam perfectionem."—Sed Scotus:

a) Ponit *capacitatem passivam* (l. c. n. 25.), qui sit iste appetitus. *b*) Quum sit bonum supernaturale aliquod bonum naturæ eo sensu conveniens, quod eam perficiat, docet appetitum non ut appetitum exigen-

tiæ, sed ut *universalius quid et indefinitum inesse* in natura ad omne, quod sibi aliquo modo ut perficiens possit supervenire. Fieret igitur appetitus determinatus et elicitus post revelationem. Talis appetitus in omne quod bonum est, ideoque et in bonum supernaturale sub hoc conceptu contentum, potest admiti. Jam vero de bono supernaturali in concreto docet Scotus, potuisse homines creari in statu naturæ puræ; —quoad visionem intuitivam docet pecatores privari ex pœna;—qui vero non habuissent destinationem ad ordinem supernaturalem privari *ex conditione naturæ.*— Simili modo loquitur Dominic Soto (de Natura et Gratia l. 1. c. 3.). Ponit enim statum naturæ possibilem; ponit duplicem finem—naturalem, naturæ viribus commensuratum; supernaturalem, supra vires naturæ; unde etiam supra exigentiam naturæ. Item Bellarm. (de Gratia primi hominis c. 7.), quamvis quæstionem difficilem censeat, et beatitudinem, i. e., visionem intuitivam, dicat finem naturalem, tamen distinguit finem naturalem improportionatum naturæ, et finem proportionatum naturæ. Æquum fuisse censet, Deum finem improportionatum naturæ præfixisse et media ad hunc finem; *nihil tamen absurdi secuturum fuisse, si negasset.* S. Thom. (1. q. 12. a. 1.): "Inest in homine naturale desiderium cognoscendi causam, quum intuetur effectum, et ex hoc admiratio in hominibus consurgit. Si igitur intellectus rationalis creaturæ pertingere non possit ad primam causam rerum, remanebit inane desiderium naturæ. Unde simpliciter concedendum est, quod *Beati Dei essentiam videant.*" Simili modo alibi (vid. supr.).

Resp. —Dist. Ass.: ut pertingant *cognoscendo, C.;* ut pertingant *videndo—subd.:* postquam revelata est, oritur naturaliter desiderium, *C.;* ante revelationem, *N.*—S. Thom. loquitur de statu hoc revelationis.— Potest explicari exemplo. Supponamus regi filium unicum in infantia subreptum et alteri homini datum ut servum. Quum puer adolescit ignorans suam originem, nullum habet throni desiderium, quamvis cognoscat thronum et fortasse desiderium aliquod inefficax habeat; ut primum vero revelata origo est, continuo et naturaliter exurgit desiderium throni. Fuit igitur antea capacitas seu potentia hujus desiderii in natura. Unde secundum desiderium hoc, secundum potentiam, naturale fuit.

Cfrm. ex S. Thom. (de Verit. q. 22. n. 7.). "Homini inditus est appe-

titus ultimi finis sui in communi; ut scilicet appetat naturaliter, se esse completum in bonitate. Sed in quo ista completio consistat, utrum in virtutibus, vel scientiis, vel delectabilibus, vel hujusmodi, non est ei determinatum a natura. Quando ergo ex propria ratione, adjutus divina gratia, apprehendit aliquod speciale bonum ut suam beatitudinem, in quo vere sua beatitudo consistit, tunc meretur, non ex hoc, quod appetit beatitudinem, quam naturaliter appetit; sed ex hoc, quod appetit hoc speciale, quod non naturaliter appetit, ut visionem Dei, in quo tamen secundum rei veritatem sua beatitudo consistit."

Præterea, ex tota doctrina S. Thomæ patet, quo sensu naturale desiderium visionis intelligat. Nam:

1. Distinguit inter finem naturalem proportionatum naturæ et finem supernaturalem improportionatum, qui finis sit in visione Dei intuitiva.

2. Docet naturaliter hominem non habere sufficienter inclinationem ad illum finem (in 3. Dist. 23. q. 1. n. 4. q. 3.).

3. Hinc distinguit inter *carentiam* finis illius in statu naturæ, et *privationem* in statu *elevationis*—hinc in statu naturæ lapsæ.

4. Quare negat appetitum vision. intuit. elicitum, *naturalem*, efficacem et absolutum, ideo quod nemo appetat, quod proportionem naturalem excedat, sicut nemo appetit volare sicut avis, seu esse rex vel imperator, si non conveniat;—appeteret autem et affligeretur, si sciret sibi convenire, et nihilominus se re illa privari. (In 2. sent. dist. 33. q. 2. a. 2.).

PROPOSITIO XIII.

Recte igitur ponitur in humana natura potentia obedientialis passiva et activa, secundum quam Deus illam elevare *ad ordinem supernaturalem et ad agendum supernaturaliter uti illa possit.*

St. Q. Per dona gratiæ elevat Deus humanam naturam; *ergo* supponitur in humana natura elevabilitas, i. e., potentia, ut possit elevari. Hæc potentia est potentia *obedientialis*. Hæc potentia non tantum in substantia est, sed etiam in facultatibus; unde est potentia, licet in se passiva, communis tamen principio tum passivo tum activo, secundum quod utrumque principium Deo obedit. Describit hanc potentiam Ripalda (de Ente Sup. Disp. 25.). Alio modo potentia passiva comparatur ad naturalia, alio modo ad supernaturalia; ad naturalia ha-

bet ordinem essentialem, ita ut si hæc bona repugnarent, etiam ipsa potentia repugnaret, sicut oculus repugnaret, si lumen repugnaret; ad supernaturalia vero non habet hunc ordinem,—hinc si supernaturalia repugnarent, non repugnaret hæc potentia.—Præterea, natura patiens habet ad naturalia bona appetitum innatum, quo ea exigit, ad bona vero supernaturalia hoc appetitu caret.—Insuper, bona naturalia potest *ipsa* sibi vel per alias causas *naturaliter* agentes comparare; at bona supernaturalia non potest habere, nisi per indebitum auxilium Dei. Est igitur intra utramque passivitatem discrimen: prior passivitas vocatur naturalis, altera obedientialis;—in priori natura exigit objectum appetibile estque explebilis naturaliter; altera non exigit objectum, sed voluntas Dei gratuito efficit et confert.

Arg. 1. S. Aug. (de Gen. ad lit. l. 9. c. 17.): "Ut lignum de terra excisum, aridum, perpolitum, sine radice ulla, sine aqua, repente floreat et fructum gignat, ut asina loquatur, et si quid hujusmodi est, dedit quidem [Deus] *naturis*, quas creavit, *ut ex eis hæc fieri possent* . . . . .; verumtamen alio modo dedit, ut non hoc haberent *in motu naturali*, sed in eo, quod ita creata essent ut eorum natura voluntati superiori amplius subjaceret." — Porro docet S. August. Deum uti creaturis in hoc casu non providentia naturali, sed providentia illa administrativa, qua quidquid vult, in rebus faciat. Inter hæc autem, quæ ita vult, "est gratia, per quam salvi fiunt peccatores." *Ergo* S. Aug. ponit in creaturis duplicem potentiam: alteram, quæ in motu sit naturali; alteram, quæ talis sit, ut Deus faciat ex creaturis quæ non lateant in earum potentia. *Atqui* potentia talis est potentia obedientialis. *Ergo.*

Arg. 2. S. Thom. (3. q. 11. a. 1.): ". . . . In qualibet creatura consideratur duplex potentia passiva, una quidem per comparationem ad agens naturale, alia vero per comparationem ad agens primum, quod potest quamlibet creaturam reducere in actum aliquem altiorem actu, in quem reducitur per agens naturale, et hæc consuevit vocari potentia obedientiæ in creatura." Est ergo potentia passiva, quia est potentia recipiendi a Deo, quod nulla alia causa naturalis nec proinde ipsa sibi conferre potest. (Cf. 1. q. 115. a. 2. ad 4.).

Arg. 3. Constat naturam posse donum aliquod supernaturale a Deo accipere; *ergo* habet in se capacitatem ad tale donum. *Atqui* non

habet illam per aliquod sibi superadditum, sed per semetipsam. Si enim hoc superadditum esset aliquod gratuito superadditum, aut esset naturale aut supernaturale: si prius, esset inutile, quia et natura per se assumere illud posset; si esset supernaturale, deberet pro hoc aliud supernaturale præcedere et sic in infinitum. *Ergo* natura in semetipsa habet illam capacitatem. — Præterea, natura non tantum pati sed et agere potest. *Atqui* utraque hæc potestas elevabilis est a Deo, prior ut aliquid fiat, altera ut aliquid facere possit. *Ergo* potestas obedientialis in utrâque est. Cf. Vasquez (in 1–2. Disp. 22. c. 2. n. 7.).

Coroll. *Ergo* si natura non recipiat donum supernaturale, ideo non erit frustra. Habet enim per potentiam naturalem, ut possit locum in natura explere. Quare per impletionem potentiæ obedientialis habet tantum, *ut melius sit.*

PROPOSITIO XIV.

Ex doctrina hucusque proposita manifestum est, statum naturæ puræ, in quo homo cum puris naturalibus sine ullo indebito sibi superaddito creatus esset, possibilem esse, tam secundum Dei potentiam absolutam, quam ordinatam.

St. Q. 1. Quid sit potentia *absoluta* et potentia *ordinata.*

Quum potentia pertineat ad principium executivum, quod præterea et intellectum dirigentem et voluntatem imperantem comprehendit, potest potentia vel *in se* et *solitarie* sumi, — est potentia *absoluta;* vel in nexu cum aliis, v. g., intellectu dirigente secundum regulas sapientiæ etc.—est potentia *ordinata.*

2. Si potentia consideratur nunc, postquam Deus decrevit hunc statum supernaturalem conferre hominibus, patet impossibilem esse statum naturæ puræ, non propter sese, sed propter Dei voluntatem liberam. Loquimur autem de statu, qualis possibilis futurus fuisset, si Deus non fecisset hoc decretum.

3. *De adversariis.* *a*) Pelagiani non tantum possibilem statum naturæ puræ docuerunt, sed cum etiam existere et exstitisse; quos confutavit S. August. libris præsertim contra Julianum.

b) Alii, ut Lutherus (in l. 3. in Gen.), negant eum possibilem, quum justitia originalis ita ad animam pertineat, sicut lumen ad oculum. Unde concludit Lutherus, si dona illa peccato amissa sunt, ipsi natura

est in naturalibus vulnerata et intrinsecus corrupta. Simile quid Calvinus (l. 1. Inst. c. 15. § 1. et l. 2. c. 1. § 6.) probat ex attributis Dei.

c) *Bajus** distinguit naturam *in se* et *relate ad finem;* docetque naturam nec salvam nec sanam esse relate ad finem, si non habeat illa bona; unde, rejecto fine naturali, concludit assumptionem ad consortium divinum fuisse naturæ debitam. Docet igitur statum naturæ puræ, in quantum ut natura in se consideretur, possibilem esse; si consideretur relate ad finem, statum naturæ puræ impossibilem. Jus vero ad finem supernaturalem et dona supernaturalia competit (secund. Bajum) naturæ innocenti, sublatum autem esse peccato; hinc pro statu peccati originalis est indebitum bonum, ideoque supernaturale.

d) *Jansenius*, Bajanæ doctrinæ inhærens, docet bona supernaturalia debita homini fuisse. Distinguit autem *debitum ex natura* et *debitum ex opere.* Negans autem debitum ex opere, contendit debitum fuisse naturæ—hinc rejicit possibilitatem status naturæ puræ.

*Michael de Bay (Bajus), natus 1513 Meluni (Melun in Hennegau, Belg.), ex anno 1551 profess. Script. Sacr. Lovanii, cum collega suo Joann. Hessels voluit Scholasticæ Theologiæ opponere Theologiam patristicam. Quum ejus doctrinam, quam ex PP.—Cypriano, Ambrosio, Hieronymo, præcipue vero ex S. Augustino—didicisse se contendebat, mox Tapperus, Baji antea professor, redux ex Concil. Tridentin. (1552), multique Franciscani impugnarent, et 18 articulos ex ejus scriptis Parisios ad Sorbonnam mitterent, a qua partim hæretici partim temerarii et falsi declarabantur, Cardinalis Granvella rem ad Pium IV, detulit, qui *Brevi* aliquo imposuit silentium. A Gubernio Hispanico 1563 ad Concil. Trident. ut theologi missi, Bajus et Hessels multum disputarunt de iisdem 18 articulis, nec conversi redierunt Lovanium. Tandem ex omnibus Baji scriptis denuo collectæ propositiones (1567) numero 79 a Pio V. sunt condemnatæ, iterum a Gregorio XIII (1599) damnatæ et Lovanium a P. Francisco Toleto delatæ, ut revocarentur a Bajano in concilio professorum. Revocavit igitur Bajus et mortuus est 1589 Cancell. Universitatis.

Cornelius Jansenius (Jansen), natus 1585 Accoy in comitatu Leerdam (Hollandiæ), quum intrare in Societatem Jesu voluisset nec receptus fuisset, odium concepit Jesuitarum. Volens igitur debellare scientiam Jesuitarum, et adhærens doctrinæ Baji, composuit librum, cui titulus "*Augustinus.*" (20 annos laboravit). Amicus ejus fuit Joan. du Verger de Hauranne, notus ut Abbas de *Saint Cyran* (ad Pictavum). Fuit Jansenius prof. Lovanii et post episcopus Yprensis. Duos annos *post mortem* Jansenii, amicus ejus Frommond edidit ejus opus "*Augustinus.*" Jansenius ipse declaraverat, se opus suum auctoritati Summi Pontificis subjicere.

Paschasius Quesnell, natus Parisiis 1634, Oratorium Cardinalis Berulle intravit. Quum multi essent in Oratorio Jansenistæ, Quesnellius unus ex ardentissimis factus 1684 ex Oratorio ejectus. Bruxellas profectus, convenit Anton. Arnauld 1670. Ibi edidit "*Morales Reflexiones*" in Scriptur. Sac., quæ multas editiones nactæ sunt. Creavit ingentes turbas hoc opus in Ecclesia, præsertim quum Archiep. Parisiens., Lud. Noailles, unam editionem publice approbasset. Condemnatum opus fuit Bulla "*Unigeniti*" a Clemente XI. Quesnellius mortuus est Amstelodami in Hollandia 1719, non reconciliatus cum Ecclesia.

e) *Quesnellius* proponit hanc sententiam (thesis 35. damnata): "Gratia Adami est sequela creationis, et erat debita naturæ sanæ et integræ." *Ergo* consequenter status nat. pur. rejicitur.

4 stus 2s 9d. status nat. pura = possib. sec. m / not m absol m ie. omnipot m cum justitia.

Impossib. sec. m / not m ordinatam ie. omnipot m cum justitia & bap a & decentia.

x 4. Quidam Theologi Catholici Augustinienses, ut Card. Noris, Laurent. Berti, Belleli, ponunt statum naturæ puræ possibilem secundum potentiam absolutam, sed non possibilem secundum potentiam ordinatam. Priorem potentiam absolutam intelligunt eam, cui respondet in termino producibili absentia contradictionis; huic conjungitur justitia, in quantum Deus dare termino tali velit ac debeat quod ens postulat; quare potentia absoluta continet et omnipotentiam et justitiam in volente. Potentia ordinata superaddit priori et sapientiam et decentiam, quatenus Deus terminum producere potest, non tantum ut possibile est, sed etiam ut decet divina attributa. Jam vero duplex est decentia: prior, si ita decet, ut contradictorium *non* dedeceat, v. g., decet Deum, ut det media superabundantia, v. g., *divitias*, sed ita decet, ut recusatio *non dedéceat;* altera decentia ea est, in qua contradictorium *positive* dedecet, v. g., decuit Deum, ut matrem suam a peccato originali immunem faceret: contradictorium dedecens fuisset. Metaphysice vero repugnat, Deum aliquid facere, quod ipsum positive dedecet. —Docent igitur illi Theologi, *positive* Deum dedecere, hominem creare in statu naturæ puræ (cum passion &c); hinc talem statum impossibilem pro potentia Dei ordinata.

Arg. 1. Ex præcedentibus constat, dona supernaturalia esse naturæ indebita. *Atqui* si natura sine illis esse non posset, essent debita naturæ. *Ergo* potest esse sine illis.

Arg. 2. Homo nunc nascitur sine donis tam supernaturalibus quam præternaturalibus, sed in statu multiplicis miseriæ naturalis. *Ergo*, si peccatum originale excipias, esset status puræ naturæ. *Atqui* in hoc statu (excepto peccato originali) potuit etiam creari Adam, ita ut loco generationis creatio hominem produceret, et Deus nunc adhuc posset hominem talem creare, qualem alii gignunt excepto semper peccato originali. *Ergo.*

Arg. 3. Est damnata sententia Baji (prop. 55.): "Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur." *Ergo* contradictorium verum est, Deum potuisse ita hominem creare.

Nota.—Certe non potuit Deus creare hominem uti nunc est factus

peccatis, quoad intellectum et voluntatem, v. g., paganum cum ideis suis idololatris etc. Sed homo ita non nascitur. Nihilominus potest etiam in infante nato distingui concupiscentia et malus habitus etc. a parentibus peccatoribus deductus. Multi igitur Theologi dicunt Deum cum pura concupiscentia, non vero cum superadditis ex peccato parentum malis habitibus, potuisse creare. Cf. Teisson. (De Deo Creante vol. 2. Prop. 2. Coroll. Nota 1.), Schouppe (t. 1. p. 468. § 180.).

Arg. 5. *Contra Augustinienses.* Quidquid contra unum attributum Dei est, eo ipso impossibile est. *Atqui* status naturæ puræ est, secundum Augustinian., contra sapientiam et decentiam et æquitatem Dei. *Ergo* simpliciter impossibilis. *Atqui* hoc est contra Ecclesiam docentem illum possibilem (prop. 55. Baji damnata). *Ergo.*

Expl. Distinctio inter potentiam absolutam et ordinatam est tantum in abstracto, inserviens ad melius cognoscendum Deum. In concreto vero agere tantum potest Deus secundum potentiam ordinatam; quare quod huic contradicit, simpliciter fieri non potest. — Præterea, in Deo omnia attributa sunt unum idemque, unde quod uni contradicit, simpliciter contradicit Deo.

Arg. 6. Naturale est principio sensitivo, ut illud appetat, quod sibi convenit. *Atqui* tale objectum conveniens appetitui sensitivo potest esse contrarium appetitui intellectivo. *Ergo* naturale est appetitui sensitivo, ut appetere possit aliquid contrarium appetitui intellectivo, rationi, normisque moralibus. *Atqui* non apparet ratio, cur Deus hoc, quod naturale est, debeat tollere per aliquod superadditum. *Ergo.*

Scholium *de S. Augustino.*

Contra doctrinam de ordine supernaturali, de statibus, de peccato originali, adversarii maxime argumentantur ex S. Augustino. Hinc de doctrina S. Augustini. Maxime exponit S. Augustinus doctrinam Ecclesiæ in scriptis contra Pelagianos; quare

I. De doctrina Pelagianorum.

Pelagius, monachus laicus ex Anglia Romæ degens, incubuit in literas Paulinas explicandas, ex quibus, adjuvante Cœlestio, suam hæresim de statu primi hominis, de peccato originali etc. hausisse se putabat. Anno 411 uterque abiit in Africam, ubi convenire S. August. quum propter ejus absentiam non possent, Pelagius Hierosolyma profectus est, Cœlestius mansit Carthagine, ut sacerdos fieret. Ex ejus doctrina diaconus Paulinus Mediolanensis hæc collegit proposuitque synodo Carthaginiensi (sub episcopo Aurelio):—

1us. *Catalogus errorum:* *a*) Adam mortalis creatus mori debuit sive peccavit, sive non. *b*) Adami peccatum *ipsi soli* nocuit, non ejus descendentibus. *c*) Nascuntur homines in eodem statu, in quo Adamus ante peccatum fuit. *d*) Neque moriuntur propter Adami peccatum omnes homines, neque resurgunt propter resurrectionem Christi omnes homines. *e*) Infantuli etiam non baptizati vitam æternam consequuntur. *f*) Per legem (naturalem) æque ac per Evangelium comparatur beatitudo. *g*) Etiam ante Christum erant homines, qui erant sine peccato. Hinc patet etiam sine Christo posse homines esse sine peccato. Synodus Carth. excommunicavit Cœlestium. Nova synodus Hierosolym. habita est, sed frustra. Tertia synodus Diospoli seu Lyddæ indicta fuit, ubi quatuordecim congregati episcopi per tricas Pelagii eum ab hæresi liberarunt, quamvis catholice sentirent. Decepti fuerunt per verbum *gratiæ*, quod Pelagius adhibens ut Ecclesia suo tamen modo interpretatus est. Quum Romana sedes, Innocent. I., rem damnasset, dubius tamen hæreret, num Pelagius et Cœlestius ea omnia docuissent, novum Concilium (200 episc.) Carthagine collectum fuit, ubi per octo vel novem canones totidem errores Pelagii damnati sunt.

2us. *Catalogus errorum:* *a*) Adam non propter peccatum sed naturæ necessitatem mori debuit. *b*) Non sunt baptizandi infantuli, saltem non propter condonationem peccati originalis. *c*) Divina Christi gratia purificat hominem a peccato commisso, non fortificat ad vitandum peccata. *d*) Efficit ut melius cognoscat leges Dei, non dat vires novas. *e*) Facitque ut facilius, non simpliciter possit, i. e., quod libera voluntas per se jam potest, id per gratiam facilius potest. *f*) Humilitate tantum quisque se peccatorem dicere debet, non quod sit. *g*) Sancti dicentes: "dimitte nobis debita nostra" non pro se, sed pro reliquo populo orant. *h*) Sancti ita loquuntur ex humilitate, non quasi hoc de se credant.

Post Pelagium et Cœlestium, Julianus, episcop. Eclanensis in Apulia, caput Pelagianorum factus, multa scripsit præsertim contra S. Augustinum. Julianus ille, expulsus ex patria, 454 mortuus est in Sicilia.

II. Refutatio ex parte S. Augustini.

S. August., ut notat Hergenroether (Hist. Eccl. t. 1. p. 299.), in refutando sæpe quædam, quæ nobis dura et obscura videntur, adhibuit verba. Ratio videtur fuisse, quod S. Aug. primus fuit, qui doctrinam illam profunde evolvit; quod nobis adversariorum doctrina clara non est; quod sæpe argumentatur ex suppositis adversariorum, hinc ad hominem.

Opera S. August. contra Pelagianismum.

1. Libri quatuor *de anima et ejus origine*, contra Vincent. Victorem, qui miros errores congesserat putans a Deo illam emanare. Refutat errorem, parvulis sine baptismo condonari peccatum originale. (l. 1. n. 10–14., l. 2. n. 14–18, l. 3. n. 12–19 et n. 21.)

2. *De peccatorum meritis et remissione*, libri tres. Probat contra Pelagianos non animæ tantum, sed et corporis mortem ex peccato originali esse (l. 1. n. 1–8.), ipsumque peccatum *propagatione* non *imitatione* in homines transiisse (l. 1. n. 9–20.), hinc necessarium baptism. (n. 21.).

Quumque Pelagiani baptismum quidem conferendum non negarent, rejicerent tamen effectus baptismi, ostendit per baptismum peccata vere remitti et salutem dari, manere tamen sequelas, i. e., concupiscentiam etc. (l. 1. n. 22–70.).

3. Liber *de Spiritu et litera*, i. e., de lege et gratia, ubi ostendit legem sine gratia esse literam occidentem, gratiam autem esse Spiritum vivificantem. Lex data, ut gratia quæreretur; gratia data est, ut lex impleretur.

4. *De natura et gratia* contra Pelagium, qui docuerat, posse hominem propriis viribus naturalibus esse sine peccato; S. Aug. docet posse esse, sed per auxilium gratiæ (n. 9–20., n. 49–59., n. 68–70.); hinc concludit debilitatem naturæ humanæ per peccatum (n. 21–23.). Neminem justum, excepta B. V. M., fuisse sine peccato (n. 40–46.). Tum ostendit omnes homines fuisse peccato originali infectos (n. 48.), probatque ex eo, quod caro adversatur spiritui (n. 60–68.).

5. Liber *de perfectione justitiæ hominis*, in quo probat contra Cœlestium, non in perfectione puræ naturæ, sed in gratia etc. perfectionem justitiæ reponendam.

6. Liber *de gestis Pelagii*, quibus tricas viri aperit excusatque Concilium Diospolitanum.

7. Libri duo *de gratia Christi et de peccato originali* contra Pelagium et Cœlestium. Ostendit gratiam adjuvare et velle et exequi. Pelagiani docuerant, parvulos sine baptismo decedentes regno Dei excludi, vita tamen æterna beari. Ostendit S. Aug. baptismum necessarium ad purganda peccata orig; hanc de peccato origin. doctrinam esse de fide, quod negaverant Pelagiani: quumque Pelagiani nuptias dicerent esse malas, si ex illis male homo nasceretur, exponit S. Aug. naturam matrimonii.

8. Libri quatuor *contra duas epistolas Pelagianor.* Duæ illæ epistolæ erant — prior a Juliano Eclanensi et altera ab 18 episcopis Pelagianis — ad Sum. Pontif. Bonifacium missæ, contra quas illi libri etiam ad Bonifac. missi sunt.—Refutat calumnias a Pelagianis in Catholicos conjectas, eos esse Manichæos, rejicere nuptias etc. Ostendit non rejici nuptias, sed libidinem.

9. Libri duo *de nuptiis et concupiscentia* (proprie ante lib. 4. sub n. 8.). Ostendit contra calumnias Pelagianor. nuptias honestas; malum tantum annexum esse concupiscentiam, quæ sit quasi vehiculum peccati originalis (l. 1. n. 20–28.); explicat manere etiam concupiscentiam in baptizatis *actu* non autem *reatu* (ut peccatum), nisi voluntas consentiat (n. 25–29.).

10. Libri sex *contra Julianum Eclanensem.* Rejicit calumnias Juliani contra Catholicos, quod essent Manichæi, quod docerent, nuptias ex diabolo esse etc. (l. 2. primis). Ostendit, nullam Deo injuriam fieri, si recens nati *non baptizati* dicantur subditi diabolo; quumque Julianus *necessitatem baptismi* concedat, probat ex hac necessitate (argumento ad hominem) et ex diversis peccati pœnis, quibus subsunt parvuli, peccatum originale (l. 3. n. 8–14., 25., 34–35., 58–63., 66.— Cf. l. 5. n. 2–4., 18., 43–45., 49–51.). (L 4.) probat concupiscentiam esse malum, non tamen junctam per se, sed per accidens tantum matrimonio. Item (l. 5.) libidinem ut malum probat ex vestimentis assumptis; probat

Joseph ad Mariæ verum fuisse matrimonium, licet fuerit sine concubitu (n. 46–48.) (L. 6.) probat, omnem hominem de concupiscentia carnis natum esse et originali peccato subditum. Docet peccatum originale revera ex voluntate hominis oriri, quum in primis parentibus certe fuerit voluntarium; quod vero attinet nos posteros, alienum quidem fuisse peccatum a proprietate actionis, non vero a contagione propaginis (n. 24-29).

11. Opus imperfectum *contra Julian.*—Julianos *octo* libros conscripserat contra Catholicos, quos accusabat Manichæismi, Traducianismi etc. His octo libris totidem libros S. August. voluit opponere; sed *morte* præventus 6 primis libris potuit 6 libris ex sua parte respondere; unde nomen "*Opus imperfectum.*" Julianus docuerat, Adæ peccatum non *propagatione carnali* sed *imitatione* transiisse ad posteros; miserias vitæ, concupiscentiam etc. bona esse, quum sint a Deo facta, non peccato contracta.—Unde S. Aug. (l. 1.) demonstrat in peccato originali omnes notas veri peccati deprehendi, ita tamen ut sit simul peccatum et pœna et causa peccati (n. 27–60. 92. . . . .). Neque tamen ob admissum peccatum originale liberum arbitrium hominis eidem subjecti negatur, quamvis natura hominis per peccatum mutata, vitiata, diabolo transcripta et necessitate quadan peccandi adstricta. (*N. B.* S. Aug. duplicem ponit necessitatem: alteram moralem, quæ non est nisi summa difficultas, alteram insuperabilem, ut necessitatem contrahendi peccatum originale, moriendi etc. (l. 1. n. 73.–115., 118.; l. 2. nn. 6. 7. 10. 11.). Probat tantum gratia Christi sanari posse peccatricem naturam; per hanc vero gratiam, secundum inscrutabile Dei judicium, pars quædam ex tota *massa damnatorum* assumitur; gratia vero gratis tantum datur. *Nota:* S. Aug. docuisse parvulis omnibus etiam sine baptismo decedentibus sufficentia media ad salutem præparasse, fuse probat S. Alticotius (in Summa Augustiniana p. 1. q. 3. a. 8. p. 101–110.). Cf. Perrone (Præl. Theol. v. 5. de Grat. p. 1. c. 5. prop. 5.).— (l. 2.) totus in explicando verba: "*Per unum hominem peccatum intravit in mundum*" Rom. v. 12.—(L. 3.) solvit objectiones Juliani.——*a) Objicit Julianus: contra justitiam* est, parentum peccata filiis imputari, ut Deuteron. xxiv. 16–18., IV. Reg. xiv. 5–6., Ezech. xviii. 1–30. vid. l. 2. n. 20.). *Resp. Aug.* justitiam Dei infinite distare a justitia humana (pro qua leges illæ dantur) neque ejusdem limitibus ac illa astringitur; peccatum denique originale quadam ratione nobis alienum, quadam nostrum est (l. 2. n. 11–84.).——*b) Obj. Jul.:* Tollitur liberum arbitrium, quia sine gratia necessitas peccandi. *Resp. Aug.* (n. 101–123. Cf. l. 5. n. 4.) per gratiam Christi nos liberos tantum esse. Ceterum, quomodo homo sine gratia liber adhuc sit, explicat lib. *de spirit. et lit.* n. 5. et Sermo 176. n. 6.; declarat etiam Faure in sua edit. Enchiridii S. Aug. (Nota ad cap. 105–108. et Not. 2. ad c. 30.).——*c) Obj. Jul.*, si ante voluntatis usum mala inhærerent naturæ ex peccato originali, diabolum debere esse auctorem naturæ. (nn. 124. 141.). *R. S. Aug.* naturam humanam a Deo conditam bonam, postea additum vitium ex voluntario primi hominis peccato, ad quod sanandum omnibus necessaria medicinalis gratia Salvatoris, per quam natura liberetur magis et magis a malo per accidens inhærente, donec plena fiat liberatio (n. 124–166. et n. 196. Cf. l. 5. n. 13. 19.) — (L. 4.) præcipue solvit difficult. Juliani.—— *Jul.*

objecerat: d) Libido ut sensus corporis bona est, hinc non pœna peccati, ideoque et in Christo Dno. fuit. *R. S. Aug.* libidinem, quæ in eo est, ut caro contra spiritum concupiscat, esse pœnam; detestandam esse sententiam fuisse etiam in Christo (l. 4. n. 45–64.; 77–89.).——*e) Obj. Jul.* Peccatum debet esse voluntarium; *atqui* in infantibus non potuit esse voluntarium. *R. S. Aug.* fuisse voluntarium non in proprio arbitrio, sed in arbitrio parentum, ex quorum descensu per *contagionem* fuisset contractum, quia omnes fuerunt per concupiscentiam in opere conjugii procreati (n. 74.–107. 136. Cf. l. 5. n. 12.).—(L. 5.) de libidine magis disserit, docetque libidine mala bene uti conjugia casta ad liberos procreandos, et quemadmodum conjugiis castis admixta est libido mala (aliquando exstinguenda) ita et liberis quoad substantiam bonis admixtum est peccatum aliquando tollendum (l. 5. n. 5–25.)——*f) Obj. Jul.* Naturale est necessarium; omne autem peccatum voluntarium; *ergo* naturale peccatum est contra justit. divin. *R. S. Aug.* explicando, *unde sit* proprie peccatum seu malum illud morale (n. 26–27). Distinguit igitur inter peccatum simpliciter et tale peccatum quod sit simul pœna peccati (n. 28. Cf. l. 6. n. 17. 21.). Discernit (sicut Julianus fecerat) possibilitatem, voluntatem, necessitatem peccandi. Jam possibilitas peccandi aut non peccandi homini bono inest, quia ex nihilo factus —hinc mutabilis est; *voluntas* vero (intelligit non tam potentiam volendi, quam potius activitatem voluntatis, i. e., τό velle) sive bona sive mala, de natura hominis oritur, eique inhæret. Primi parentes igitur creati sunt sine necessitate et voluntate peccandi cum sola possibilitate peccandi aut non peccandi; qua si bene usi fuissent protoparentes, Deus ipsis dedisset impossibilitatem peccandi (l. 6. n. 19.). Quum autem peccato amissa esset possibilitas non peccandi, subsecuta est necessitas *quædam peccandi*, quæ tamen voluntarium non tollit, quum aliquid simul possit esse voluntarium et necessarium. Voluntas autem bona (i. e. in ordine ad finem supernat.) datur per gratiam Christi (l. 6. n. 10.); explicat transitum peccati originalis in Adæ posteros (l. 6. nn. 7. 12. 13. 21-23. 27. Cf. l. 2. n. 180., l. 3. nn. 56. 57. 154.); præsertim quantum valeant naturalia propagationis jura licet occultissima (l. 6. n. 22.). Tum demum confert felicitatem in paradiso cum miseria præsente (l. 6. nn. 8. 9. 10–13. 15. 19. 20. 26.): probat ex eadem miseria existentiam peccati originalis; quod facile poterat, quum Julianus episcopus admitteret Script. Sacram.

12. Liber *de Gratia et Libero Arbitrio*, in quo tractat de relatione gratiæ ad liberum arbitrium.—Continet quæstiones difficillimas de prædestinatione (nn. 41–45.).

13. Liber *de Correptione et Gratia*, i. e., cur corripiendus sit peccator, si gratia est donum gratuitum. *N. B.* Norisius (in Hist. Pelag. l. 1. c. 23.) censet hunc librum in gratia classicum clavem esse totius doctrinæ S. August.

14. Liber *de Prædestinatione Sanct.* et liber *de Dono Perseverantiæ.* Prior liber scriptus est ad Prosper. et Hilarium (in Gallia). Refutat potissimum Semipelagianos, quoad initium fidei. In altero libro pergit explicare objectum primi libri; unde vocatur *secundus* liber de Prædest. Sanct.

Quædam specialia de statu Adami.

1. Docet S. Aug. primo homini vitam æternam fuisse mercedem meriti; homini lapso, donum gratiæ.

Expl. ratione originis. Primo homini danda erat ratione primariæ destinationis et elevationis in creatione, peccatori ex destinatione et redemptione, et elevatione ex statu peccati; unde major ratio doni et gratiæ in statu lapso pro inimico, quam in statu innocente.

Ceterum docet (in l. de Corrept. et Grat. l. 9. n. 51.): "Nec ipsum [Adam] voluit Deus esse sine gratia sua." Et (Enchir. c. 11.): "Sine gratia nec tunc ullum meritum esse potuisset."—Præterea, etiam in natura lapsa vita æterna est merces: "Sicuti merito peccati tanquam stipendium redditur mors, ita merito justitiæ tanquam stipendium vita æterna" (Ep. 105. [alias 194.] n. 20. ad Sixtum).

2. *Supernaturalia* vocat aliquando *naturalia* ideo quod ex prima destinatione erant cum nativitate conjungenda, sicut nunc peccatum originale (l. 11. de Civit. D. cc. 9. 17., l. 12. c. 1.); dicit (Enchirid. c. 11.) privationem justitiæ originariæ vitium naturæ, et privationem naturalium; dicit (l. de Præd. Sanct. c. 5.) habere *fidem* et *charitatem* esse naturæ hominum etiam in statu naturæ lapsæ (secundum destinationem naturæ his in terris); alibi vero (l. 12. de Civit. Dei c. 9.) distinguit inter naturam et gratiam.

De miseriis humanis.

Duplex sententia erat rejicienda *a*) *Manichæorum*, *b*) *Pelagianorum*. —*Manichæi* docebant *duos* Deos, unum bonum bonique auctorem, alterum malum et mali auctorem. Jam negabant peccatum originale, quia Deus creator animæ est bonus Deus, qui peccatum ut malum non potuisset addere animæ; miseriæ vero, quæ irruunt in animam sunt a malo Deo. Rejiciebant Testam. Vetus, et ex Novo Testam. testimonia, quæ ipsis non favebant.—*Pelagiani* negabant peccatum originale, sed docebant Deum et animas creasse et miserias, non ut pœnas sed ut plane naturales. Admittebant vero Testam. Vetus et Novum. Hinc patet, S. August. *aliis* rationibus debuisse refutare Manichæos, *aliis* Pelagianos. Hinc:

Contra Manichæos (l. 3. c. 20. n. 56. de Lib. Arbit.), ut probet Deum et animam et miserias condidisse, quatuor distinguit vias, quibus anima potuit jungi corpori: 1. si animæ ex peccatrice anima via seminali procederent; 2. si animæ singulis corporibus jungerentur per creationem, sive peccatum præcesserit, *sive non*; 3. si omnes animæ in loco secreto existentes ad corpora deputarentur a Deo; 4. si ad corpora sua sponte delaberentur. (Quænam vera sit, non vult dicere—"*nullam temere affirmare oportebit.*"

Jam de secundo modo ita S. August. (l. 1. loc. cit.): "Si ergo *altera* [anima] talis esse cœpit, non solum ante peccatum, sed ante omnem vitam suam, qualis alia post vitam culpabilem facta est, non parvum bonum habet, unde Conditori suo gratias agat; quia ipse ortus ejus et inchoatio quovis perfecto corpore est melior. Non enim mediocria bona sunt, non solum quod anima est, qua natura jam omne corpus præcedit, sed etiam

quod facultatem habet, ut adjuvante Creatore se ipsam excolat, et pio studio possit omnes acquirere et capere virtutes, per quas et a difficultate cruciante et ab ignorantia cæcante liberetur."—*Ergo* docet S. August., si anima a Deo esset *in miseriis* creata sine culpa, tamen propter easdem miserias deberet Deo gratias agere, quod facultatem accepisset, eas adjuvante Deo convertendi in bonum; hinc patet eumdem Deum utriusque potuisse esse auctorem.

Pergit vero S. August. eodem loco: "Quod si ita est, non erit nascentibus animis ignorantia et difficultas *supplicium peccati*, sed *proficiendi admonitio et perfectionis exordium*. Non enim ante omne meritum boni operis parum est, accepisse naturale judicium, quo sapientiam præponat errori, et quietem difficultati, ut ad hoc non nascendo sed studendo perveniat."—*Ergo* sive naturalis illa quies est, sive supernaturalis, in quantum Deus in decursu vitæ supernaturaliter concurrit; sub omni respectu talis difficultas non ex peccato sed ex creatione Deum habere auctorem potest.

Contra hanc doctrinam arguunt *Pelagiani*: "ergo non potest ex talibus miseriis probari existentia peccati originalis."—Ad hoc respondet S. Aug. (Retract. l. 1. c. 9. n. 6.): "Quamvis ignorantia et difficultas, etiamsi essent homini primordialia naturalia, nec sic culpandus Deus sed laudandus esset... Quæ disputatio contra Manichæos habenda esset, qui non accipiunt Scripturas sanctas Veteris Instrumenti, in quibus originale peccatum narratur; et quidquid inde in Literis Apostolicis legitur, detestabili impudentia immissum fuisse contendunt a corruptoribus Scripturarum, tanquam non fuerit ab Apostolis dictum. Contra Pelagianos autem hoc defendendum est, quod utraque Scriptura commendat, quam se accipere profitentur."

De infantulis, qui non baptizati moriuntur, occurrit specialis difficultas.—Nam contra Manichæos (in l. de Lib. Arb. c. 23.) docuerat id quod repetit in ep. ad Hieronym. (ep. 166. [alias 28.] n. 18.): *a*) Eosdem in ipsos posse irruere miserias, etiamsi non peccassent. *b*) Quum in hoc casu non habeant peccatum luendum, posse adultos ex eorum miseria corrigi et in virtute proficere. *c*) Posse Deum ipsis infantulis hoc recompensare: "Quis.... novit, quid ipsis parvulis in secreto judiciorum suorum bonæ compensationis reservet Deus?... Non enim frustra etiam infantes illos, qui, quum D. N. J. C. necandus ab Herode quæreretur, occisi sunt, in honorem martyrum receptos commendat Ecclesia."

Nihilominus in eadem epistola (ad S. Hieron.) præmisit hæc: "Ego quidem non de ingeniis, sed saltem de pœnis parvulorum, quas in hac vita patiuntur, dixi aliquid in libris illis de lib. arbitrio. Quod quale sit, et cur mihi in *istam*, quam habemus in manibus, *quæstionem* non sufficiat, intimabo."—Repetit dein puncta sub *a. b. c.* Pergit, totius suæ doctrinæ quasi fundamentum fuisse, quod Deus infantium cruciatus secreto judicio compenset; sed hoc censet non immerito dici posse de illis infantulis, qui vel pro Christi nomine vel pro religione(nescientes tale quid) patiantur vel qui sacramento Christi imbuti sunt, quia sine societate unius mediatoris liberari a damnatione non possunt.

Tum vero quærit S. Aug., quid de istis infantulis, qui sine tali causa post gravissimos cruciatus moriantur.

Obj. Ex hoc loco Jansenistæ concludunt S. August. suam sententiam de statu naturæ puræ revocasse. Ita enim Jansenius (l. 3. de statu natur. c. 19.): "Senex [S. August.] adversus Pelagianos puræ naturæ architectos dimicans, id quod incautius de parvulis contra Manichæos fuderat, emendavit." Et postea: "Miserias illas naturaliter parvulis innocentibus irrigari posse, tunc quasi suspicando somniaverat."

Resp. 1. Evidenter agitur de infantulis in statu naturæ lapsæ; quia clare dicit, sibi quod contra Manichæos dixerat, *in hac quæstione* cum Pelagianis non placere.— Dein loquitur de illis parvulis, qui *sine baptismo* decedant; sed baptismus supponit statum peccati: de illis qui debeant esse sine societate *mediatoris;* sed mediator est tantum pro statu lapso.

2. Pro statu naturæ puræ contra Manichæos potest merito simile quid supponi in illis infantibus, quod S. Aug. pro infantibus baptizatis supponit, quia eadem est conditio, i. e., carentia peccati.

3. Quale absurdum, hominem adultum innocentem passibilem, quia pro ipso passiones et miseriæ possent esse *admonitio* et ratio mercedis, infantulum autem impassibilem, quia non posset esse miseria ratio meriti. Quando enim inciperet infans impassibilis fieri passibilis? Tale quid S. Augustino attribui non potest.

4. Si retraxisset S. Aug. suam contra Manich. doctrinam, hoc fecisset profecto in libro Retractionum. Jam vero ibi repetit doctrinam contra Manich. in tribus libris de Lib. Arbitrio, et confirmat. Nam (Retract. l. 1. c. 9.) postquam repetiit, quæ in l. 3. c. 18. etc. de Lib. Arb. proposuit, ita pergit: "[Quamvis] ignorantia et difficultas, etiamsi essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandus Deus, sed laudandus esset, sicut in eodem tertio libro disputavimus." (vid. supra).

Scholium *de amore Dei* naturali *super omnia.*

Negabant illum Bajani; sed absurde, nam

1. Amor supernaturalis Dei super omnia non est possibilis si Dei amor naturalis impossibilis; *atqui* ille admittendus; *ergo* et hic.—*Prob. Maj.* Donum supernaturale amoris non est donum præter voluntatem, sed in voluntate, elevans activitatem volendi in ordinem superiorem; hinc quod in ordine naturali potuit naturaliter, idem potest post elevationem in ordine supernaturali. *Ergo* si in supernaturali ordine supernaturaliter potest amare, hoc ideo potest, quia in ordine naturali potest naturaliter amare.—*Expl.* Qui potest literas pingere *aureas*, ideo potest, quia literas potest *atramento* scribere.

Cfm. Præterea, actus amoris supernaturalis est actus vitalis voluntatis. *Atqui omnis actus vitalis* latet suo modo in potentia vitali. *Ergo* actus amoris supernat. latet suo modo in potentia vitali voluntatis, i. e., actus supernaturalis ut vitalis est actus amoris, hinc latens in potentia voluntatis, ut supernaturalis respondet dono gratiæ.

2. Appetitus boni sequitur bonum apprehensum. *Atqui* Deus potest concipi ut bonum super omnia. *Ergo* et ita appetitus potest ferri in Deum; hinc amare Deum super omnia potest.

PROPOSITIO XV.

Est dogma fidei, primos parentes fuisse constitutos in statu supernaturali, dicente Trident. (sess. 5. decr. 1.): *"Si quis non confitetur, primum hominem Adam .... sanctitatem et justitiam supernaturalem,* in qua constitutus fuerat, *amisisse, anathema sit."*

St. Q. 1. Dicitur *"constitutos,"* non creatos, quia multi Theologi docent, post creationem fuisse dona illa superaddita; id, quod in *Concil. Trid.* cum aliis Theologis Amandus Episcop. defendit; quam sententiam quum Concil. damnare nollet, vox illa *"constitutum* fuisse," electa est.—(De re ipsa vid. tract. *de Angelis*).

2. Proxime sermo est de Adam, sed patet etiam de Eva, quæ fuit creata, et post peccatum punita, ut Adam.

ARG. 1. Ecclesiastes vii. 30.: "Solummodo hoc inveni, quod fecit Deus hominem rectum, et ipse se infinitis miscuerit quæstionibus."

Contextus: Conqueritur S. Auctor de pessima hominum conditione, avaritia, de mulierum malitia etc.; scio autem, hoc non fuisse initio, quum Deus creaverit hominem sine illis vitiis, ipse autem se miscuit quæstionibus multis (quarum prima fuit fatalis illa: *'Cur præcepit vobis Deus?'*—ita Bossuet); et sic talis factus est.

Unde ita: Rectitudo in qua homo factus fuit, fuit rectitudo moralis et supernaturalis. *Ergo.*

Prob. Ant. a) Fuit moralis rectitudo, ut patet, quum agatur de ente morali, et præterea opponatur vitiis—iniquitati morali.

b) Vox יָשָׁר significat *rectum* et *justum*, ita ut utroque modo verti possit; præterea, *rectus* ex sese dicitur bene et linea recte tendens ad finem—hinc homo rectus, i. e., bene ordinatus ad suum finem. *Atqui* finis ille est finis supernaturalis. Nam S. Scriptura, (ut documentum supernaturale datum ad supernaturalia) loquitur proxime et inprimis de supernaturalibus; postulat et prædicat fidem supernaturalem; prædicat sanctitatem multorum hominum; et inprimis Vetus Testamentum non aliam sanctitatem prædicat et imitandam proponit, quam N. Test., quod certissime supernaturalem sanctitatem proponit. *Ergo.*

× ARG. 2. Eph. iv. 23. 24.: "Renovamini autem spiritu mentis vestræ et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis." (Cf. Col. iii. 9. 10.).

Nota. Aliud est *renovatio*, aliud *transmutatio*; quodsi domus aliqua aliam formam accipit, v. g. *templi*, non dicitur renovari sed transmutari; hinc renovatio includit reductionem ad formam perditam.

Unde ita: S. Paulus admonet omnes ad renovationem, quam reponit in justitia et sanctitate secundum Christum. *Atqui* renovatio dicit reductionem ad formam pristinam, quæ peccato amissa fuit. *Ergo* justitia et sanctitas fuit peccato amissa, — hinc exstitit. *Atqui* si extitit alicubi, certe exstitit in primis parentibus ante peccatum. *Ergo.*

Arg. 3. Quum maxima sit de hac re inter PP. concordia, sufficit testimonium S. August. (de Gen. ad lit. l. 6. c. 24.): "Renovamur ergo spiritu mentis nostræ secundum imaginem ejus, qui creavit nos, quam peccando Adam perdidit."

Cfrm. ex Ratione. 1. Est Ecclesiæ doctrina, ideo nasci infantulos in peccato, quod carerent gratia. *Ergo* antea existebat in Adam. –

2. Non apparet, num peccatum originale sit possibile, si in statu naturæ puræ protoparentes peccassent. *Ergo.*

Scholium 1. Si S. Paul. (I. Cor. xv. 45.) docet, primus homo, Adam, in animam viventem; secundus Adam, *Christus*, in animam vivificantem factus est,—loquitur de corpore glorificato in resurrectione per merita Christi, ita ut sensus sit: Adam fuit constitutus in animam viventem sibi soli, ita ut, si semel cecidit, non possit reddere vitam. Christus autem vivificat corpora mortua. (vide totum textum).

2. Si S. August. dicit (de Corrept. et Gratia c. 10. n. 27.) Deum ita ordinasse angelorum et hominum vitam, ut prius ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset suæ gratiæ beneficium justitiæque judicium—loquitur de statu præcedente *judicium*; i. e., per liberum arbitrium et gratiam operantur; in ipso autem judicio *ostendit* Deus, angelos et homines per suam gratiam vicisse, et malos angelos et homines per proprium arbitrium peccasse et hinc puniri.

Coroll. Ergo gratia sanctificans et status filiorum Dei potest esse separatus a reliquis donis integritatis, immortalitatis secundum corpus, etc., quæ fuerunt in primo homine; sancti enim V. Testamenti habebant prius, carebant aliis.

DE INTELLECTU PROTOPARENTUM.

N. B. Duplex malum intellectus: 1. *ignorantia*, 2. *error*.

PROPOSITIO XVI.

Vi status Deus utriusque parentis intellectum eximia ornaverat scientia.

St. Q. 1. Vi status paradisici (vid. coroll. præced. Prop.).

2. Duo probanda: *a*) ornaverat scientia infusa. *b*) Hæc scientia erat donum præternaturale.

I. Scientia infusa.

ARG. 1. Eccles. xvii. 5.: "[Deus] disciplinâ intellectus replevit illos [protoparentes]. Creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum." *Atqui* verbis illis '*replevit*,' '*implevit sensu*,' '*creavit scientiam*,' non communis quædam scientia exprimitur, sed eximia, statui conveniens; nec scientia secund. potentiam tantum, sed actualis. *Ergo.*

ARG. 2. Gen. ii. 19. 20.: "Appellavit Adam nominibus suis cuncta animalia, et universa volatilia cœli et omnes bestias terræ."—Unde ita: Adam dedit nomina animalibus cunctis convenientissima eorumque essentiam exprimentia — "omne quod vocavit Adam, ipsum est nomen ejus." *Atqui* ad hoc debebat habere cognitionem eximiam essentiæ cujusque et verborum copiam maxime accommodatam. *Ergo.*

Patet præterea ex nomine, quod dedit Hevæ, "eo quod mater esset cunctorum viventium" Gen. iii. 20., et ex descriptione naturæ matrimonii. Gen. ii. 23. 24.

ARG. 3. Quum PP. conveniant, sufficit testimonium S. August. Asserit enim, "eos qui in hoc sæculo ingeniosissimi apparent . . ., si Adami ingenio comparentur, distare longe amplius quam celeritate a volucribus testudines distant." (Opus imp. l. 5. n. 1.)

ARG. 4. *Ex Ratione.*—1. Deus creavit protoparentes *adultos*, i. e., perfectos quoad corpus etc. *Atqui* convenit tales esse etiam instructos scientia infusa: quia si adhuc deberent quærere scientiam, essent in conditione difficili et laboriosa, et essent sub hoc respectu infra animalia; quia homo scientia se regit, animal instinctu, instinctus autem datur cum natura. *Ergo.*

2. Adam destinatus erat, ut esset caput sociale. *Atqui* convenit tale caput non generando tantum, sed et gubernando et docendo etc. caput esse,—hinc omnia necessaria habere ab initio; potuit enim fieri pater continuo etc. Accedit quod et sacerdos esset,—hinc principia fidei etc. exponeret. *Ergo.*

II. Hæc scientia infusa fuit donum præternaturale.

Nota. *Bajani* contendunt: 1. ignorantiam juris naturalis *non* excusare a peccato. Ratio eorum est, quia homines existunt in statu peccati, et quia per peccatum originale natura læsa est in naturalibus. Unde secundum Bajanos, *propter peccatum originale* ignorantia invincibilis non excusat a peccato.

2. Etiam in statu innocentiæ dicunt talem ignorantiam non excusare a peccato; hinc concludunt, dari debuisse, et quidem ut donum naturale, scientia infusa,

3. Definiunt vero eam scientiam debere esse talem, ut omnis error evitetur; si enim deberet vel acquiri vel perfici, posset *interea* peccatum committi.

Arg. Est donum præternaturale, si 1. non simpliciter transfert hominem in alium ordinem supra naturam, 2. non est debitum naturæ. *Atqui* utrumque constat: prius evidens est; alterum, quia homo natura sua quærit scientiam per sensus, per ratiocinia, analysim, synthesim. *Ergo.*

Contra Bajanos negatur principium, ignorantiam legis *non* excusare a peccato.

Scholium *de possibilitate erroris.* Tribus modis potest homo errare: 1. *Speculative* tantum, v. g. si quod probabile est, certum putat etc.—est sine peccato. 2. In scientia practica, si ex infirmitate aliqua vel non habet sufficientem scientiam, vel non attendit satis—peccatum veniale. 3. Si erratur cum obstinatione in re gravi, v. g. in hæresi etc.

Jam in primum errorem non potuisse hominem cadere—ut assumeret vera pro falsis, — censent S. Aug. (de Lib. Arb. l. 3. c. 18. et l. 1. Retract. c. 7.), S. Thom. (1. q. 94. a. 4.), Suar. (Hex. l. 3. c. 10.).—Ratio est, quod error esset malum intellectus.

Quoad secundum, i. e. peccatum veniale, notandum, posse duobus modis committi tale peccatum: *ex defectu attentionis* et *ex deliberatione.* Jam Scotus censet utroque modo potuisse protoparentes peccare; Altisiodorensis negat deliberatum peccatum, concedens prius; communis sententia, non potuisse ullo modo peccatum veniale admittere. S. Thom. (1–2. q. 89. a. 3.)

Tertio modo potuerunt errare in quantum potuerunt peccare, ita tamen ut præcederet, v. g., in Eva et Adam aliud peccatum, i. e. superbia; quare postquam derelictus peccato status innocentiæ fuit, poterant in errores incidere.

Quæstio 1. Num fuerit secundum essentiam eadem scientia quam nostra acquisita?—*R. Fuit* eadem excepto respectu originis.—Præterea, præter infusam potuit experientiâ aliqua scientia comparari, sicut qui novit Geometriam theoretice potest et exercendo practice easdem veritates novo modo discere. Quoad individua potest crescere scientia; quia per generationem nova individua oriuntur etc.

Quæstio 2. Num infantuli in hoc statu nati fuissent in perfecta scientia?—*R. Non;* nam fuissent nati ut subditi parentibus; hinc debuissent ab ipsis regi, discere, etc., quamvis facilius, citius, melius etc. didicissent. Hinc scientia Adamo collata fuit infusa per accidens ratione ætatis adultæ, in qua creatus fuit Adam, non per se, quasi ex sese hoc postulasset.

Quæstio 3. Num in naturalibus an etiam in supernaturalibus?—*R.* Tam naturalis scientia quam supernaturalis quoad mysteria fuit infusa. Novisse etiam Adam angelos etc., clarum est per sese; præsertim si Deus ipse assumitur instruxisse Adamum de creatione etc.

DE VOLUNTATE.

Nota. In voluntate considerari potest:

I. Voluntatis ordinatio ad Deum.

II. Voluntatis ordinatio ad potentias sibi subjectas.

I. Voluntas Ordinata ad Deum.

Fuisse ordinatam voluntatem ad Deum patet ex thesi XV.; potuisse vero voluntatem liberam hanc ordinationem peccato mortali amittere, probabitur postea. Quæritur vero, num manens in statu innocentiæ voluntas protoparentum potuerit venialiter saltem peccare.

PROPOSITIO XVII.

Vi status primi parentes venialiter peccare non poterant.

St. Q. 1. Triplex ad Deum relatio: aut conversio ad Deum in linea recta; aut aversio a Deo in oppositum; aut deviatio a linea recta, quamvis directio ipsa non mutetur. Primus status est perfecta conversio; alter status est status peccati mortalis; tertius est status peccati venialis.

2. De differentia opinionum vide supra.

Arg. 1. Peccare in statu innocentiæ est imminuere innocentiam et amicitiam,—hinc malum status. *Atqui* tale malum status cum perfectione status non potest convenire. *Ergo.*

Arg. 2. Culpa venialis condonanda est propter pœnitentiam. *Atqui* pœnitentia, dolor etc., in statu perfectionis primitivæ admitti nequit. *Ergo.*

Arg. 3. Perfectio status paradisici postulat absentiam mali, pœnæ, damni. *Atqui* per peccatum veniale malum, pœna, damnum incurritur. *Ergo.*

II. Voluntas relate ad Inferiores Potentias.

Nota. 1. Duplex habet voluntas dominium: *despoticum*, i. e., tale, cui inferior continuo obedit velut instrumentum,—sic movet membra corporis; *politicum*, cui contradicere inferior potest, v. g., civis in urbe superiori regi,—tale habet voluntas dominium in appetitum sensitivum.

2. Pars sensitiva duas habet partes, sensitivam et appetitivam. Cognitio per sensus accepta producit motum in appetitu idque naturaliter in objectum perceptum tanquam bonum illi parti conveniens. Constat vero tale bonum sensitivum non semper concordare cum bono rationali, quod est bonum totius compositi. *Ergo* potest bonum sensitivum, quod intendit appetitus sensitivus, esse malum totius; quare si appetitus tendit in hoc bonum, tendit in malum totius. Est igitur talis appetitus *in se* consideratus bonus, *relative* consideratus malus.—Hinc:

a) Motus appetitivus quum feratur in bonum suum, prævenire naturaliter potest actum voluntatis.

b) Difficile, si quando vehementior fuit, obedit imperio voluntatis.

3. Talis oppositio appetitus sensitivi vocatur concupiscentia *stricte* dicta—quia concupiscentia *late* sumpta est generatim appetitus in bonum, potestque esse bona, v. g., spiritus concupiscit adversus carnem. Hæc vero concupiscentia duplici ratione potest dici *mala*: *a*) In quantum impedit bonum totius ideoque vincenda est. *b*) In quantum, licet naturalis sit, de facto tamen ex peccato orta est, sicut *paupertas*, quæ ex nimia luxuria orta est, mala est tum quod caret divitiis, tum quod orta est ex malo usu divitiarum.

4. Immunitas ab hac oppositione, quæ et integritas vocatur, involvit duo: *a*) Ne sit motus in objectum præveniens voluntatem. *b*) Ne sit difficilis in obediendo, sed summe concors cum voluntate.—Aliquid simile obtinetur longis meditationibus, quum fere obruatur et extinguatur appetitus sensitivus. In paradiso Deus per habitus plures concordantiam produxit.

I. Carebant protoparentes concupiscentia.

Arg. 1. *Ex Scriptura.* (Gen. ii. 25.; iii. 7. 10. 11.) dicuntur protoparentes, quamvis matrimonii jura et officia pernoscerent (Gen. ii. 23–25.), nullum ruborem ex nuditate cepisse. *Atqui* post peccatum continuo ruborem conceperunt, ideoque sibi perizomata fecerunt. *Ergo* rubor ex peccato ortus est. *Atqui* rubor indicat concupiscentiam. *Ergo* ante peccatum nulla erat concupiscentia.

Cfrm. Rom. vii. 19. 20.: "Non enim quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum;" et (v. 25.): "Igitur ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati."—Unde ita: Apostolus vocat concupiscentiam (de ea enim sermo est) peccatum et ex peccato; prius quia inclinat ad peccatum, alterum quia ex peccato (protoparentum, non enim in Apostolo solo sed in omni homine est) orta est. *Ergo* ante peccatum non fuit.

Arg. 2. *Ex Patribus.* S. Chrys. (in Gen. hom. 15. n. 4.) docet ante prævaricationem protoparentes vixisse ut angelos, "nullis concupiscentiis flagrantes."—S. Aug. (de Gen. ad lit. l. 11. c. 1.) docet nullum pudorem in primis parentibus fuisse, "quando nullam legem senserant in membris suis repugnantem legi mentis suæ." — S. Joan. Damasc.

(hom. in Ficum Arefactam n. 3.): "Protoparentes etsi corpore nudi erant, divina tamen gratia tegebantur."

× Arg. 3. *Ex Ratione.* Convenit, ut in statu perfecto totum corpus esset subjectum rationi, sicut ratio Deo.—Præterea, homo ex natura sua socialis est; concupiscentia autem maxime obstat perfectæ societati. *Ergo.*

II. Hæc carentia est præter *naturam.*

Arg. Illud, quod totum est in perficienda natura, nec ex natura ipsa emanat, præternaturale est. *Atqui* hoc valet de immunitate a concupiscentia, ut facile patet. *Ergo.*

Coroll. 1. *Ergo* concupiscentia ipsa potest dici malum, ut impediens bonum totius; peccatum, ut ad peccatum trahens et ex peccato orta.

× *Coroll.* 2. Immunitas a concupiscentia potest dici naturalis in quan-
1) tum perficit naturam eamque subjicit rationi (S. Thom. 1–2. q. 82. a. 3. ad 1.); sed inde non sequitur esse etiam debitam; præterea, quia na-
2) tivitate in statu innocentiæ erat transmittenda, pertinebat ad totum bonum naturæ perfectæ per generationem communicandæ.

Quæritur, num et spiritualis concupiscentia admittenda sit, quum dicatur spiritus concupiscit adversus carnem?

R. Admittenda est, ut experientia patet. Concupiscit enim homo honores, propriam excellentiam etc., sed notandum:

a) Ut quod in phantasmate apparet, suo modo etiam in intellectu apparet, ita quod in appetitu est, suo modo est et in voluntate.

b) In ipsa parte rationali ipsa ratio sæpe in partes distrahitur—*superior* ratio contemplatur æterna bona, *inferior* bona caduca, ut honores. Quamprimum autem cognoscitur *honos* etc., oritur etiam motus in ratione in talem honorem præveniens judicium. Iste motus est motus concupiscentiæ spiritualis. – Præterea, si bonum ordinis non satis allicit rationem, sponte fertur voluntas sæpe in bonum apparens contrarium, prævertitque actum reflexionis, hinc inconscius est homo sibi hujus motus initio. Tales motus indeliberati plus minus impediunt virtutes morales. Immunitas autem a talibus motibus pertinet etiam ad statum perfectionis originariæ.

DE CORPORE PROTOPARENTUM.

Possunt duo considerari in corpore: 1. *mortalitas*, 2. *passibilitas*.

I. De mortalitate.

1. Quum mortalitas sit decompositionis possibilitas in partes, immortalitas est negatio decompositionis. Negatio vero est ob *internas rationes*, si negantur partes adesse, sicut in anima vel in angelo— immortalitas naturalis: vel in composito ob *externas* rationes, quæ aut in anima, quæ ut glorificata in resurrectione ad corpus accedit et secundum redundantiam claritatis suæ corpus clarificat, ut ferrum igni pervasum clarificatur, hac enim ratione omnia corporis elementa clarificata ligantur et manent; aut sunt positæ extra in providentia divina, mediis aptis ad hunc effectum utente: sub priori ratione est immortalitas glorificationis, hinc cœlo propria; sub altera ratione est immortalitas innocentiæ, hinc paradiso propria.

2. Quum agatur de immortalitate corporis in statu innocentiæ, tres sunt potissimum sententiæ:

a) Scotus censet corpus, utpote compositum, ex sese mortale. Adamum igitur omnesque ejus posteros naturæ necessitate tandem morituros fuisse propter elementorum pugnam, ex quibus compositum corpus humanum sit. Deum vero, priusquam mors ex hac pugna oritura sit, unumquemque hominem ad statum mercedis et immortalitatis glorificatæ transferre. (Estius in l. 2. Sent. dist. 19. § 2.)

b) Alii assumunt habitum seu qualitatem quamdam internam a Deo superadditam, simili modo sicut solemus lignum superinducere aliqua substantia, qua protegatur a corruptione.

c) S. Thom. cum aliis docet, Deum externa sua providentia per media apta corruptionem impedire.

Explicatur. —Potest mors esse aut violenta, aut naturalis. *Violenta*, si per accidens, i. e., per ignem, aquam, bestiam, per ferrum, saxum cadens etc. accidit; a tali morte protegit Dei providentia, angelorum custodia etc.: *naturalis*, si ex interna lucta, organis consumptis, defectu nutritionis aptæ, etc. oritur.

Jam de hac naturali morte agendum. — Negari non potest, talem in corpore luctam fuisse, quia *propter illam* nutritio necessaria est: produxit autem Deus in paradiso "omne lignum . . . ad vescendum suave" Gen. ii. 9.; et Eva respondit serpenti: "de fructu lignorum, quæ sunt in paradiso, *vescimur*." Gen. iii. 2.

Quæritur, quomodo præcaveatur, ut hæc lucta sit ad mortem? Cf. Suarez (de Op. sex Dier. l. 3. c. 14.). Deest passio et concupiscentia interna, hinc et nociva illa excitatio. Præterea, nulla molestia externa ex parte laboris, frigoris, æstus etc.; omnia enim temperata erant. Per *esum* et *potum* non consumebantur organa, ideo quod alimenta nutritiva et facillime digestiva erant. Denique, medium præcipuum erat *lignum vitæ*, cujus fructus duas habebat qualitates, *nutritivam* et *sanativam*; non quod sanaret morbos, sed præveniret.

Quæritur, qualis fuerit illa virtus sanativa seu medicinalis in ligno

vitæ?—Scotus censet illam virtutem fuisse naturalem et quidem talem, ut prolongaret vitam, non autem impediret mortem simpliciter; poterat igitur homo senescere cum hoc cibo. Hæc opinio rejicitur, quia Adam ideo post peccatum fuit ejectus ex paradiso, "ne sumeret de ligno vitæ, comederet et viveret in æternum." Gen. iii. 22.

Alii censent fuisse illam qualitatem supernaturalem; cui sententiæ videtur favere S. August. (de Gen. ad lit. l. 8. c. 5.), comparans cum pane subcinericio (III. Reg. xix.), in cujus fortitudine ambulavit Elias 40 diebus etc.: fortitudo autem illa supernaturalis erat. Simile quid Beda (in Genes.) admittit. S. Bonavent. (l. 2. Sent. dist. 19.) comparat cum Sacramento; prout enim signum sacramentale efficit, ut Deus gratiam det, ita esus illius fructus efficit, ut Deus confirmet corpus etc.

Altera tamen sententia negat, fuisse in arbore illa vim supernaturalem, ideo quod non repugnat, esse in planta aliquam vim medicinalem, quæ in æquilibrio teneat omnes vires etc. corporis illius, qui utatur illa planta; et quum non repugnet, posse etiam a Deo creari; esse autem principium, non esse refugiendum ad supernaturalia, si naturalia sufficiant. Præterea, si supernaturalis fuisset qualitas, non apparet, cur Deus ejecerit ex paradiso Adamum, ne comederet ex illo fructu. Naturale enim perdurat, supernaturale evanescit cum fine (i. e. immortalitate in homine producenda).*

Coroll. *Ergo* apparet etiam, cur homines primis temporibus tamdiu vixerint. Quum enim ab Adamo immediate descenderent, habebant corporis compositionem optimam, originarie destinatam ad immortalitatem, quæ per peccatum non plane perierit. Quodsi additur temperies, nutrimentorum facilitas, etc., longævitas facile explicatur.

PROPOSITIO XVIII.

Vi status protoparentes in paradiso ornati erant immortalitate corporis, ita ut in sua potestate haberent non *mori.*

St. Q. 1. Est dictum commune, a S. Augustino derivatum, protoparentes ante peccatum potuisse *non mori;* post peccatum non potuisse *non mori*, sed debuisse mori. Sensus est, si perseverassent protoparentes in bono, futurum fuisse ut non morerentur.

Arg. 1. Gen. ii. 17.: "In quocumque enim die commederis ex eo [ligno vetito] morte morieris." *Ergo* si non commedissent, non debuissent mori.—Præterea, idem declarat S. Paulus, Rom. v. 12.: "Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors." *Ergo* mors est pœna peccati.

Arg. 2. Idem definivit, contra Pelagianos, Concilium Milevitanum

* Ex hoc patet, non sufficere semel tantum gustare, ut cum aliis videtur censere Bellarm. (de Gratia Primi Hominis c. 18.), sed necessarium videtur, sæpius gustare. Cf. Est. (in 2. Sent. dist. 19. § 8.)

II. (an. 416.): "Quicumque dicit Adam primum hominem mortalem factum, ita ut sive peccaret sive non peccaret, moreretur in corpore, hoc est, de corpore exiret, non peccatis merito sed necessitate naturæ, anathema sit." Idem dicunt Aurasic. II. (an. 529.) et Trident. (sess. 5. in decret. de pecc. orig.).—Quum Patres sint concordes ac Script. testimonia clara, omittuntur textus Patrum.

Arg. 3. *Ex Ratione. a*) Si Deus hominem ad statum filiationis elevat, convenit ut et immortale corpus reddat; pater enim filium suum fovet ita, ut mortem, morbos etc, arceat, et ita ad hæreditatem transferat.

b) Deus *hominem*, i. e. totum hominem, vult habere ut filium adoptatum, hinc in resurrectione Deus vocat corpus in participationem filiationis. *Ergo* conveniebat, ut in statu innocentiæ, quum primum elevaret ad statum filiationis, corpus participaret filiationem per immortalitatem.

Fuisse donum præternaturale, patet ex eo, quod quidquid est compositum, *naturaliter* dissolubile est. *Ergo.*

Coroll. Ergo patet quo sensu Milevit. (can. 1.) anathema dicat illi, qui refert mortem in necessitatem naturæ;—est enim de facto ex peccato. Item, quo sensu Araus. II. (can. 2.) affirmet injustitiam dare Deo, qui dicant, mortem corporis sine morte animæ, i. e. sine peccato, in omne genus humanum transisse. Supponitur enim semper status innocentiæ, qui sine peccato destrui non poterat.

Scholium *de passibilitate corporis.*

1. Aliæ sunt passiones *corruptivæ*, ut morbi, dolores etc.; aliæ passiones *perfectivæ*, quando sensus patiuntur ab objectis. Jam vero priores non erant in paradiso, quia omnis corruptio repugnat statui corporis; posteriores erant, ut patet.

2. Fames et sitis possunt considerari vel ut signa corruptionis internæ, vel ut immoderantiæ in edendo et bibendo, vel ut incitamenta ad edendum et bibendum. Sub duobus prioribus respectibus non erant in paradiso, sub tertio vero respectu *erant* in paradiso, i. e., ut naturalis appetitus in vi nutritiva.

3. *De somno.* — Alex. Alens. (Sum. p. 2. q. 89. membr. 3.) censet probabilius, somnum in paradiso non futurum fuisse ob has rationes: *a*) Somnus oritur ex languore et fatigatione; *b*) oritur ex digestione

et reductione caloris; *c*) homines non potuissent frui Deo; *d*) videtur Gregor. (Moral. l. 8. c. 20. et c. 6.), et Isidorus idem sentire.

R. Somnus potest venire naturaliter ex digestione, quæ admittenda est; et *ad præveniundum* et impediendum fatigationem.—Sub utroque hoc respectu admittendus somnus est. — Probatur ex S. Script.— Etiam in paradiso homo vivebat vitam animalem; ad quam pertinet necessitas edendi, bibendi, dormiendi. —Præterea, ad id vicissitudo dierum et noctium instituta erat. — Deinde, Deus ipse *soporem* immisit Adamo, quum crearet Evam. Patres denique, Gregor., etc., supponebant somnum post defatigationem.

4. *De generatione.*— Negant multi in statu innocentiæ fuisse generationem per coitum, ut Gregorius Nyssen. (vel qui fuit auctor libri de Opificio Hominis cc. 17. 18.), Damascenus (de Fide Orthod. l. 2. c. 30. et l. 4. c. 25.), Procop. (in Gen. c. 4. in verba: *Cognovit Adam uxorem*), Euthymius (in verba Psalmi 50.: *Ecce enim in inquitat. conceptus sum*). Citant et S. Chrysost. (in hom. 18. 20. super Gen.); alii tamen probant ex S. Chrysost. contrarium. Videtur etiam S. Aug. (de Gen. cont. Manich. l. 1. c. 19. et alibi) aliquando idem sensisse. Rationes sunt: *a*) Indigna illa propagatio homine in statu innoc. *b*) Libidinis et concupiscentiæ plena. *c*) Conjuncta cum corruptione virginitatis. *d*) S. Luc. xx. 34.: "Filii hujus sæculi nubunt et traduntur ad nuptias."— Putabant igitur vel nullos alios homines præter Adam et Evam procreandos fuisse, ut August. (de Civ. Dei. l. 14. c. 21.) sensisse se aliquando fatetur; vel eo modo multiplicandos, quo Adam et Eva, ut Damascenus; vel eo modo quo angeli, ut Nyssenus.

R. Futurus erat verus coitus generativus, nam *a*) post creationem dixit Deus: "*Crescite et multiplicamini*" (utique propria activitate). Præterea, post diluvium eadem verba repetit Noe et filiis ejus, ergo et eodem sensu. *b*) Dicit Adam: "erunt duo in carne una." *Ergo.* *c*) Ut notat S. Aug., ob generationem Eva in adjutorium Adæ facta est, quia pro aliis rebus melius fuisset creatus vir, ut adjutor et amicus Adæ. *d*) Denique ut ante peccatam nullus rubor et nulla concupiscentia, ita sine illa potuissent actum matrimon. exercere; libido enim in generatione nunc inordinati quid habere potest, sicut et libido cibi et potus. Debebat autem admitti delectatio in hoc actu, sicut et delectatio in cibo etc. in paradiso erat.

Denique nulla corruptio virginitatis, quum *aut* ita possent generare ut B. Virgo genuit Filium suum, ita ut Filius ex utero procederet, sicut quum intraret ad Apostolos per januas clausas; *aut* ita ut membra se facilius aperirent. Nulla igitur corruptio, nulla violatio, nullus dolor in partu et generatione. S. Lucas denique loquitur de hoc sæculo, in quantum opponitur sæculo post resurrectionem, ut patet ex contextu. Fuisset autem conjugium laudabilius quam continentia.

5. *De statu nascentium.* Fuisset idem numerus filiorum et filiarum; nati denique fuissent, secundum alios, cum usu aliquo membrorum, ut possent ire, manibus aliquid capere, loqui etc., quamvis parvuli (quod enim aliqui dicunt, fuisse natos ut adolescentes, absurdum, quum uterus matris non potuisset adolescentem continere). Potest etiam assumi, fuisse natos membris melioribus, ita tamen, ut deberent discere a parentibus, et paulatim motum membrorum aptum acquirerent.

6. *De statu nascentium quoad gratiam.* — *a*) Fuissent nati omnes sicut Adam in gratia sanctificante, secus non posset amissio gratiæ ipsis esse malum et peccatum. *b*) S. Anselmus opinatur, si Adam non peccasset, futurum fuisse, ut omnes nascerentur in gratia *confirmati.* "Videtur quod si primi parentes sic vicissent, ut tentati non peccassent, ita confirmarentur cum omni propagine ut ultra peccare non possent." Anselm. (in opere: "Cur Deus homo.")

R. Rejicienda sententia, quia infantuli non debent nasci perfectiores parentibus; parentes autem habebant gratiam amissibilem; *ergo* et infantuli. Nec objici potest: Bonum est fortius malo; *atqui* malum ad posteros transmissum fuit—quædam existentia in peccato et necessitas peccandi; *ergo* bonum in posteros transmissum futura fuisset—quædam necessitas in bono et confirmatio. Nam neganda est Major, quum transitus a bono ad malum facilis; difficilis vero transitus a malo ad bonum. Præterea, bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu. *Ergo* difficilius est esse bonum, quam esse malum. Denique, necessitas peccandi non est confirmatio et obduratio in malo, sed magna tantum difficultas agendi bene.

N. B. Beatissimam Virginem exceptam fuisse, patebit ex tractatu *de Immacul. Concept.*

7. *Quæritur*, quando homines transferendi fuissent in æternitatem?

Aliqui censent omnes debuisse vivere usque ad ultimum hominem his in terris; si ultimus homo fuisset probatus, omnes simul translatos fuisse.—Sed contra est:

a) Inæqualitas temporis et vitæ, præsertim si vita ultimi et primi hominis consideratur.

b) Nimia hominum multitudo in terris; fortasse non cepisset homines.

c) Vita in terris est tempus meriti; hinc pro primo extitisset longissimum tempus merendi, pro ultimo brevissimum. Propter ultimam rationem aliqui imaginati sunt locum in quo conservarentur, sicut Elias et Henoch; i. e., unicuique certa mensura temporis daretur, post quod transferentur non in cœlum sed in locum vel vestibulum cœli, ubi viverent sine merito dum omnes essent congregati. Tum vero omnes simul raperentur in cœlum. Vocant locum illum locum confirmationis.—R. Respondetur tamen, duplicem illam translationem gratis asseri. Dicendum itaque omnibus mensuram vitæ fuisse a Deo præstitutam, post quam mercedem continuo fuissent adepti, ut decet dominum dare mercedem, si labor finitus est. Unde quando tempus glorificandæ animæ adest, glorificatur corpus simul.

PROPOSITIO XIX.

Protoparentes non tantum de jure sed etiam exercitio dominium habebant in omnia animalia inferiora.

St. Q. De jure homo etiam post lapsum dominium habet in animalia, non autem exercitium dominii habet.

Arg. 1. Gen. i. 28.: "Crescite . . . et replete terram et subjicite eam et dominamini piscibus maris, et volatilibus cœli et universis animantibus, quæ moventur super terram." *Ergo* dedit eis dominium. *Atqui* hoc dominium etiam exercuit Adam imponens nomina: ideo enim Deus adduxit ea ad Adam, ut qua dominus nomina imponeret, i. e., ostenderet suum dominium (Gen ii. 19–20.). *Ergo.*

Cfrm. In primo statu omnia optime ordinata erant. *Atqui* optima ordinatio postulat, ut inferiora per superiora regantur; hinc animalia per homines. *Ergo.*

Scholium *de commercio Evæ cum serpente.*

1. Si diabolus voluit seducere Evam, debuit hoc sub forma aliqua visibili facere; non enim habebat jus in corpus vel phantasiam Evæ, in qua omnia erant optime ordinata.

2. Ad formam autem visibilem non adhibuit corpus humanum, quum unus tantum homo adesset—Adam—,Eva mirata non auscultasset; fortasse etiam Deus, qui ambulabat in paradiso visibiliter, sibi hanc formam reservaverat. Hinc selegit formam animalis illius, quod inter omnia callidissimum, maxime diabolo conveniebat,—hinc verum serpentem; atque in ejus ore formabat verba, sicut angelus bonus in ore asinæ Balaam.

3. Quum Eva haberet dominium in omnia animalia, non horruit serpentem. Præterea, postquam Adam nomina dedit omnibus animalibus fuit Eva creata (Gen. ii. 21–22.). Unde Eva recens creata non novit animalia, neque experientiâ, neque scientiâ infusa saltem perfecta, quum non egerit; caput enim et doctor generis erat Adam. Hinc, quum recens orta audiret serpentem loquentem, mente hæsitabat unde serpenti loquela, et non judicabat sed continuo quæstioni inhærebat. Per quæstionem enim attentionem mulieris a se ad aliud impulit. Inhærens quæstioni complacentiam concepit, et consequenter peccavit.—Hinc patet, quomodo *recens orta*, non edocta animalium naturas, fortasse etiam mirabunda, quæstioni se immiscere potuerit.

PROPOSITIO XX.

In statu innocentiæ homo etiam in alios homines dominari potuit, dominio non servili et coactivo, sed civili ac libero.

St. Q. Dominium coactivum agit per leges et pœnas; dominium civile et liberum agit in utilitatem vel individui vel communitatis per instructionem intellectualem.

Arg. 1. Homo est animal sociale; *atqui* vita socialis sicut in familia ita et in communitate postulat caput aliquod, quod dirigat etc. *Ergo.—Atqui* dominium illud non potest esse coactivum, quia hoc supponit defectum; *ergo* est directivum tantum, i. e., agit per principia, docendo etc.

Cfrm. In hoc statu alii etiam aliis sapientiores futuri fuissent. *Atqui* convenit, sapientiores regere minus sapientes. *Ergo.*

Scholium. Si mulieri dicitur: "Sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui," — significatur eam post peccatum alio modo subjectam esse debere ac ante peccatum.

PROPOSITIO XXI.

Constitutus fuit Adam caput generis humani, ita ut dona supernaturalia ipsi ratione naturæ essent collata, velut viaticum supernaturale humanæ naturæ.

St. Q. 1. Adam considerari potest dupliciter, vel ut particularis persona, vel ut persona publica,—pater generis humani ideoque et repræsentans genus humanum.

2. Quum igitur Adam pater omnium sit, omnes per originem ab ejus natura suam naturam derivant; quare si natura est in Adam elevata et ornata donis supernaturalibus, illa simul cum natura ab eo deducunt, non quasi ipse produceret hæc dona, sed ideo quia Deus libere tanquam hæreditatem supernaturalem hæc dona addidit naturæ.

Explicatur exemplo. Supponatur *candela* destinata ad hoc ut candelæ aliæ ex illa lumen accipiant. Jam si supponatur candelam benedictam non ratione sui, sed ratione luminis, ita ut lumen acceperit benedictionem, sequitur, alias quoque candelas, in quantum ab illa accipiant, trahere in se illam benedictionem. Candela per se non producit benedictionem, sed quum sit libere a Deo superaddita et connexa cum lumine, sequitur luminis derivationem. Idem valeret pro maledictione.

Arg. 1. Deus sine illis meritis præcedentibus Adamum constituit in ordine supernaturali. *Atqui* non apparet ratio alia hujus elevationis, quam illa, ut tota natura et totum genus eleveretur. *Ergo.*

Cfrm. 1. Qui generantur non sunt inferioris conditionis quam qui generant.

Cfrm. 2. Dixit Deus protoparentibus elevatis: "Crescite et multiplicamini, etc.," i. e., tales quales vos estis, generate etc.; *atqui* erant parentes elevati. *Ergo.*

Cfrm. 3. Non apparet ratio, cur Deus, postquam elevavit parentes, eorum filiis elevationem negaret. *Ergo.*

Arg. 2. PP. docent, Christum in assumpta humanitate ipsam naturam humanam assumpsisse ita, ut in ea natura omnes quotquot humanam naturam participent, virtute quadam continentur. *Atqui* Christus restauravit humanam naturam, ut in Adam erat perdita: est enim restaurator et renovator humanæ naturæ. *Ergo* et Adam habuit simili modo in se humanam naturam (sub respectu supernaturali, quia ordo supernaturalis fuit restauratus).

Ad Maj. Athan. (Orat. 4.): "Quemadmodum Dominus corpus induens homo factus est; ita nos homines a Verbo deificamur per carnem ipsius assumpti." *Ergo* docet, nos quoque in carne ipsius, i. e., in natura humana ab eo assumpta, fuisse et ipsos assumptos.—Gregor Nyss. (Catech. c. 32.), loquens de resurrectione: "Quoniam (inquit) non aliunde quam ex massa nostra caro illa erat, quæ Deum excepit, quæque per resurrectionem cum divinitate simul in altum est evecta; quemadmodum in nostro corpore actio unius ex sensuum instrumentis totum ad consensum trahit id, quod cum parte conjunctum est: ita perinde ac si natura tota unum quoddam sit animal, unius resurrectio partis transit in totum, quæ quidem pro naturæ continuitate et unitione a parte in universum diffunditur." *Ergo* Christus est quasi pars, quæ juncta est cum toto, ita ut ex ipso in totum redundare gloria resurrectionis possit. Jam vero hoc supponit Christum illud assumpsisse totum. *Ergo.* — Simili modo S. Ambros. (in Res. 118.), S. Hilarius (l. viii. de Trinit.). S. Ephræm (apud Phot. cod. 229.): "Omnes istos [qui mihi fideles sunt] in uno templo gero, quod assumpsi." Titus Bostrensis (aut qui auctor libri est) ad caput Lucæ xii.: "Christum (ait) per massæ nostræ primitias universam naturam humanam induisse." Item S. Leo Papa (Serm. 1. de Epiph.) naturam universæ humanitatis assumptam ait. — Confirmatur ex sent. plurimorum Patrum Græcorum, qui humanam a Christo naturam assumptam non singularem fuisse putant, sed *universalem*. (Recte intelligenda est; non natura abstracta, sed modo supra explicato.) Cf. Petav. (de Incarn. l. 2. c. 8. a num. 8. etc.)

Quæritur, num, si Adam non peccasset, totum genus humanum in illa hypothesi futurum ut corpus Christi cœlum intrasset, aliis verbis, num Verbum incarnatum futurum fuisset.

R. 1. De possibilitate dubitari non potest; hinc 2. quæritur, num de facto Deus Incarnationem decreverit.

Duplex sententia. Affirmant Scotus, Albertus, Alexander, Catharinus, Rupertus, Valentia, Suarez (disp. 5. sect. 5.). Negant S. Thomas, S. Bonaventura, Toletus, de Lugo (de Incarn. disp. 7. sect. 1. 2.), Petav. (de Incarn. l. 2. c. 7. nn. 8. 9.), Vasquez etc.

Dicunt priores, Christum venturum fuisse in carne impassibili, dum nunc venerit in carne passibili.—Ratio est, quod Deus voluerit aulam cœlestem creare Filio suo, hinc totum creare propter Filium; quod creatio tam angelica quam humana debuerit habere caput; quod angeli speciatim non possint habere Christum ut caput propter peccatum hominum etc.

Respondent alii cum S. Thoma, quum debuisset esse liberum Dei decretum, non posse erui, num Deus decreverit Incarnationem nisi ex documentis revelatis; sed ex his non erui, imo erui Verbum tantum propter peccatum incarnatum fuisse. In illo vero casu non exstitisset Christus ut caput, sed Deus. Angeli denique non ratione præcise humanitatis sed ratione Verbi cum humanitate conjuncti in corpore Christi.— *Videtur* hæc sententia S. Thomæ *probabilior*, quamvis et prior probabilis sit.

ARTICULUS VII.

DE AMISSIONE STATUS INNOCENTIÆ SEU DE LAPSU.

PROPOSITIO XXII.

Status innocentiæ erat pro protoparentibus status probationis, in quo facile fideles inveniri poterant. (*Vide Prop. eamdem in tract.* de angelis).

ARG. 1. Felicitas in paradiso non erat felicitas termini, quia *a*) non erat inamissibilis. *b*) Non erat felicitas hæreditatis, sed viæ ad hæreditatem, non enim erat intuitiva visio Dei. *Atqui* felicitas termini amitti nequit, quum qui habeant, sint confirmati in bono; estque intuitiva visio Dei, possessio regni Dei etc. *Ergo.*

ARG. 2. Gen. ii. 17.: "De ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas; in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris." Unde ita: Datur præceptum protoparentibus cum addita sanctione. *Atqui* hoc probat protoparentes nondum esse in statu mercedis. *Ergo.*

ARG. 3. Facilis fuit observatio: nam status paradisicus exclusit omnem inopiam, omni implevit gaudio; sic enim describit S. August. (de Civ. Dei, l. 14. c. 26.) vitam in "*paradiso voluptatis*" (Gen. ii. 8. 9.): "Vivebat Adam sine ulla egestate. Nullus *intrinsecus* morbus, nullus extrinsecus ictus metuebatur. Summa in carne sanitas, in anima tota tranquillitas."—*Status integritatis* exclusit omnem concupiscentiam.—Præceptum ipsum in se facile erat.—Status supernaturalis dedit gratias actuales sufficientes ad agendum et perseverandum in bono. *Ergo.*

Nota de gratia actuali. 1. S. August. (de Correptione et Gratia cap. 12.), comparans gratiam per Christum datam cum gratia Adamo collata dicit: "Primo homini, qui in eo bono, quo factus fuerat rectus, acceperat, posse non mori, *posse ipsum bonum non deserere*, datum est adjutorium perseverantiæ, non quo fieret ut perseveraret, sed *sine quo per liberum arbitrium* perseverare non posset. Nunc vero sanctis in regnum Dei per gratiam Dei destinatis non tale adjutorium perseverantiæ datur, sed tale, ut eis perseverantia ipsa donetur; non solum ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verum etiam ut per hoc donum nonnisi perseverantes sint." Et (cap. 11.): "Habuit Adam magnam gratiam sed disparem .... Ille opus non habebat eo adjutorio, quod implorant justi cum dicunt: *Video aliam legem in membris meis repu-*

gnantem legi mentis meæ . . . . Istam gratiam non habuit primus homo, qua nunquam vellet esse malus: sed sane habuit, in qua si permanere vellet, nunquam malus esset . . . . . Dederat adjutorium, sine quo non posset permanere, si vellet [in ea scilicet bona voluntate, in qua creatus est]; ut autem vellet in ejus reliquit arbitrio . . . Sed quia noluit permanere, profecto ejus culpa est, cujus meritum fuisset, si permanere voluisset, sicut fecerunt angeli sancti; cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi."*

Unde docet S. August: *a*) Adamum habuisse gratiam magnam. *b*) Disparem tamen a gratia Christi in statu naturæ lapsæ concessa. Prior gratia vocatur auxilium *sine quo non;* altera *auxilium quo*. *c*) Necessitatem auxilii *quo* S. August. derivat ex statu lapso, ex concupiscentia etc.

Variæ sententiæ.

a) Jansenius censet auxilium *sine quo non* esse gratiam versátilem, cum qua agere potuisset et non potuisset Adam; *auxilium quo* fuisse gratiam victricem et necessitantem;—falsa et hæretica sententia.

b) Thomistæ putant (generatim) auxilium *sine quo* esse gratiam sufficientem; auxilium *quo*, præmotionem physicam docent.

c) Alii, ut Ysambert, P. Deschamps, Bellarmin. etc., auxilium *sine quo* esse tantum gratiam illustrationis; *auxilium quo* esse præterea motum in voluntate.

d) Ultima sententia, recte tenet, auxilium *sine quo non* esse donum perseverantiæ, *non speciali modo* collatăm, quum status innocens non postularet tale donum; auxilium *quo* esse donum perseverantiæ *speciali modo* collatum sanctis in statu nat. lapsæ. — *Expl.* Perseverantia est gratia efficax pro ultimo actu, i. e., ita ut statim post hunc actum merces æterna obtineatur; hinc complectitur gratiam sanctificantem et gratiam *efficacem* ultimi actus. Jam in statu innocentiæ angeli et homines habebant gratiam sanctificantem,—naturam integram—*non* mortem improvisam; ideoque poterant cum ordinaria gratia illustrationis et motus correspondentis in voluntate ultimum actum ponere, hinc perseverantia in eorum arbitrio erat; sicut homo non fatigatus eodem modo ultimum gressum ponit, quo posuit præcedentes.— In statu vero naturæ lapsæ requiritur ad donum perseverantiæ ut mors inveniat hominem in statu gratiæ sanctific.; præterea, relate ad actum requiritur talis gratia, quæ vincat motus concupiscentiæ inordinatæ—tales enim motus *præveniunt*, perdurant; accedit difficultas ex corpore, ex morbis, ex tentatione diaboli, etc.: debet igitur, ut homo de facto hæc omnia vincat, gratia esse multo major. Quare si jam generatim in statu lapsus major esse debet, tum vero in hoc ultimo momento necessarium id est propter singularem momenti gravitatem. Est ergo verum donum providentiæ divinæ, ut mors superveniat tempore status gratiæ et actuale auxilium sit omnibus circumstantiis accommodatum. Atque ita recte concipitur *auxilium quo*.

*Jansenius (l. de Gratia Primi Hom. et Angelor. c. 57.) scribit, hanc distinctionem auxil. *sine quo non* et *quo* esse "clavem, qua aditus in scripta ejus [August.] aperitur . . ., esse filum, sine quo ex labyrintho scriptorum ejus nemo expedire se poterit."—Adhibet Jansen. hanc distinctionem 170 locis. Sed S. Aug. *semel* tantum paucis verbis et velut obiter affert idque ultimo ante mortem anno 429, post 20 annos consumptos in pugna contra Pelagianos. Quis putet, S. August. oblitum fuisse hanc suam doctrinam aut clavem invenisse tantum in fine vitæ suæ?

PROPOSITIO XXIII.

Peccarunt protoparentes nostri mortaliter, et quamvis hoc peccatum fuerit peccatum formalis inobedientiæ, primus tamen inordinatus motus voluntatis fuit formalis superbia.

PARS I. *Peccarunt mortaliter.* (*De fide*).

ARG. 1. Gen. iii. 6.: "Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis . . . et tulit de fructu illius et comedit, deditque viro suo et comédit." — Unde ita: Ille peccat, qui scienter et deliberate violat præceptum Dei. *Atqui* Adam et Eva ita egerunt. *Ergo.*

Præterea, si præceptum grave est et sub mortali obligat, peccant mortaliter. *Atqui* tale fuit præceptum de non edendo fructum illius arboris, et Adam et Eva deliberate etc. hoc præceptum violarunt. *Ergo.*

Prob. min. Fuisse grave præceptum patet *a*) *ex solemnitate*, qua Deus legem tulit; *b*) *ex fine*, quo tulit, i. e., ut homo suam subjectionem erga Deum coram omnibus ostenderet et probaret; *c*) *ex pœna*, quum protoparentes exciderint ex statu gratiæ, incurrentes servitutem dæmonis.

PARS II. *Fuit peccatum formalis inobedientiæ.*

Nota. 1. Est de fide, si sumitur in genere, i. e., abstrahendo ab eo, quis fuerit primus motus inordinatus.

2. *Obedientia formalis* est virtus inclinans ad executionem præcepti superioris, qua preceptum est. *Expl.* Quamvis se ad omnium virtutum materiam extendat, est tamen virtus specialis, in quantum dicit debitum *auctoritati* superioris ut formale objectum.

Inobedientia formalis est violatio præcepti in quantum scitur, et deliberate negatur debitum auctoritati. Sub hoc respectu vocatur a S. Thom. (1–2. q. 104. a. 2. ad 1.) contemptus præcepti.

3. Violatio præcepti ut sic non est bonum appetibile; quare aliud supponitur, propter quod violatio fit; est propria independentia, excellentia: unde non sequitur, intendi semper formaliter contemptum superioris; quare inobedientia intenditur ut medium assequendæ excellentiæ, monstrandæ independentiæ etc.

Arg. 1. Erat præceptum (Gen. ii. 17.) ne comederent Adam et Eva de ligno. *Atqui* scientes et animadvertentes hoc præceptum, nihilominus comederunt. *Ergo.*

Arg. 2. Vocatur a S. Paulo inobedientia, et opponitur obedientiæ Christi. *Ergo.*—"Sicut per *inobedientiam* unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obeditionem justi constituentur multi." Rom. v. 19.

Pars III. *De primo motu inordinato.*

Quum in inobediendo aliud quæratur, in quod intentio primo tendat, quæritur, quodnam fuerit primum peccatum 1°. mulieris, 2°. viri.

1. *De muliere.* Non una omnium sententia. Rupertus (in Gen. l. 3. c. 5.) censet, quod Eva immodesta et vaga dederit occasionem tentationi: — hinc primum peccatum. Magist. Sent., secutus Hugon. Victorin., putat primum peccatum fuisse, quod dubitasset *de morte* tanquam pœna; vult hoc probare ex particula "*forte*" "ne *forte* moriamur" (Gen. ii. 3.). S. Ambros. (l. de Paradiso c. 10.) censet mendacium fuisse primum peccatum; quum mulier adderet, "ne comederemus et *ne tangeremus illud;*" præcepit enim Deus tantum, ne comederent. Hæretici ponebant infidelitatem.—Communior et verior sententia est, fuisse superbiam.

2. *De Adamo.*—Ambrosius (in Lucam c. 4. de Tentation. Domini), S. August. (Enchirid. c. 45.), Gregor. (hom. 16. in Evang.) aliique multi enumerant plura peccata, quæ possunt ad hæc octo revocari: 1°. Superbia; 2°. inordinatus amor uxoris; 3°. curiositas edendi fructum; 4°. dubitatio de sensu præcepti; 5°. opinio, esse transgressionem præcepti levem tantum; 6°. peccatum gulæ; 7°. peccatum inobedientiæ; 8°. excusatio peccati a se commissi et implicite accusatio Dei.—Quæritur, quodnam inter hæc fuerit primum? Hæretici ultimorum temporum ponunt infidelitatem, quia putant sola infidelitate posse amitti gratiam. Inter Catholicos, S. Bonavent. et Scotus putant inordinatum uxoris amorem; non propter concupiscentiam, quæ nondum erat in Adamo; sed propter amicitiam, qua homo sæpe præfert offendere Deum quam amicum. Videtur simile quid indicare S. Aug. (de Gen. ad lit. l. 11. c. 42.): "Noluit Adam Evam contristare, non quidem carnis vic-

tus concupiscentia . . . . sed amicali quadam benevolentia."—Sed communior et verior sententia ponit superbiam. Hinc

ARG. 1. Eccli. x. 14. 15.: "Initium superbiæ hominis apostatare a Deo; quoniam ab eo, qui fecit illum, recessit cor ejus; quoniam initium omnis peccati est superbia." Ita secundum Vulgatam; in textu Græco (edit. Jager) legitur: Ὅτι ἀρχὴ ὑπερηφανίας ἁμαρτία, i. e., *quod initium superbiæ sit peccatum.* In alio textu Græco (Árias Montánus): Καὶ ἀρχὴ ἁμαρτίας ὑπερηφανία, *et initium peccati superbia.* Unde ita:

S. Auctor loquitur de peccatis hominum; *atqui* superbiam ponit tanquam initium; *ergo* primi homines inceperunt peccare superbia.

Expl. S. Auct. aut loquitur de omni peccato etiam in natura lapsa —sed hoc non videtur valere; aut intendit id, a quo status peccaminosus incipit, hinc primum peccatum protoparentum, idque videtur verum.

Cfrm. ex Tobia iv. 14.: "Superbiam nunquam in tuo sensu aut in tuo verbo dominari permittas, in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio."

ARG. 2. *Ex Patribus.* S. Aug. (de Gen. ad lit. l. 11. c. 30.): "Non crederet verbis serpentis bona atque utili re se esse prohibitos, nisi inesset ejus menti amor propriæ potestatis et quædam de se superba præsumptio." *Ergo* superbia præcessit fidem in verba serpentis et esum fructus.—S. Thom. (2–2. q. 163. a. 1.): "Ad unum peccatum multi motus concurrere possunt, inter quos ille habet rationem primi peccati, in quo primo inordinatio invenitur." *Atqui* ille motus primus fuit motus in propriam excellentiam, seu superbia. *Ergo.*

Prob. min. Incipit a motu interiori in aliquod bonum, propter quod præceptum læsit. *Atqui* nullus alius motus fuit possibilis nisi motus in propriam excellentiam; concupiscentia enim (stricte dicta) nondum erat. *Ergo.*

Quæritur in quanam re suam excellentiam quæsierint protoparentes? *R.* Ut essent Deo æquales, non in natura ut patet, sed in attributo aliquo communicabili—in scientia. Arrisit scientia; voluerunt habere contra voluntatem Dei; ægre tulerunt, se non habere: non igitur appetiverunt secundum mensuram, quam voluit dare Deus. Accessit pulchritudo fructus—hinc gula excitata; dein infidelitas erga Deum, quia diabolo magis quam Deo credebant.

Quæritur, num error fuerit in intellectu? *R.* Post primum motum

superbiæ intravit, quia gratia sanctificans et alia dona abierunt.—

Quæritur, num et fidem amiserint? *R.* Fidei habitum amiserunt quia omnia supernaturalia amiserunt. Eva præterea amisit, quia ipsa actum positivum infidelitatis elicuit; de Adamo non constat, quum non sit clarum num inter peccata ejus fuerit etiam infidelitas, ut fuit in peccato Evæ.—Habuerunt autem postea fidem per Jesum ut Redemptorem.

Scholium *de historia lapsus.*

1. *De præcepto.* Docet Tertull. (lib. cont. Judæos, c. 1) præceptum istud fuisse "*legem primordialem.*" Non fuit [illegible] tantum, sed commune soli Adæ revelatum, sed tanquam perpetuum, ita ut in statu innocentiæ semper mansurum fuisset ligans etiam posteros.— Vocatur hinc testamentum paradisi;— Eccli. xvii. 9–10.: "Addidit illis [hominibus] disciplinam et legem vitæ hæreditavit illos. Testamentum æternum [διαθήκην αἰῶνος] constituit cum illis." Pactum vocat illud Oseas vi. 7.: "Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum, ubi prævaricati sunt contra me." Hoc nomine sæpe utitur S. Augustin.—S. Script. pro pacto et testamento habet idem verbum ברית (berith) —διαθήκη. Distinguendum vero a pacto stricte dicto, quod postulat consensum utriusque partis; hoc enim imaginarium tantum est. Est igitur fœdus paradisicum quod Deus simpliciter imposuit generi humano in statu paradisi, quod eo sensu vocatur pactum, quatenus Deus vult esse fidelis, si homines fideles sint in observando. Poterant Adam etc. etiam alio modo peccare; sed de facto videtur Deus ita voluisse eos protegere, ut non nisi contra hoc præceptum peccarent. Sensus autem præcepti erat—restrictio dominii hominum in mundum; restrictio libertatis hominum; agnitio supremi dominii Dei; intentatio pœnæ, quæ visibiliter maxime manifestat jus Majestaticum Dei, i. e. jus vitæ necisque; in homine dependentiam. Est enim mors pœna maxime humilians; non enim est major humiliatio, quam illa, per quam homo reducitur in pulverem.

2. *De arbore scientiæ boni et mali.*

Juxta arborem vitæ fuit arbor scientiæ boni et mali. Putant aliqui, hanc arborem fuisse arborem (veneno) nocivam, hinc præceptum, ne comederent. Falsum, quum fructu sumpto non veneno protoparentes essent infecti. Erat igitur bona arbor ad virtutis exercitium præcepto subjecta. — Vocatur arbor scientiæ; alij putant *anticipative*, i. e., hæc est arbor, ex qua comedentes didicerunt homines experientia propria, quale discrimen inter bonum et malum, sicut qui nunquam ægrotus speculative tantum morbum novit, post autem morbo affectus, bene scit, quid sit sanitas, quid morbus: alij censent, a Deo huic arbori hoc nomen inditum, quare diabolus illa arbore usus sit ad seducendam Evæ curiositatem, qua generatim mulier omnia scire vult. Hæc sententia videtur præferenda; unde scientia boni et mali est scientia experimentalis. Quemadmodum homo ex morbo scit, quid sit sanitas et quid morbus, ita ex peccato didicerunt primi homines quid esset bonum, i. e.,

justitia, quid malum, i. e. miseria peccati.*—Rabbini putant arborem illam fuisse vitem; similiter Theodor. apud Theodoret. (in Gen. quæst. 28.) et S. Isidor. Pelusiota (l. 1. c. 2.). Plures alii putant fuisse ficum., ideo quod ex foliis fici vestes sibi consuerint primi homines (Gen. iii. 5.) et quod Rabbini ficos appellent filios dementiæ subindicantes peccatum Adam et Evæ.—*Communis*, quamvis non plane certa sententia est, fuisse arborem *malum;* hinc et in mythologiis malum [τὸ μῆλον] toties occurrit ut fons miseriæ etc. In monumentis quoque antiquis pingitur arbor mali, sub qua Adam et Eva.

3. *De serpentis tentatione et pœna.*

Cajetan. censet totam historiam allegoricam, ut sub imagine ostenderet S. Scriptor, quid intus dæmon egerit;—rejicienda sententia.—Simile quid Philo (de Opific. Mundi, p. 36.), putans illa ratione concupiscentiam carnis typice describi.—Aliqui putant serpentem potuisse loqui usque ad peccatum Adæ; alii ut S. Basilius, S. Ephræm, etc., eo tempore fuisse datam loquelam serpenti— rejicienda sententia; tenendum, dæmonem serpentem possedisse.—Quoad pœnam a Deo serpenti inflictam alii censent, sub nomine serpentis diabolum intelligi. Ita S. Aug. (de Gen. contr. Manich. l. 2. cc. 17-18. et alibi), Beda (in Hexæm.), Cajetanus, etc.; alii referunt maledictum ad utrumque serpent., ut Chrysost. (in Gen.), Epiphan. etc. Videtur magis ad realem serpentem pertinere. Nam *a*) verba clare hoc indicant: "Serpens callidior . . . decepit me, —quia fecisti . . ." *b*) Comparatur cum aliis bestiis, et ea illi imponuntur, quæ nunc in serpente videmus. *c*) Tota relatio figurativa historica —Sed de pœna ipsa magna quæstio. Alii putant, serpentem fuisse antea ex genere quadrupedum ac herbas comedisse—amisisse pedes; ita Jos. (l. 1. Antiquit.), S. Basil. (hom. 9. Hex.), S. Chrys. (in Gen.), S. Ephr. etc., allegantque illud Plinii (l. 2. c. 46.) visos aliquando serpentes anserinis pedibus. Alii dicunt, parte superiore ac potissimum pectore serpentem erectum incessisse. Beda (in Gen.), Prudent. (in Hamartigenia).—Verior sententia est, serpentem fuisse ita damnatum non ratione sui sed

* *Scientia boni et mali* magni fiebat apud Veteres; v. g., ap. Homer. Odyss. l. 18. vv. 228–29.:

"... οἶδα ἕκαστα—ἐσθλά τε καὶ τὰ χέρηα· πάρος δ' ἔτι νήπιος ἦα."

(Telemach.) "Scio nunc omnia—bona et mala; antea vero puer adhuc eram."—Item Sirenes invitant Ulyssem (Odyss. l. 12. v. 188.):

"ἀλλ' ἄγε τερψάμενος νεῖται καὶ πλείονα εἰδώς."

"Sed vir [qui venit ad nos] iterum proficiscitur, postquam deliciis usus est, et ut homo *plura sciens*."—Quemadmodum in omnibus fere mythologiis arbor vitæ occurrit et paradisus sub forma aliqua plus minus accidente ad S. Script. Persæ vocabant *Hom sanctam*, ex qua in paradiso succus æternitatis emanabant ideoque virgultum simile *viti* tanquam symbolum illius adhibebant in cultu religioso. Egyptii vocabant *Som-Soma;* in sarcophagis depicta invenitur, ut in musæo antiquitat. Viennæ. Sinenses vocabant *Tong*, a cujus fructu, ut dicit Chah-hai-ling, pendebat conservatio vitæ. De horto et pomis Hesperidarum nota fama. Germani vocabant *Ygdrasill, arbor mundi*, ex cujus foliis defluebat mel; poma æternitatis, quæ comedebant dii, conservabat dea Idema. Celtæ vocabant paradisum *Flathinnis* (insula deliciarum?) in quo perennis juventus immortalis, arbores frugibus plenæ, etc. Cf. Lueken ("Traditiones" p. 71. . . . .).—Ita etiam in aliquibus occurrit *arbor scientiæ*. Indi vocant *Bodhi;* arbor, sub qua *Buddha* dicitur natus. Poeta Sinensis Chi-King (in libro antiq. hymnor.) dicit mulierem accessisse arborem vètitam et peccato suo factum esse initium perniciei.

ratione hominum ; i. e., ut omne animal sic et serpens fuit animal *amicum* homini, per peccatum vero factum est animal maxime inimicum; persequitur hominem veneno, morsu, in clandestino, et homo persequitur, detestatur, occidit serpentem. Est igitur maledictum impositum serpenti non relate ad se, sed relate ad hominem, naturalis igitur modus serpendi est pœna serpenti, quia ideo detestationi et odio homini est. Ita intelligitur: "super pectus tuum gradieris." Potuit autem serpens ita condemnari, quia omnia animalia in usum hominis sunt, hinc mactari possunt etc. Erat autem in usum, quatenus semper vivum quoddam diaboli symbolum est ac peccatum primum cuique in mentem revocat. Præterea, maledictum ita afficit serpentem ut ex aliqua parte etiam afficiat diabolum.—"*Pulverem comedes*" non stricto sensu, quum serpentes vivant etiam animalculis; sed sensu lato, quatenus pulvis fœdissima quæque significat; sicut propheta dicit: "cinerem tanquam panem manducabam" (Ps. ci. 10.).*

* Serpens symbolum erat tum boni tum mali spiritus et genii.—Serpens aeneus in deserto (Num. xxi. 9.) Messiæ symbolum erat, quod ipsi Rabbini (in libro Thikkune Sohar, p. 67.) agnoscunt: "in illo tempore, quando interiit et abactus est serpens ille maledictus, regnat serpens sanctus [Messias]." Lueken (Trad. p. 518. nota). Ita Græci—Erichthonius, genius arcis, Athenis serpens erat. Ita Romani—Æsculap.—Mercur. baculum serpentibus circumdatum habuit signum potestatis supra dæmones etc. Præcipue vero symbol. diaboli est. Nulla existit fere mythologia, in qua serpens non partes præcipuas habeat.

ARTICULUS VIII.

DE TRANSMISSIONE PECCATI, SEU DE PECCATO QUA ORIGINALI.

Nota. 1. S. August. (Ep. 90. 94. et 157. ad Optatum) vocat doctrinam de peccato originali fundamentum religionis Christianæ. Dein idem S. Aug. (de Moribus Ecclæ. Cath. c. 22.) dicit, gravissimum esse homini proprium corpus propter antiquum peccatum, "quo nihil est *prædicandum notius*, nihil ad *intelligendum secretius.*"

2. *Adversarii.* *a*) *Pelagiani* docentes initio, peccatum Adæ ipsi soli nocuisse, postea vero, ut August. (l. 4. cont. duas epist. Pel. c. 2. et 4. n. 6.), argumentis Catholicorum convicti docere cœperunt, Adamum post peccatum, mortalem esse factum et ex eo per generationem posteros mortem quidem corporis non autem peccatum in se trahere. (Hinc Araus. 2. c. 2.)

b) Albigenses (teste Antonino in Sum. Theo.), Anabaptistæ, Sociniani; Zwinglius, docens ex Adamo transire tantum propensionem ad peccatum, quæ posset vocari peccatum. Erasmus (in Annotat. ad Rom. c. 5.) scripsit homines *imitando* Adamum peccare, quumque esset ideo Pelagianismi accusatus, non se sufficienter purgavit.

c) Rationalistæ, Materialistæ etc. negant pecc. orig.

PROPOSITIO XXIV.

Tam ex Scriptura sacra quam ex reliquis Ecclesiæ documentis constat, peccatum Adami, qua peccatum, ad omnes Adami posteros transiisse.

St. Q. 1. Peccatum ipsum transiit, non effectus peccati solum.

2. Quamvis plures motus in Adami peccato concurrerent, v. g., superbia, inordinatus amor erga Evam etc., transiit tamen ad suos posteros potissimum sub ratione inobedientiæ. - In quantum caput factus est rebellis, adeoq inobed. - Superbia pert. ad Adam ut persona propria & not ut caput

ARG. 1. *Ex S. Script.* Ps. L. 7.

1. Hen beavon cholalti ubechetah jechmateni imeh.* Ecce in iniquitate natus sum, et in peccato concepit me mater mea. (Text. Hebraicus)

*הן־בעוון חוללתי ובחטא יחמתני אמי

2. Ἰδοὺ γὰρ ἐν ἀνομίαις συνελήφθην καὶ ἐν ἁμαρτίαις ἐκίσσησέ με ἡ μήτηρ μου. (Septuag.)

3. (*Vulg.*) "Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea."

Quum tres illi textus secundum substantiam sint iidem, hinc argumentum: Agitur hoc loco de peccato connexo cum conceptione. *Atqui* non est hoc peccatum parentum, quia propheta non ex illegitimo toro descendebat; agitque præterea de miseria communi; et ipse ut homo canit, non præcise ut David, psalmus enim ab omnibus cantabatur, ita ut pro omnibus verum esset. *Ergo* agitur hic de peccato connexo cum conceptione in toro legitimo. *Atqui* tale peccatum non est in conceptione legitima, quia hæc est sine peccato; neque est actuale ex parte hominis concipiendi, qui nondum existit. *Ergo* quum tamen peccatum affirmetur, necessario est peccatum originale. Nec potest dici esse hyperbola hoc loco sicut Ps. lvii. 4.: "Alienati sunt *peccatores* a vulva, erraverunt ab utero." Nam

1. Loquitur de peccatoribus, qui actu existebant; de eorum furore, quod nolint audire admonitiones; de eorum (v. 3.) iniquitatibus intra, injustitiis extra super terram; de pœna ex parte Dei his in terris etc. *Ergo* de peccatis actualibus peccatorum sermo est. In his hyperbola facilis, ut sit sensus, tam cito incipiunt peccare, ut jam fere dici possint peccasse, ut primum nati sint.

2. Si loquitur de dispositione, de mala educatione etc., neque hyperbola est. Potest enim esse ex duplici causa, tum ex peccato originali et concupiscentia, tum ex vitio parentum; ideoque vere dici possunt peccatores errasse ab utero.

3. Loquitur hic David de peccatoribus, quos vidit etc.: in textu theseos loquitur de se suaque miseria; illam debet unusquisque sive peccator est, sive non, pro se quoque agnoscere. *Ergo* non est paritas.

Arg. 2. *Ex Rabbinis.*—Talmud (ex tractat. Beracoth c. 1.): "Finis hominis mori; est causa, quod peccavit species humana, hoc est natura insitionis, inditionis suæ (i. e. natura generi humano indita), sive peccatum Adæ et Evæ. Nec mirandum, quod peccatum Adæ et Evæ impressum sit obsignatumque annulo regis in generationibus ejus [Adæ] post ipsum; nam in ipso die, quo creatus est primus homo, perfecta erant omnia et ecce ipse [prim. homo] erat perfectio structuræ

(human.) et complexio, quia ab eo texendus [propagandus] erat hic mundus, ita ut quando peccavit ipse, totus mundus universus peccaverit et peccatum ejus portemus nos; id quod non est ita de peccato seminis [posterorum] ejus." *Alio loco*, i. e., in Talmud (Baba bathra c. 1.) hæc leguntur: "Quatuor mortui sunt ob concilium serpentis: illi sunt Benjamin, filius Jacob; Amram, pater Moysis; Jesse, pater David; et Caleb, filius Davidis." Hunc locum ita explicat Rabbi Rashi (in hunc loc.): "Omnes illi [quatuor] rei mortis non erant nisi quia decreta erat sententia mortis in omnes generationes primi hominis ob consilium serpentis." Cf. Bartolocci (Biblioth. Rabbinor., pars 3. p. 378. et pars 2. p. 43. etc.); Raymund. Martini (in Pugione Fidei, pars 3. dist. 2. c. 6.); Drach. (du péché originel selon la Synagogue —in Annales de Philosophie Chrétienne, Jan. et Febr. 1838.); Specimen Theologiæ Soharicæ [Sohar] cum Christiana amice convenientis, studio et opera Christoph. Sommer (Gotha 1734.).

Arg. 3. *Ex Traditione.*— S. Athanas. (in Ps. L.): "Omnes qui ex Adam oriuntur, in iniquitatibus concipiuntur, proavi sui damnatione collapsi."—S. Chrysost. (Epist. ad Olympiam): "Adam peccavit illud grande peccatum et omne genus hominum in commune damnavit." — S. August. (in Ps. L.): "Numquid David de adulterio natus erat. . . .? Quid est, quod se dicit in iniquitate conceptum, nisi quia trahitur iniquitas ex Adam?"

Nota. Nec dici potest agi de effectu peccati; nam iniquitas et peccatum non est idem ac concupiscentia, quæ est effectus peccati. Præterea, concupiscentia esset potius ex parte parentum in conceptionis actu, non ex parte David. Denique, totus Ps. L. "*Miserere mei . . . .*" est oratio, qua David misericordiam petit proxime pro suo peccato cum Bethsabee (II. Reg. 12.) commisso, ita ut sensus sit: miserere mei Deus, quia sum homo peccator; ut peccator conceptus sum, ut peccator egi in vita mea, etc. *Ergo* implorat misericordiam et veniam pro peccato, non pro effectu peccati.

Arg. 4. *Ex Concilio Trident.* (sess. 5. can. 2.)

"Si quis Adæ prævaricationem sibi soli et non ejus propágini asserit nocuisse; et acceptam a Deo sanctitatem et justitiam, quam perdidit, sibi soli et non nobis etiam perdidisse; aut inquinatum illum per inobe-

dientiæ peccatum mortem et pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse non autem et peccatum, quod mors est animæ: anathema sit, quum contradicat Apostolo dicenti: 'Per unum hominem peccatum intravit in mundum et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.'"

Ergo docet Trid.: *a*) Adam justitiam et sanctitat. non sibi soli sed et pro posteris suis accepisse; *b*) hinc per peccatum non sibi soli sed et posteris suis perdidisse; *c*) et illud ipsum peccatum tam secundum se quam secundum effectus suos transfudisse in omnes posteros.

PROPOSITIO XXV.

S. Paul. (Rom. v. 12–21.) *docet, Adami peccatum in omnes posteros transmissum ita esse ut unicuique peccatum proprium sit.*

St. Q. 1. *Textus.*

12. *Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt:*

13. *Usque ad legem enim peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset.*

14. *Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ, qui est forma futuri.*

15. *Sed non sicut delictum, ita et donum: si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit.*

16. *Et non sicut per unum peccatum, ita et donum, nam judicium quidem ex uno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in justificationem.*

Διὰ τοῦτο ὥσπερ δι' ἑνὸς ἀνθρώπου ἡ ἁμαρτία εἰς τὸν κόσμον εἰσῆλθε, καὶ διὰ τῆς ἁμαρτίας ὁ θάνατος, καὶ οὕτως εἰς πάντας ἀνθρώπους ὁ θάνατος διῆλθεν, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον.

ἄχρι γὰρ νόμου ἁμαρτία ἦν ἐν κόσμῳ· ἁμαρτία δὲ οὐκ ἐλλογεῖται μὴ ὄντος νόμου·

ἀλλ' ἐβασίλευσεν ὁ θάνατος ἀπὸ Ἀδὰμ μέχρι Μωσέως καὶ ἐπὶ τοὺς μὴ ἁμαρτήσαντας ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι τῆς παραβάσεως Ἀδάμ, ὅς ἐστι τύπος τοῦ μέλλοντος.

Ἀλλ' οὐχ ὡς τὸ παράπτωμα, οὕτω καὶ τὸ χάρισμα. εἰ γὰρ τῷ τοῦ ἑνὸς παραπτώματι οἱ πολλοὶ ἀπέθανον, πολλῷ μᾶλλον ἡ χάρις τοῦ θεοῦ καὶ ἡ δωρεὰ ἐν χάριτι τῇ τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου εἰς τοὺς πολλοὺς ἐπερίσσευσε.

καὶ οὐχ ὡς δι' ἑνὸς ἁμαρτήσαντος, τὸ δώρημα. τὸ μὲν γὰρ κρίμα ἐξ ἑνὸς εἰς κατάκριμα, τὸ δὲ χάρισμα ἐκ πολλῶν παραπτωμάτων εἰς δικαίωμα.

17. *Si enim unius delicto mors regnavit per unum: multo magis abundantiam gratiæ, et donationis, et justitiæ accipientes, in vita regnabunt per unum Jesum Christum.*

εἰ γὰρ τῷ τοῦ ἑνὸς παραπτώματι ὁ θάνατος ἐβασίλευσε διὰ τοῦ ἑνός, πολλῷ μᾶλλον οἱ τὴν περισσείαν τῆς χάριτος καὶ τῆς δωρεᾶς τῆς δικαιοσύνης λαμβάνοντες ἐν ζωῇ βασιλεύσουσι διὰ τοῦ ἑνὸς Ἰησοῦ Χριστοῦ.

18. *Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ.*

Ἄρα οὖν ὡς δι' ἑνὸς παραπτώματος, εἰς πάντας ἀνθρώπους, εἰς κατάκριμα, οὕτω καὶ δι' ἑνὸς δικαιώματος, εἰς παντας ἀνθρώπους, εἰς δικαίωσιν ζωῆς.

19. *Sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi: ita et per unius obeditionem, justi constituentur multi.*

ὥσπερ γὰρ διὰ τῆς παρακοῆς τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου ἁμαρτωλοὶ κατεστάθησαν οἱ πολλοὶ, οὕτω καὶ διὰ τῆς ὑπακοῆς τοῦ ἑνὸς δίκαιοι κατασταθήσονται οἱ πολλοί.

20. *Lex autem subintravit ut abundaret delictum. Ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia.*

Νόμος δὲ παρεισῆλθεν ἵνα πλεονάσῃ τὸ παράπτωμα. οὗ δὲ ἐπλεόνασεν ἡ ἁμαρτία, ὑπερεπερίσσευσεν ἡ χάρις·

21. *Ut sicut regnavit peccatum in mortem: ita et gratia regnet per justitiam in vitam æternam, per Jesum Christum Dominum nostrum.*

ἵνα ὥσπερ ἐβασίλευσεν ἡ ἁμαρτία ἐν τῷ θανάτῳ, οὕτω καὶ ἡ χάρις βασιλεύσῃ διὰ δικαιοσύνης εἰς ζωὴν αἰώνιον, διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν.

2. *Explicatio. I. Secundum nexum*

1. cum præcedentibus.

Agit Apostolus in capitibus 1–4. de justificatione per fidem in Christum; capite 5. potissimum de effectibus hujus justificationis, qui sunt: *a*) Pax in Christo (v. 1.); *b*) adoptio in filios et spes gloriæ filiorum Dei (v. 2.); *c*) imo in afflictione gaudium, quia ex afflictione patientia, in patientia probatio, in probatione spes, *quæ non* confundit (vv. 3. 4.), id quod probat:

α) Quia Spiritus S. datus est nobis ut pignus spei (v. 5.).

β) Quia Christus pro nobis *peccatoribus* mortuus est; quid pro nobis justificatis faciet? (vv. 6. 7. 8. 9. 10.)

γ, d) Gloriatio imo in Deo per Christi reconciliationem (v. 11.).—Hæc vero reconcilatio erat necessaria, quia per Adamum cecidimus (vv. 12–15.); erat superabundans, quia per Christum facta (vv. 15–21.). Comparat igitur Christum cum Adamo; Adam, damnificator —homo mortis; Christus, reparator —homo vitæ (12–15.): unde *lucrum reparationis*. Dein ostendit Christi excellentiam supra Adamum (15–21.): unde *lucrum abundantiæ*. Hæc explicantur in textu.—Unde

2. De textu ipso.

a) *De lucro reparationis;* quod ut pateat, debet prius explicari, quid perditum fuerit; hoc vero ut explicet et probet Apostolus, supponit semper *mortem esse pœnam.*

(v. 12.) Explicat: sicut per unum hominem, Adam, perditio—quod exponit toto versu, ita ut omittat *apodosim;* ita et per unum hominem vita et justificatio—est igitur anacoluthica locutio. (Vide infra, n. 18. ubi apodosim ponit.)

(v. 13.) Probat per unum hominem perditionem omnium existere ex morte, quæ regnet in omnes: mors autem est criminis alicujus pœna. Probat autem duplici ratione:

α) Mors non est ex lege aliqua positiva. Nam ab initio usque ad legem Moysis nulla lex ad mortem condemnans existebat; nihilominus mors regnabat in mundo; *ergo* non est ex lege positiva.

β) Regnavit etiam in eos, qui peccare non poterant actualiter, i. e., simili modo ut Adam peccare, v. g, infantuli. *Ergo* quum mors sit pœna criminis, debet esse ex peccato Adami; unde recte per peccatum *Adæ* mors intravit in mundum.

(v. 14.). Similes igitur sunt Adam et Christus, sed in contrarium. Uterque caput et origio: ille peccati, hic gratiæ; ille mortis, hic vitæ; ille damnationis, hic salutis et gloriæ. Verum, si qua existit similitudo, existit etiam dissimilitudo, ita ut ex Christo non tantum simplex reparatio vitæ, sed abundantia vitæ nata sit.—Hinc

b) *De lucro abundantiæ.*

(v. 16.) Adam uno tantum delicto ligat; Christus non tantum *ab uno* illo, sed a multis aliis liberat—*prima* excellentia.

(v. 17.) Adam privavit nos justitia originali; Christus non tantum hanc reddidit, sed *insuper* abundantiam aliorum gratiæ donorum—*secunda* excellentia.

(v. 18.) Redit hoc versu ad apodosim vers. 12., quem verbis aliis repetit; urgetque, ut *per unum* in OMNES condemnatio, ita *per unum* in OMNES justificatio. Quum vero hæc doctrina sit caput et fundamentum totius religionis Christianæ, repetit et insistit.

(v. 19.) Explicat, quale fuerit illud peccatum, quod fuit origo damnationis, i. e., fuisse inobedientiam Adæ; hinc Christi *obedientiam* fuisse originem justificationis.

(v. 20.) Inter inobedientiam Adæ et obedientiam Christi quasi ex transverso intravit lex Mosaica. Sed tantum abfuit, ut lex aboleverit peccatum, ut peccatum occasione legis creverit (i. e. "ut abundaverit delictum"). Quum vero malum esset summum, venit Christus, ut super malum abundaret gratia.

(v. 21.) Sicut enim usque ad id tempus regnavit peccatum *in mortem* animæ et corporis; ita debet deinceps gratia regnare in vitam æternam.

II. Secundum aliquot locutiones.

I. Quæstio. *De sensu verborum* ἐφ' ᾧ.

1. (v. 12.: "Et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo (ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον) omnes peccaverunt."

Duplex sententia: prior: ἐφ' ᾧ = *in quo*, i. e., Adamo, ita ut relativum sit masculini generis; altera: ἐφ' ᾧ = *ex eo quod* vel *quatenus*, ita ut relativum sit generis neutrius—hinc sensus causalis.

Argumenta pro sententia priore: ἐφ' ᾧ = in quo, Adam.

1. Sustinent alteram sententiam hæretici, qui ex magna parte negarunt peccatum originale. Unde S. Aug. (contr. Julian. l. 6. c. 25. n. 75.): "Frustra sensum alium novum atque distortum et a vero abhorrentem moliris exculpere, affirmans ea locutione dictum esse, *in quo omnes peccaverunt*, ac si diceretur, propter quod omnes peccaverunt."

2. Vulgata et antiqua Itála habent *in quo* (Adam, in sensu masculini): nam *a*) II. Cor. v. 4.: βαρούμενοι ἐφ' ᾧ οὐ θέλομεν ἐκδύσασθαι vertit Vulgata: "Gravati, *eo quod* nolumus spoliari;" jam vero Rom. v. 12. vertit ἐφ' ᾧ *in quo*; ergo debuit habere rationem.

b) Philip. iii. 12.: "εἰ καὶ καταλάβω ἐφ' ᾧ καὶ κατελήφθην—"si quo modo comprehendam, *in quo* et comprehensus sum." Habet hoc loco "*in quo*" sensum causalem, i. e., *quatenus* seu *eo quod*; sed ideo, quia non præcedit substantivum, ad quod referri possit. Jam vero in cap. 5. ad Rom. v. 12. est tale substantivum; *ergo*. Præterea, alii exponunt ἐφ' ᾧ *in quo*, ut sit "*ad quod*."

3. PP. *latini* omnes, præterea Concilia Milevitanum, Carthaginiense, Arausican. II., Tridentin. adhibent *in quo* (Adamo).

4. Catholici interpretes Toletus, Estius, Menochius, Cornel. a Lapide, Bernardinus a Piconio, Bellarminus, Muratori, etc.

5. Ex græcis PP., Chrysost. (in h. loc.): Τί δέ ἐστιν, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον; Ἐκείνου πεσόντος καὶ οἱ μὴ φαγόντες ἀπὸ τοῦ ξύλου γεγόνασιν ἐξ ἐκείνου πάντες θνητοί. "Quid vero est, in quo omnes peccaverunt? Illo lapso, etiam illi qui non comederunt ex ligno mortales ex illo omnes facti sunt."

Œcumenius (in h. loc.) ἐφ' ᾧ ἥμαρτον sic exponit: ἐφ' ᾧ Ἀδάμ, ἤ δι' ὃν Ἀδάμ, i. e., per quem Adam. Theophylact. (in h. loc.): Τί δέ ἐστιν, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον; τοῦτ' ἔστιν, ἐπὶ τὸν Ἀδὰμ πάντες ἥμαρτον.

6. Etiam secund. Grammat. Græc. potest ἐπὶ cum dativo adhiberi pro ἐν cum dativo; uti Heb. ix. 17. ἐπὶ νεκροῖς, et Heb. ix. 9. ἐπὶ βρώμασι.

7. Quamvis longe præcesserit Ἀδάμ, relativum tamen ad illum referri potest, quum S. Paul. non sit in forma tam politus. Præterea, tunc valet regula, debere relativum ad proximum substantivum referri, si secus oriretur ambiguitas. Denique, PP. Græci supra nominati aliique PP. nullam in ea re viderunt difficultatem. Accedunt versiones *coptica* et *Slavica*.

Altera sententia: ἐφ' ᾧ = *eo quod.*

Arg. 1. Regula syntaxis, relativum masculini debet referri ad proximum substantivum; *ergo* ad θάνατον. Jam vero hoc absurdum, quum in morte nemo peccaverit; *ergo* non potest esse masculinum. Et vere si quis legit totum versum, vix convinci potest, ἐφ' ᾧ referri ad "*per unum hominum.*"—S. Thom. censet, referri vel ad hominem, vel ad peccatum; sed ἁμαρτία est generis feminini. *Ergo.*

2. Vulgata ipsa vertit II. Cor. v. 4. ἐφ' ᾧ, *eo quod;* alio loco, Phil. iii. 12. (vide supr.) *in quo*, intelligens tamen *eo quod*. *Ergo* potest et hoc loco eodem modo vertere, idem tamen intelligere; quod enim alii opponunt (vid. supr.) nullius momenti est. Et vere, si aliis locis in ipsa Vulgata ἐφ' ᾧ vertitur *eo quod*, aliis vero locis *in quo* sed in sensu *eo quod*, et si præterea grammatica postulat ut ita vertatur, non videtur saltem dubium quin verti ita possit.

3. Ipsi grammatici græci ita explicant. Phavorinus dicit: ἐφ' ᾧ ἀντὶ τοῦ διότι λέγουσιν Ἀττικοί—i. e., *in quo* utuntur Attici loco *eo quod*, *propterea*. Thomas Magister: ἐφ' ᾧ ἀντὶ τοῦ διότι εἰς παρῳχημένον—i. e., ἐφ' ᾧ loco διότι relate ad tempus præteritum.

Auctores Græci. Theophilus (ad Antol. 2.): ἐφ' ᾧ οὐκ ἴσχυσε θανατῶσαι αὐτούς, *quia* non potuit occidere eos.—Plutarch. (de Pythag.): ἐφ' οἷς ἐγενόμην πρόθυμος, *quia* factus sum promptus: Cf. Krueger (Gram. Græc. Syntax. § 68. 42. annot. 7. 8.).

4. Origines (Comm. in Joan. viii. 52.): "Fuit sermo de morte per peccatum ingressa ad omnes homines ideo quia omnes peccarint (ἐπὶ cum dativo *quia*)." — Cyrill. Alex. (in h. loc.): "Secundum quod omnes peccarunt (καθ' ὃ πάντες ἥμαρτον)."—Theodoret. (in h. loc.): "In omnes homines pertransiit mors ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον." Debet hic verti *quia*, nam non est substantivum, ad quod referri possit, nec toto textu mentio Adami fit.—Photius (Quæst. 84. ad Amphil., alias Epist. 15. 13.): Ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον præsenti loco nec personam aliquam, nec tanquam personam repræsentat, sed potius causam indicat, quasi diceret, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον, i. e., διότι πάντες ἥμαρτον.—Leont. Byzan. (cont. Nest. et Eutych. l. 2.): "Mors ob peccatum pervasit totam natur. human. (ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον) quia omnes, secundum Paulum, peccaverunt."

5. Versiones. Arabica: *siquidem omnes peccaverunt.* Syriaca peschito: "*in eo quod omnes illi peccaverint;*" vox *in eo* non refertur ad Adamum, quia est femininum, quo utuntur Semitæ loco gener. neutrius—unde est idem ac *ideo quod*. Armena: "*sicut omnes peccaverunt.*" Æthiopica: "*quoniam in omnes homines imputatum est illud peccatum.*"

Nota.—In Hebræo בְּאֲשֶׁר (*in quo*) insignificat *quia;* hinc etiam potuit S. Paul. adhibere formulam ἐφ' ᾧ.

6. Respondetur ad superiora.—Non quærendum, num hæreticis placeat, sed num verum sit. Non enim agitur hic res fidei, quum in utraque sententia eadem sit doctrina; sed agitur res philologica, et cavendum *magnopere* est, ne dicantur Catholici suam fidem falsis explicationibus superstruere—id, quod ab hæreticis semper objicitur Ecclesiæ.—Præterea, licet magnæ auctoritati sint Toletus, Estius, Bellarminus, etc., in re dogmatica, in philologica *nulla* est, si comparantur cum philologis hujus ætatis.—PP. latini inprimis supponunt textum Vulga-

+ praesertim
⊙ vitiosus.

tæ *in quo*, et valde abhorrent ab interpretatione horum verborum latinorum quæ non erat communis. Non agunt de textu græco; neque in tali quæstione, quomodo formula græca explicanda sit, si utraque explicatio pro fidei doctrina idem dicit, magna eorum auctoritas est, præsertim si græca grammatica, grammatici ipsi loquentes de illo loco, Patres græci (excepto uno Theophylacto) rem alio modo explicant.—Quoad Patres græcos qui aliam sententiam defendunt, notandum, unum tantum Theophyl. referre ἐφ' ᾧ ad Adamum.—Occumenius hoc loco refert ea ad Adamum, paulo infra vertit *quoniam*. S. Chrysost. *evidenter*, explicat sensum sententiæ. Exempla allata ἐπὶ νεκροῖς, ἐπὶ ῥήμασι, etc., probant profecto ignorari linguam græcam, quum significent *supra* vel *ad*, etc.

Conclusio. Utraque expositio probabilis; in utraque eadem veritas.

II. Quæstio. *De particula* non.

(v. 14.). *Duplex lectio*; prior communis: *qui non peccaverunt in similitud.*; altera: *qui peccaverunt*, ommisso *non*. *R.* Prior lectio unice recta: nam *a*) omnes fere codices græci nunc superstites habent negationem; *b*) habebant fere omnes sæculi V., ut testatur S. Aug. (De Pecc. Mer. et Rem. l. 1. c. 11.); *c*) habent antiquæ versiones syriaca, arabica, æthiopica, itala (qua usus est S. August.); *d*) habent manuscripti codices præstantiss. latini. —Amiatinus, Claromontanus, Codex S. Pauli, Sangermanensis; *e*) omnes PP. græci ab Irenæo usque ad Damascen., latini quoque omnes, paucissimis exceptis. Hinc sententia Ambrosiastri defendentis secundam lectionem est sine valore.—Accedit regula critica, quod multo facilius omittitur, quam intruditur vox. Hic denique sensus postulat negationem. Qualis enim sensus: "Regnavit mors . . . etiam in eos qui peccaverunt ut Adam?"

III. Quæstio. "*Multi;*" *ergo* non omnes.

(v. 19.) ". . . . peccatores constituti sunt *multi;* . . . justi constituentur multi."—*R.* in græco est οἱ πολλοί, quæ vox significat totam multitudinem, quæ alicubi est; quum igitur hic agatur de toto mundo, intelligitur tota hominum multitudo, terram unquam incolentium. Accedit quod, qui hic vocantur *multi*, v. 18. vocantur *omnes*.— Quodsi alio modo mors, alio modo vita ex Christo transit, discrimen est in applicatione, quæ pro morte facta est in Adamo, pro vita vero facienda est.

Probatio Thesis.

Arg. 1. Quemadmodum mors ipsa, ita et peccatum, causa mortis, ab Adamo in omnes homines pertransiit; *atqui* mors *vere* et *in omnes* pertransiit; *ergo* et peccatum.

Prob. Maj. S. Paul. distinguit inter peccatum ut causam, et mortem ut effectum seu pœnam. *Atqui* mors ideo ad omnes pertransiit, quia omnes in Adamo vere peccaverunt pœnamque illam meruerunt, seu

quia peccatum vere transiit. *Ergo.* — Quomodo enim posset mors ut pœna transire *vere*, peccatum vero ut causa metaphorice tantum?

Arg. 2. Adversarii contendunt, peccatum eo sensu transiisse, ut vel propensio ad peccatum transierit; vel inductio peccati in mundum intelligatur, simili modo, si regina luxum prima induxisset in gentem, posset dici luxus ab ea incepisse et ad alios transiisse; vel ut imitatio peccati vel secundum potentiam vel secundum actum transmissa sit. *Atqui* hæc omnia excluduntur verbis Apostoli. *Ergo.*

Prob. min. 1. *Non propensio* intelligitur.

Nam *a*) S. Paul. asserit factum, non propensionem ad factum: "in quo omnes, seu quia omnes peccaverunt;" (v. 12.) "per unum delictum in omnes condemnatio;" (v. 18.) "peccatores constituti sunt multi." (v. 19.)—*Atqui* ille, qui habet propensionem ad peccatum, nondum ideo potest dici furatus esse; neque esse fur, neque condemnari ut fur. *Ergo.*

b) Propensio ad peccatum non potest pœnam habere actualem, ac præsertim mortem. *Ergo.*

2. *Non* intelligitur *prima inductio.*

a) Apostolus dicit: *omnes peccaverunt; sunt peccatores, condemnati*, etc. *Atqui* si, v. g., regina induxisset luxum in gentem, non possent omnes et singuli gentis illius dici *egisse* luxuriose, fuisse luxui subjecti, fuisse ut luxuriosi damnati ad pœnas acerbas. *Ergo.*

b) Si ageretur prima inductio tantum, ab Eva deberet dici derivari peccatum, non ab Adam. *Atqui* ab Adam derivatur, qui licet fuerit in peccando secundus, tamen peccavit ut caput. *Ergo.*

3. *Non imitatio* (vel possibilis vel actualis) intelligenda.

Nam *a*) Verba S. Pauli efferunt per *unum* peccatum fuisse constitutos peccatores multos; per peccatum Adæ, in Adamo omnes peccasse. *Ergo* non intelliguntur actualia peccata per imitationem facta.

b) Pœna regnabat et in illos, qui non ad *similitudinem Adæ* peccaverunt *actualiter*. *Ergo* neque peccatum quod fit per imitationem Adæ, intelligitur ut causa pœnæ.

c) Mors ut pœna etiam in infantulos regnat. *Atqui* illi non poterant actualiter peccare, nec possibile in ipsis peccatum puniri potest. *Ergo.*

Arg. 3. Christus in hominibus reparavit, quod in Adam fuit corruptum (vv. 18. 19. 20.), i. e., sustulit quod Adam peccando contraxe-

rat. *Atqui* non sustulit propensionem in peccatum—hæc mansit; non primam inductionem, quæ utpote factum, auferri nequit; non sustulit imitationem; non alium quemvis effectum in natura. *Ergo* sustulit ipsum peccatum. *Ergo* et ipsum peccatum Adæ in hominibus fuit.

Præterea, Christus in omnibus mortem spiritualem destruxit, quam ex Adamo habuerunt. *Atqui* mors non est quid externum sed internum. *Ergo* destruxit in omnibus mortem internam seu peccatum: ideoque hoc vere in unoquoque erat, quia unusquisque propria morte perit.

Obj. 1. S. Paul. (I. Thess. iv. 14.) videtur docere, in adventu secundo Domini non omnes morituros esse. *Ergo* mors non videtur simpliciter pœna peccati.—*R.* 1. Videtur probabilius etiam tunc omnes homines morituros. Si enim Deus propriam matrem non excepit a morte, neque alios excipiet ab hac pœna. 2. Si non morientur (fortasse) propter circumstantias, nihilominus habebunt dolores mortis, quæ immutationem corporis, quæ in aliis per resurrectionem fit, præcedent. Pœnam igitur mortis sufficientem semper habebunt.

Obj. 2. Secund. Ezech. xviii. 20.: "Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur; filius non portabit iniquitatem patris, et pater non iniquitatem filii." *Ergo* neque filii habebunt iniquitatem Adæ.—*R.* Secund. aliquos agit Propheta de tempore post captivitatem Babylon., pro quo promittit, Deum non amplius delicta patrum puniturum in filiis; secundum alios de novo Fœdere, in quo Deus non aget ut in antiquo fœdere. Sensus totius est: Deus in antiquo fœdere populum coercet a peccatis per pœnas externas, temporales, sensibiles. Ejusmodi vero pœnæ non in patres solum, sed et in familias patrum latæ erant. Deinceps vero Deus ita non amplius aget, sed spirituales magis imponet pœnas, quas quis per sinceram pœnitentiam prævenire potest; id quod patet v. 21.: "Si autem impius egerit pœnitentiam .... vita vivet et non morietur." Unde: *a*) agitur de peccato actuali, non de peccato status et naturæ, quale est originale peccatum. *b*) Agitur de pœnis ante statutis, quas Deus non amplius exercebit; unde si paritas esset, posset dici pœna pro peccato a Deo statuta antea quoad partem sensibilem non fuit mutata, ita ut sub priori respectu communis pœnæ sit paritas, sub altero respectu condonationis non sit paritas.

Obj. 3. Ex PP., præsertim ex S. Chrysostomo testimonia contra peccatum originale existunt; v. g., Chrys. (Hom. 10. in ep. ad Rom.): "Quod illo [Adamo] peccante et mortali facto, qui ex illo orti sunt, tales efficiantur, id a verisimili non abhorret; quod autem ex *inobedientia unius* alter peccator fit, id *quam consequentiam* habuerit?" *Ergo* secundum S. Chrysost. ex Adæ peccato alii peccatores non sunt. (Ita contendunt Pelagiani S. Chrysost. favere sibi). — Præterea videtur S. Chrysost. alibi etiam docere peccatum Adami transiisse ad alios secundum pœnam, ita ut ex pœna dicantur peccatores.

R. 1. Aug. (Cont. Jul. l. 1. c. 22. in fine) de S. Chrysost., quod et aliis applicari potest:—"*Quia disputans in catholica Ecclesia non se aliter* (quam catholice) *intelligi arbitrabatur; et vobis* [Pelagianis] *nondum litigantibus, securus loquebatur.*"

2. Defendebat doctrinam Eccl. contra adversarios, qui docebant, baptismum institutum, ut *actualia* peccata remitterentur. Quum vero baptismus daretur parvulis, certe non propter actualia peccata applicabatur; quia propter actualem inobedientiam non poterat *alius* existere actualiter inobediens. Quando igitur S. Chrysost. videtur loqui contra peccatum originale, non hoc in mente habet, sed actuale peccatum ex mente adversariorum.

3. Primis Eccl. temporibus semper lis erat de productione animarum in generatione (*vide supra*). Unde possunt duriora quædam pro nobis inveniri in PP. scriptis, quæ, si supponatur status quæstionis illius temporis, bene explicantur.—Alibi vero PP. iidem *clarissime* docent peccatum originale. Sic, v. g., S. Chrysost. (Hom. 40. in Ep. I. Cor. n. 2.): "In lavacro regenerationis ipsam animam Deus tangit gratia et illius peccatum (ἁμαρτίαν) evellit radicitus. . . . Ejus, qui est baptizatus, anima videtur efficiturque, qualis fuit generata ab initio."

Object. 4. Zosimus Papa scripta Pelagii et Celestii, in quibus peccatum originale negatur, catholica esse declaravit. *Ergo.*

R. S. Pontif. Innocent. condemnarat Pelagianorum errores de baptismo et peccato originali (an. 417.) simul cum eorum auctoribus et Sectatoribus. Hinc scripsit Pelagius epistolam ad S. Pontif., qua Africanas synodos judicii præcipitis accusabat; addiditque libellum, suæ fidei testimonium, in quo hæc: "In qua [fidei professione] si minus perite et parum caute aliquid forsitan positum est, emendari cupimus a te, qui Petri et fidem et sedem tenes." Priusquam advenirent literæ, Innocent. S. P. mortuus est: hinc Celestius continuo ad ejus successorem

Zosimum S. P. festinavit obtulitque libellum, in quo quidem peccatum originale negabat, dicebat tamen, se ad errorem corrigendum paratum: "Si forte, ut hominibus, quispiam ignorantiæ error obrepserit, vestra sententiâ corrigatur." Profitebatur præterea, se Innocentii decretis adhærere. His et Pelagii literis motus Pontif. Zosimus dedit duas epistolas distinctas ad Africanos Episcopos, quibus commendabat Pelagii et Celestii fidem, non tamen prædecessoris Pontif. solvit damnationem ipsis inflictam. Postea vero, novis ab Africanis epistolis acceptis, S. Pontif. in judicium vocat Celestium; hic quum aufugisset, S. Pontif. et ipsum et Pelagium condemnavit.

Jam tres hic quæstiones oriuntur: 1. Num Zosimus erraverit errore facti, censens Celestium et Pelagium esse innocentes? 2. Num commendarit hæresim Pelagii et Celestii? 3. Num nimia sit usus erga hæreticos indulgentia?

Quoad 1. quæst. respondetur *affirmative*. Erravit S. Pontif. putans Pelagium et Celestium non esse hæreticos.

Quoad 2. respondetur *negative*. Nam quamvis epistolis suis scripta illa a Pelagio, etc., missa catholica judicarit, notandum tamen, hæresim fuisse, præsertim in libello Celestii, dubie expressam et eo sensu propositam, ut auctoritati Sedis Romanæ subjiceretur, etiam ab eadem Sede correctio peteretur. Imo professi sunt Pel. et Celest. se decretis Innocent. Pap. hæresim illam condemnantibus adhærere. — Ad rem S. Aug. (l. 2. ad Bonif. c. 3.): "Quum hoc Celestius in suo libello posuisset inter illa dumtaxat, de quibus se adhuc dubitare et instrui velle confessus est; in homine acerrimi ingenii, qui profecto, si corrigeretur, plurimis profuisset, voluntas emendationis, non falsitas dogmatis approbata est. Et propterea libellus ejus catholicus dictus est, quia et hoc catholicæ mentis est, si qua forte aliter sapit quam veritas exigit, non ea certissime definire, sed detecta ac demonstrata respuere."

Hinc *quoad* 3. respondetur *negative*. Nam

a) Non peccavit neque contra justititiam nec contra prudentiam, quum Innocentius condemnans Pelag., etc., tamen dixisset, si resipuissent, "receptaculum suum ab Ecclesia non esse negandum."

b) Non contra canones egit; quia Zosimus non causam fidei retractandam esse censuit, sed tantum factum hæresis in Pelagio, etc., iterum examinari jussit.

c) Non contra formam judicii egit; quia potuit appellationem propter graves rationes et novum examen *facti* iterum admittere.

Coroll. Ergo apparet, quam absurde Wegscheider (Instit. Theol. § 146.) contendat, a S. August. peccatum originale fuisse inductum in Ecclesiam.

Quæritur 1. Si Adam fidelis mansisset, sed ex posteris aliquis peccasset, quid futurum fuisset? *R.* Amisisset dona justitiæ et mortuus fuisset sicut Adam. Eum potuisse recuperare amicitiam Dei videtur probabilius, ideo quod esset viator, et quod non fuisset inferioris conditionis, quam Adam, qui ut communis fert opinio, per pœnitentiam salvus est. — Dici quidem potest, Adam per fidem in Redemptorem sese salvasse; dubium autem esse, num redemptio in illo statu futura fuis-

set; nihilominus assumendum in hoc casu Deum aliud medium subministraturum fuisse.—Res autem tota dubia est.

Quæritur 2. Si Adam non comedisset de arbore vetita, sed interne tantum peccasset (superbia), num hoc peccatum factum fuisset peccatum originale?

R. Censent aliqui, quamvis potuisset peccare Adam interne, tamen futurum fuisse, ut Deus ab aliis eum protegeret peccatis; sicut enim angeli uno tantum peccato spiritualis superbiæ peccare potuerunt, ita et Adam—ne esset inferioris conditionis —uno tantum illo peccato offendere Deum potuisset. Alii tamen negant, talem Dei protectionem extitisse; unde Adam peccare et alio modo potuisset. — In hac vero hypothesi *alii* negant, tale peccatum transmittendum fuissse ad posteros, ideo quod lex de non comedendo fructu fuisset lex naturæ, et toti generi quasi fœdus propositum; *alii* vero (S. Thom. 2. Dist. 33. fine, Suarez de Pecc. Orig. sect. 3. n. 2.) probabilius censent, etiam tale peccatum factum fuisse originale, ideo quod esset *a*) peccatum contra legem naturæ, hinc naturam affecisset; *b*) quod fuisset gravius, quia gravius peccatum est contra legem naturæ quam contra legem disciplinæ, qualis fuit lex de non comedendo fructu.

Quæritur 3. Num, si Eva peccasset sola, peccatum ejusdem fuisset peccatum originale? *R.* Negandum est, quum Adam, non Eva, esset caput generis humani.— Ceterum in hoc casu videtur Eva potuisse resipiscere, etc. (vid. quæst. 1.).

PROPOSITIO XXVI.

Recte cum S. Thom. (1–2. q. 81. a. 2.) *censemus tale fuisse præceptum Adamo datum, ut, eo non peccante, alius ex ejus descendentibus in sua familia et ex ea generatione futura non potuisset peccatum aliquod originale producere.*

St. Q. Scotus affirmat, potuisse etiam ex posteris aliquem in linea generationis suæ peccatum originale committere; idem S. Thom. (QQ. de Malo q. 5. a. 4. ad 8.): "Si aliquis ex posteris Adam peccasset, eo non peccante, moreretur quidem propter suum peccatum actuale, sicut Adam mortuus fuit, sed posteri ejus morerentur propter peccatum originale."

Jam vero (1–2. q. 81. a. 2.): "*Conclusio.* Quia solum primum primi hominis peccatum ipsam hominis naturam vitiavit, cetera vero ejusdem, sicut et omnia aliorum hominum peccata solum personam vitiant non naturam; recte solum primum primi hominis peccatum in posteros traduci dicitur."

Arg. Solus Adam fuit constitutus caput naturæ. *Ergo* et ipse solus suo peccato vitiare naturam poterat.

Prob. Ant. 1. Quæ libere Deus facit, ex revelatione tantum constant. *Atqui* revelatio tantum Adam monstrat caput, non alios. *Ergo.*

2. Majus fuisset periculum pro filiis ultimis quam pro primis; quia series parentum ante filios ultimos multo major fuisset, quam ante primos filios, ideoque multo facilius ex illa serie peccatum existere potuisset, quam ex hac. *Atqui* repugnare videtur talem inæqualitatem in periculo admittere. *Ergo.*

3. Peccatum originale est peccatum naturæ. *Atqui* si quis in sua tantum generatione potuisset producere peccatum originale, hoc non fuisset peccatum naturæ, sed hujus naturæ seu naturæ ex parte. *Ergo* fuisset peccatum naturæ *secundum quid*. *Atqui* licet potuerit Deus talem legem ponere, nihilominus videtur fuisse inconveniens; et nullibi est revelatum, Deum ita egisse (vid. arg. 1.). *Ergo.*

4. Adam sibi et posteritati justitiam perdidit; *ergo* videtur et sibi et posteritati conservasse, si fidelis mansisset. Quod autem potuisset unusquisque pro se amittere gratiam, est ex statu probationis et viæ in qua unusquisque erat.

5. Parentes sancti nunc non possunt *justitiam* suam ad filios transferre; *ergo* nec videntur parentes mali in statu innocentiæ potuisse *injustitiam* suam transferre.

Quæritur 4. Quamdiu Adam et Eva fuerint in Paradiso? *R.* Certum est, judicium fuisse latum in Adam et Evam vespere, quum dicatur (Gen. iii. 8.) Dominus deambulasse in paradiso "ad auram post meridiem" et vocasse Adamum. Certum præterea est, Adamum fuisse creatum feria sexta et translatum in paradisum. — Jam triplex est sententia: *prima* tenet eodem die suæ creationis peccasse et ejectum esse Adam ex paradiso. Ita docet S. Irenæus (l. 5. c. hær. c. 23.): "Factum est vespere et mane dies unus. In hac ipsa die manducaverunt; in ipsa autem et mortui sunt." Ratio ejus est, quod Christus, secundus Adam, hoc eodem die—feria sexta—mortuus sit. Hanc rationem Anastas. Synaita (Anag. contempl. in Hexæm. l. 7. initio) magis evolvit. Addunt alii alias rationes congruas: quod Moyses continuo tentationem et causam post creationem Evæ retulerit; quod dæmon, invidia flagrans, non passus sit, esse protoparentes diu in paradiso; quod defectu experientiæ in Eva voluerit dæmon uti ad tentationem; quod probabile sit, primum fructum, quem comederint in paradiso, fuisse fructum vetitum dicente S. August. (Serm. 65.): "Quamdiu jejunavit, in paradiso fuit."

Altera sententia, primos homines fuisse octo dies in paradiso, i. e., a feria sexta usque ad feriam sextam. Ita Pererius (l. 6. in Gen., disp. de illa re, quæst. 2.). Rationes sunt: *a*) Verisimile est, Christum eo-

dem die incarnatum et mortuum fuisse, quo Adam peccaverit; *ergo* feria sexta. *b*) Quia ita intelliguntur Patrum dicta de feria sexta, si non sumitur feria sexta secundum numerum, sed quasi speciem.

Tertia sententia probabilior, altero die peccasse et ejectos fuisse ex paradiso. Rationes: *a*) Conveniens fuit, ut saltem aliquo tempore fruerentur deliciis paradisi. *b*) Non erat conveniens, ut res tam graves —creatio animalium—Adæ—denominatio animalium—creatio Evæ—tentatio—casus—judicium—ejectio ex paradiso—fierent uno die. *c*) Videntur etiam gustasse alias fruges: "de omni ligno paradisi vescimur;" hinc potuit fructus visus excitare etiam desiderium gustandi. *d*) Fuerunt virgines in paradiso; hinc non probabile est, mansisse per octo dies. *e*) Si eadem die peccassent, mansissent tantum per aliquot horas (6–8.), quod non conveniens videtur. Cf. Abulens. (in c. 3. Gen. qq. 107. 108.), Suarez (de Op. sex Dier. l. 4. c. 8.).

Quæritur 5. Num, si Adam generasset in paradiso, tempus probationis fuisset præteritum? *R.* Si Adam in statu innocentiæ generasset, constituisset primogenitum, qui accepisset naturam justam. Hinc videtur egisse ut caput naturæ; probatio pro toto genere humano fuisset præterita; ideoque nullum peccatum originale. Potuisset autem Adam peccare pro sua persona, ita ut sibi tantum, non aliis nocuisset hoc peccatum.

ARTICULUS IX.

DE ESSENTIA PECCATI ORIGINALIS.

I.

S. Ansel. (De Concept. Virg. c. 26.): "Considerandum est diligenter, quia non portant infantes peccatum Adæ, sed suum. Nam aliud fuit peccatum Adæ, aliud est peccatum infantium; illud enim fuit causa, istud effectus. Adam caruit debita justitia, non quia ipsi, sed quoniam alius dereliquit. Non est ergo idem peccatum Adæ et infantium. Et quum dicit Apostolus: 'Quia mors regnavit ab Adam usque ad Moysem etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ,' sicut significat infantium minus esse, quam Adæ, peccatum, ita aperte monstrat, aliud esse. Quapropter quum damnatur infans pro peccato originali, damnatur non pro peccato Adæ, sed pro suo. Nam si ipse non haberet peccatum suum, non damnaretur. Jam ergo non portat iniquitatem Adæ, sed suam, quamvis ideo dicatur portare, quia iniquitas illius peccati fuit causa istius."

Ergo a) distinguitur peccatum Adæ a peccato infantium: prius dicitur *causa*, alterum *causatum*; *melius* prius dicitur peccatum *originans*, alterum peccatum *originatum*. — *b*) Peccatum *originatum* est cuique proprium, non peccatum originans; hinc propter peccatum originatum, cuique proprium, homo excluditur a cœlo.

Atque etiam Trident. docet, peccatum illud "inesse unicuique proprium" (sess. 5. can. 3.). Quod vero secundum Apost. peccaverunt in Adam, potest intelligi, ut vel actualiter peccarint, vel contraxerint peccatum Adami. Non intelligitur prius, sed alterum, ut ait Trident. (sess. 6. cap. 3.): "propagatione propriam injustitiam contrahunt."

II.

Quæritur ergo, quid illud sit, quod interne unumquemque ita afficiat, ut ratione hujus peccator sit.

Duplex explicatio: prior *Manichœistica*, quatenus internum peccatum reponit in aliquo positivo malo pro se solo existente in peccatore, quod licet ab Adamo causatum, tamen per se solum peccatorem constituat; altera *Rationalistica*.

Jam 1. *De Manichœistica.*

a) Flaccus Illyricus docet, peccatum originis substantia est, i. e., forma substantialis animam informans; quæ forma nihil aliud est nisi imago diaboli—simili modo sicut forma cadaverica, expulsa anima tanquam forma, in corpore est.

b) Alii Theologi (vide apud Bellarm., de amiss. Grat. et stat. pecc. l. 5. c. 15.) docent, ex peccato Adami *morbidam* quamdam qualitatem productam in corpore Adami et per semen traductam ad posteros. Ex

hac qualitate in carne produci similem qualitatem in anima, ut primum juncta esset cum corpore.

c) Novatores vario modo explicarunt.

a) Lutherus nonnihil Flacco Illyrico consentit.

β) Melanchthon initio statuit, quemadmodum diabolus in continuo quodam actuali peccato versatur, ita et homines in peccato originali. Quum vero infantuli non possent habere talem actum, statutum fuit, originale peccatum esse in *propensione* quadam et *dispositione* ad peccandum; quam Bajus explicat per modum actus quasi remisse continuati: "actum quemdam *habitualem*, quo ad malum semper intenti sumus" (De Pecc. Orig. c. 2.); alii vero nudam illam dispositionem et propensionem peccatum esse contendunt, docentque actualem illam concupiscentiam ita dominari in hominem, ut anima, adepto usu rationis, peccare debet. Est igitur et actus prævenions et tota concupiscentia peccaminosa. In hoc systemate tollitur libertas.

N. B. Quum hæc concupiscentia sit in se mala, sequitur nec per baptismum posse deleri—manet enim ut constat; quare Novatores docent, non tolli malitiam sed *contegi* meritis Christi, ita ut non amplius imputetur. Ut enim Calvinus docet, imputatio habet pro fundamento justitiam divinam; huic satisfit per merita Christi. — Jansenius et Bajus docent, concupiscentiam tamdiu manere peccatum, dum per baptismum vel alio modo sit a peccato excepta et subtracta.

2. *De Rationalistica.*

a) Hermes (ex parte etiam Guentherus) studet peccati statum ex ipsa inordinatione naturæ explicare. Hæc ipsa inordinatio naturæ Deo odio est, licet orta sit ex Adamo. Negligit itaque respectum ad peccatum Adami et contractam inde Dei displicentiam; id quod in peccato materiale est, magis urgens.

b) Albertus Pighius et Ambros. Catharinus docebant *e contra*, licet sit in homine deordinatio, hanc tamen non malam esse; totum vero peccatum in eo esse, ut unum Adæ peccatum omnibus imputetur; non igitur toties repetitum, quoties nascitur homo. Simili modo peccatum patris potest imputari quandoque omnibus membris familiæ, ita ut non fiat singulis proprium.

PROPOSITIO XXVII.

Neque Manichæisticæ nec rationalisticæ explicationes peccati originalis supra relatæ admitti possunt.

Arg. 1. *Contra systema Illyrici.* Absurdum systema, quod ponit substantiam vel formam substantialem in se malam. Nam substantia est entitas physica; *atqui* hæc, ut sic, non potest esse mala, quum sit terminus operationis divinæ *effectivæ*, *finalis*, terminus repræsentans Deum per imitationem. *Ergo.* Cf. S. Aug. (de Mor. Manich. 2. 5.)

Arg. 2. *Neque morbida aliqua est qualitas.* Hæc enim esset aliquod

physicum; *atqui* nullum physicum potest esse ex sese malum (vid. 1.); *ergo.*—Præterea, haberet aliquam naturam; *atqui* "*mali nulla natura*" —ut fert commune verbum. *Ergo.*—Est enim malum tantum privatio.

Arg. 3. *Non est actus habitualiter permanens*, ut post Novatores Bajus vult. Talis enim actus habitualis supponit et fundatur in actu reali et personali. *Atqui* in infantulis, in quibus tamen est peccatum originale, talis actus non fuit. *Ergo.*

Arg. 4. *Non est concupiscentia.* X *a*) Nam aut intelligitur facultas appetendi aliquod bonum sensibile contradicens bono honesto; aut intelliguntur motus primi, prævenientes exercitium libertatis; aut intelligitur ipse consensus in tale bonum. *Atqui* facultas non potest esse peccatum, quia non est voluntaria, sed naturalis in se, et licet vocetur peccatum tamen non in se et propter se, sed quia inclinat ad peccatum et ex peccato orta est— hinc metonymice tantum peccatum vocatur. Actus vero prævenientes usum libertatis non sunt peccata, 1) quia non sunt voluntarii; 2) quia si essent peccatum, essent peccatum actuale, non originale; 3) quia tales actus in amentibus et infantulis peccata esse non possunt. Consensus denique in tales motus est peccatum actuale, non originale. *Ergo.*

b) Rom. viii. 1.: "Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu." Unde ita: Post baptismum ita homines sunt regenerati in Christo, ut nihil in ipsis damnationis sit. *Atqui* si, ut Protestantes volunt, concupiscentia esset peccatum, sed non imputaretur ut peccatum, maneret tamen plena damnatio in hominibus baptizatis, quia concupiscentia manet. *Ergo* in sensu Protestantico maneret damnatio in homine, qui esset in Christo.—Præterea, quomodo esset baptismus regeneratio, qua novus homo secundum Christum *induitur?*

Arg. 5. Hermes ponit internam deordinationem ex sese peccaminosam ideo quod sit dispositio ad peccatum. *Atqui* hoc falsum, quum ex sese non habeat rationem culpæ sed ex statu et connexione cum peccato Adamo, quod in illa dispositione continuatur. *Ergo.* Præterea, similis fere est protestanticæ explicationi, in quantum contendit Hermes, ante baptismum imputari ut peccatum, post baptismum non imputari. *Ergo* per eadem etiam argumenta refutatur.—Gregor. XVI.

(*"Dum acerbissimas"* 26. Sept. 1835.) damnavit opera Hermesii et præsertim illa quoque, quæ de originali peccato traduntur.

Arg. 6. Catharini sententia est prorsus contra Tridentin., quod definivit in unoquoque esse peccatum originale proprium.—Præterea, subvertit notionem baptismi, etc. Nulla transfusio, nulla propagatio peccati originalis possibilis, quæ tamen in S. Scriptura toties docetur, toties repetitur in Ecclesiæ documentis.

VERA NATURA PECCATI ORIGINALIS.

St. Q. 1. S. August. verba: *"nihil (peccato originali) ad intelligendum secretius"* contra Julianum ex illis inferentem, ergo nec debere naturam peccati orig. indagari, explicavit, *non facili* ratione explicari posse, negavit vero, nulla ratione posse explicari. In Tridentino, quum teste Pallavic. (l. 7. c. 8.) disceptatum inter theologos et Patres de natura peccati originalis esset, Patres convenerunt, "ne quid pro certo statueretur de natura ipsa originalis culpæ" (Pallav. l. 7. c. 10. n. 3.).

2. *De peccato generatim.*

חטא (Chatah) — ἁμαρτάνειν — *peccare*—significat proprie aberrare a scopo;— hinc actio peccandi est actio aberrans a fine. Cicero (Parad. 3.): "Peccare est tanquam transilire lineas." Suidas: ἡ τοῦ ἀγαθοῦ ἀποτυχία. Est igitur peccatum inordinatio voluntatis relate ad finem suum.

N. B. Peccatum etiam per metonymiam vocatur *a*) causa peccati, i. e., concupiscentia, ut Rom. vii. 17.: "Nunc autem jam non ego operor, sed quod habitat in me peccatum."—*b*) Effectus seu pœna, ut Levit. xx. 20.: "Portabunt ambo peccatum suum; sine liberis morientur."—*c*) Pro materia in qua peccatur, v. g., vitulus aureus, ut Deut. ix. 21.: "Peccatum autem vestrum quod feceratis, id est vitulum, arripiens, igne combussi."—*d*) Pro hostia, v. g., de Christo (II. Cor. v. 21.): "Eum, qui non noverat peccatum, peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso."

Est igitur peccatum aversio ab incommutabili bono et conversio indebita ad commutabile bonum. — Hæc aversio duplex est: *actualis*, quæ actu fit; *habitualis*, quæ facta conservatur.

Peccatum *actuale* definitur a S. Aug. (Cont. Faust. l. 22. c. 27.): "Factum vel dictum, vel concupitum aliquid contra legem æternam."

Expl. Est peccatum commissionis, et peccatum omissionis. In priori, ipsa physica entitas peccati est materiale; privatio rectæ et debitæ directionis est formale: sicut in gressu entitas physica est materiale, directio in orientem vel occidentem formale, quia determinans; quare si quis deberet ire in orientem, iret autem in occidentem, privatio debitæ directionis esset formale, cur gressus esset nocivus.—In peccato omissionis esset omissio, quæ concipitur per modum positivi, materiale; in quantum est contra debitum, formale.

Peccatum *habituale* est aversio peccati actualis continuata. Potest illa continuatio triplici modo intelligi: 1. Ut *actus habitualiter* perma-

nens sicut in angelis malis. 2. Ut *habitus* peccandi, v. g., habitus ebrietatis. 3. Ut *habitudo seu status*, v. g., si quis homicidium patravit, est pro familia hominis occisi semper objectum odii, seu in statu odiositatis.—Ultimus status convenit cum peccato originali.

Est igitur peccatum *originale* status culpabilis aversionis a Deo.—*Expl.* Supponatur homo faciem habens conversam versus solem orientem. Quamdiu ita conversus manet et procedit, semper facies a sole erit illuminata; quando vere tergum vertit soli, eo ipso exstinguitur in facie lux solis. Simili modo homo justus est conversus versus Deum, et illustratus a Deo. (*N. B.* Eo tantum discrimine, ut illuminatio, quæ est in gratia sanctificante, efficiat conversionem ad Deum.)—Quod si homo voluntarie se avertit a Deo, exstinguit illud lumen, et transit in statum tenebrarum. Hic igitur status exstinctionis luminis divini seu gratiæ sanctificantis, — status igitur tenebricosus, liber ab Adamo productus per primum peccatum,—status maximæ displicentiæ divinæ, ab omnibus hominibus hæreditate contractus — est status peccati originalis. Neque vero in hoc solo consistit ille status; ipsum etiam corpus affectat. Comparemus in anima gratiam sanctificantem per modum luminis, quod secum conjunctum habuisset caloricum, ita ut caloricum transiret in corpus, omnia pervadens, sanans,—generatim disponens convenienter cum statu animæ. Ut primum vero lux animæ est exstincta, immediate etiam caloricum exstinguitur; corpus inclinationibus naturalibus traditur, pugnæ elementorum— morti. Hac ratione constituitur vere peccatum totius naturæ, idque *a) intensive*, effectum suum perniciosum exercens per totam naturam, *b) extensive*, secundum omnia invidua, quæ naturam corruptam habent.

Coroll. 1. *Ergo* intelligitur quomodo natura possit dici vulnerata et vitiata.

Coroll. 2. *Ergo* intelligitur etiam, quomodo dicatur *macula*. Quum enim status ille tenebricosus non sit circa animam, sed in anima, affectans animam (sicut ferrum igni lucidum, post ignem exstinctum, obscurum), anima ipsa patitur. Ad rem S. Thom. (1–2. q. 86. a. 1.): "Macula proprie dicitur in corporalibus, quando aliquod corpus nitidum perdit suum nitorem ex contactu alterius corporis, sicut vestis et aurum et argentum aut aliud hujusmodi. In rebus autem spiritualibus ad similitudinem hujus oportet maculam dici. Habet autem anima hominis duplicem nitorem: unum quidem ex refulgentia divini luminis, scilicet sapientiæ et gratiæ, per quam etiam homo perficitur ad bene et decenter agendum. Est autem quasi quidam animæ tactus, quando inhæret aliquibus rebus per amorem; quum autem peccat, adhæret rebus aliquibus contra lumen rationis et divinæ legis, ut ex supradictis patet; unde ipsum detrimentum nitoris ex tali contactu proveniens **macula animæ metaphorice** vocatur."

PROPOSITIO XXVIII.

Essentia peccati originalis merito ponitur in privatione gratiæ sanctificantis, cuique ex Adam orto secundum Dei institutionem debitæ.

St. Q. 1. Carentia gratiæ sanctif. duplex esse potest: si (in statu naturæ puræ) Deus non dedit; vel si Deus dedit gratiam sanctif. et elevavit hominem ad statum supern., homo vero eam peccato perdidit. In primo casu, peccatum faceret quidem hominem a Deo aversum et dignum divina displicentia, nihil tamen in natura exstingueret; in altero casu exstinguit gratiam filiationis divinæ; ponit igitur hominem receptum in familiam divinam extra hanc familiam ut rebellem.

Arg. 1. Peccatum originale est mors animæ. *Atqui* mors est destructio vitæ; mors animæ, destructio vitæ supernaturalis et divinæ. *Ergo* peccatum originale est destructio vitæ seu principii vitalis supernaturalis. *Atqui* hoc principium est gratia sanctificans, utpote participatio vitæ divinæ. *Ergo* destructio, privatio gratiæ sanctificantis est peccatum originale.

Arg. 2. Peccatum originale habet veram peccati rationem. *Atqui* peccatum, quum sit species mali, non est quid positivum, sed privatio tantum. *Ergo* peccatum originale est tantum privatio. *Atqui* non est alia privatio quam privatio gratiæ sanctificantis; quæ enim præterea sunt in homine—concupiscentia, mortalitas—non habent rationem peccati ex sese; manent enim si peccatum originale jam est sublatum. *Ergo.*

Arg. 3. Christus ut restaurator (Rom. v. 12.) est vivificator per gratiam; Adam est damnificator per peccatum originale. *Atqui* ut vivificator et restaurator reddit gratiam sanctificantem. *Ergo* damnificatio Adæ per peccatum erat in perdenda gratia sanctificante, et hinc status illius damnificationis consistit in privatione gratiæ sanctificantis.

Arg. 4. Peccatum originale est illud, quod *præcise* tollitur per bonum baptismale. *Atqui* bonum baptismale est gratia sanctificans. *Ergo* peccatum originale quod tollitur per baptismum est præcise privatio gratiæ sanctificantis.

Arg. 5. *Ex Patribus.* PP. vocant peccatum origin. sordes (Orig. in Lev. homil. 8.); vocant maculam (Ambros. Apolog. 2. David c. 1.);

anima in Adamo immunda; peccatrix *quia immunda* (Tert. de Anima, c. 40.). *Atqui* hæ expressiones optime congruunt cum doctrina thesis. Non enim peccatum est quid positivum sed defectus nitoris supernaturalis in anima; nitor autem supernaturalis est gratia sanctificans. *Ergo.* Hinc S. Anselm. (De Concept. Virg. et Pecc. Orig. c. 27.): "Hoc peccatum, quod originale dico, aliud intelligere nequeo in iisdem infantibus nisi ipsam factam per inobedientiam Adæ justitiæ debitæ nuditatem."

Obj. 1. Subtractio gratiæ sanctificantis est pœna, hinc effectus. *Atqui* effectus non potest esse causa formalis suæ causæ. *Ergo.*

R. D. Maj. Ex parte Dei est pœna *C.*; ex parte hominis *subd.*— quoad peccatum actuale *C.*; quoad peccatum habituale seu statum *N.*

Expl. Potest privatio gratiæ sanctif. considerari ex parte Dei et ex parte hominis. Est enim gratia sanctif. vinculum amicitiæ, et adoptionis; hinc duos terminos supponit— Deum et hominem, amicum et amicum, patrem et filium. Quando homo peccat et rumpit amicitiam, Deus etiam ex sua parte recedit, pater ex sua parte desinit esse pater; hinc Deus subtrahit gratiam: culpa hujus subtractionis vero est homo per peccatum suum actuale. Exinde oritur status gratiæ subtractæ. Pro *hoc* igitur *statu* est privatio hæc status peccati: seu formale hujus status, qua peccaminosi, est privatio gratiæ sanctificantis: v. g., supponatur accola urbis civitate donari; quodsi hoc civitatis jus per crimen amittit, subtractio hujus juris est pœna criminis: status autem, qui ex eo sequitur est status criminosus, quatenus est status degradatus; est autem degradatus, quatenus est status privationis juris civitatis.

Obj. 2. S. Thom. (1–2. q. 82. a. 2.) dicit causam hujus corruptæ dispositionis esse privationem gratiæ sanctificantis. *Ergo* non potest ipse status corruptionis in eo consistere.

R. D. Ant. Ut causa formalis et ita efficiens, sicut et anima est causa vitæ *C.*, ut causa efficiens tantum *N.*

Obj. 3. Si privatio gratiæ sanctif. est formale peccati originalis, omnis status ejusmodi privationis esset peccatum originale. *Atqui* hoc absurdum. *Ergo. R. D. Maj.* Si in omni illa privatione præcise inesset relatio ad peccatum Adæ *C.*, si non inest *N.* Gratia sanctif. quæ desideratur in peccato originali est illa quæ ex institutione Dei comitari debebat ipsam propagationem naturæ. Alia igitur est relatio ejus ad humanam naturam; alia relatio ejusdem gratiæ sanctificantis, quæ ex redemptione datur.

PROPOSITIO XXIX.

Quamvis concupiscentia ex se et intrinsece non sit pars materialis peccati originalis, tamen analoga aliqua *ratione tanquam pars integrans recte quia materiale illius peccati dici potest.*

St. Q. 1. Ex peccato oritur status *reatus.* Reatus autem definitur *conditio rei*—seu conditio, in qua homo obligatur ad culpam et pœnam

ferendam. Concupiscentia igitur, in quantum ex peccato orta est et displicentiam Dei habet in se, dicitur habere reatum culpæ. Quare ab Augustino dicitur in baptismo transire concupiscentiam quoad reatum culpæ; manere vero actu, i. e., non esse amplius culpabilem, quamvis remaneat.

2. Ipse S. Thom. (2. Dist. 30., et de Malo q. 4. ad 2.) distinguit *formale*, i. e., privationem gratiæ sanctif.; et *materiale*, i. e., concupiscentiam.

PARS I. *Non est intrinsece et vere materiale.*

ARG. Materiale est subjectum proprium formæ et concurrens ut constitutivum. *Atqui* privatio integritatis, i. e., concupiscentia, non potest esse subjectum proprium privationis gratiæ sanctificantis; hæc enim tota est in anima, concupiscentia autem totam naturam pervadit. Præterea, potest anima iterum vivere per gratiam sanctific., licet adsit concupiscentia. *Ergo.*

PARS II. *Analoga ratione dici potest materiale.*

ARG. 1. Integritas, quæ est ordinatio perfecta omnium facultatum naturæ, se habet ad gratiam sanctif. ut actus exterior ad actum interiorem—est enim complementum ejus. *Atqui* actus externus recte dicitur informari per actum internum, quatenus ejus est complementum naturaliter cum eo concurrens ad actum totalem hominis. *Ergo* etiam integritas naturæ recte dici potest informari per gratiam sanctificantem. *Ergo* et privatio gratiæ sanctific. recte potest considerari ut formale totius corruptionis naturæ, quatenus hæc complementum est prioris. Peccatum enim originale est peccatum naturæ totius.

ARG. 2. Sicut actus imperatus externus determinatur ab actu interiore, in quo actu vere et primario est ratio peccati; ita etiam externa facultatum deordinatio determinatur a privatione gratiæ sanctificantis. *Atqui* actus imperatus informatur per actum elicientem ut sit peccatum. *Ergo* simili modo concupiscentia per privationem gratiæ sanctificantis.

ARG. 3. Sicut in peccato actuali inest *conversio ad bonum commutabile*, eaque habetur ut aliquod materiale in peccato; ita et in totali inordinatione naturæ habetur habitualis conversio ad sensibilia. *Ergo* et hæc potest considerari ut aliquod materiale in peccato illo habituali,

Coroll. 1. *Ergo* patet, reatum aliquem de concupiscentia affirmari posse, non tamen, qui intrinsece cum illa connexus sit, sed extrinsece tantum; quare et tolli potest; estque is sensus S. August. et S. Thom. (2. dist. 30. a. 3. in corp., et de Malo q. 4. a. 2.).

Coroll. 2. Potest igitur concupiscentia *derivative* et *causaliter*, hinc *improprie* in se vocari peccatum.

Coroll. 3. Privatio gratiæ sanctif. non est proprie pars formalis peccati, sed *totum peccatum;* est autem pars formalis inordinationis naturæ.

PROPOSITIO XXX.

Quemadmodum omne peccatum, ita et peccatum originale voluntarium est, non voluntate personali eorum, qui ab Adamo descendunt, sed voluntate capitis naturæ, quæ est voluntas intrinseca naturæ, ita ut recte a S. Augustino (De Nupt. l. 1. c. penult.) *ipsa natura vocetur natura peccatrix, et a S. Anselmo dicatur* (De Conc. Virg. et Pecc. Orig. c. 23.) *"in Adamo persona infecit naturam, in nobis natura inficit personam."*

PARS I. *Omne peccatum est voluntarium.*

ARG. 1. Peccatum est culpa. *Atqui* omnis culpa est eo tantum culpa quod sit voluntaria; est enim in eo, quod potuit ac debuit peccator aliquid habere, quod habere *noluit*. *Ergo.*

ARG. 2. Peccatum est in genere morum imputabile ad culpam et pœnam, seu cum reatu culpæ et pœnæ. *Atqui* genus morum radicatur in voluntate; moralitas et imputabilitas in libertate; reatus utpote obligatio ligat voluntatem. *Ergo* omne peccatum radicatur in voluntate libera,—hinc voluntarium ipsi necessarium. *Ergo* et peccatum originale est in omni homine voluntarium.

PARS II. *Non est voluntarium actuale vel habituale.*

Voluntarium est vel actuale, vel habituale, vel inclusum in actuali. *Atqui* 1. non est actuale, quia in infantulis peccato originali infectis non potest esse actus: præterea, ipsum peccatum originale non est peccatum actuale. *Ergo.* 2. Non est voluntarium habituale. Nam voluntarium habituale supponit actuale, cujus est quædam continuatio; sed tale non fuit in infantulis. *Ergo.* Præterea, habituale est peccatum personale; sed peccatum originale est hæreditate naturæ attractum.

Ergo non est voluntarium habituale. *Ergo* 3. est voluntarium ratione inclusionis in altero.

PARS III. *Est voluntarium ratione inclusionis.*

Est voluntarium in peccato originali ut inclusum in includente, si 1. ipsa natura erat in Adamo ut in natura seminali, et 2—si Adam erat caput naturæ totius generis humani, repræsentativum etiam in ordine morali. *Atqui* ita est. *Ergo.*

Prob. Maj. quoad 1. Si natura, ad quam pertinet voluntas erat inclusa in natura Adami, hinc et voluntas in voluntate Adami,— fuit in natura Adami corrupta etiam hominum ab Adamo descendentium natura, et voluntas eorum in voluntate Adami corrupta et peccaminosa, idque ex actu voluntario Adami.— *Quoad* 2. Potest in Adam considerari persona privata et persona publica. Si peccasset ut persona privata, sibi soli peccasset, nec posteros suos fecisset peccatores, quemadmodum Cain suum peccatum fratricidii non transmisit ad posteros. — Ut igitur transmitteret peccatum, debuit esse persona publica; sed ut esset persona publica, non satis erat ut generaret; generatio enim ut actus naturæ in naturali ordine non autem in morali ordine quidquam transmittit. *Ergo* debebat Adam a Deo poni ut persona publica, i. e., ut caput naturæ, totum genus humanum habens in se et repræsentans. *Ergo* Adam debuit esse caput naturæ, hinc et caput voluntatis naturæ.

Prob. min. 1.—Fuisse in Adamo omnem naturam ut in natura seminali, patet, quum Deus ipse propagationem ejusdem naturæ ex Adamo instituerit: "Crescite et multiplicamini" Gen. i. 28., et iii. 20.: "Heva . . . mater cunctorum viventium."

2. Fuit caput naturæ, repræsentans totam naturam in ordine morali. (vide prop. 21.)

Præterea est *de fide*, omnes per Adamum constitutos fuisse peccatores. — Jam vero duplici ratione potuit Deus transmissionem justitiæ originalis cum actu Adami connectere: *a*) Ut esset *conditio*, sub qua voluisset Deus aliis hominibus dare justitiam eadem ratione, qua eam dedit Adamo. Posteros igitur conditionate tantum proventura erat gratia sanctific., si Adam fidelis mansisset. *b*)—Ut nexus esset *unitatis*, quatenus universum genus humanum unum esset in capite; non ra-

tione personæ sed ratione naturæ. *Atqui* non prior nexus, sed ultimus existit. *Ergo.*

Prob. min. In priori nexu non possent dici omnes in Adam peccasse, licet amiserint propter Adamum gratiam sanctificantem. *Atqui* tamen peccarunt. *Ergo.*

Accedit, quod in priori nexu justitia promissa esset personis, hinc non debitum ex parte naturæ. *Atqui* per naturam acceptam attrahitur peccatum. *Ergo* debita erat justitia originalis naturæ.

Ergo ratione unitatis in natura Adamus fuit constitutus ut caput naturæ, naturam repræsentans etiam in ordine morali.

Cfrm. Si omnes fuissent conjuncti Adamo, ut cives sunt conjuncti cum rege ut capite, haberetur quidem unum aliquod sociale et juridicum. *Atqui* talis unitas licet possit efficere, ut quod caput faciat, id imputetur etiam membris, imputatio tamen foret tantum externa, non interna. *Ergo* non possunt posteri esse juncti Adamo tali nexu sociali. ~~et interne relate ad ipsam naturam~~. *Atqui* debent tamen Adamo ut capiti esse conjuncti. *Ergo* debent ipsi esse conjuncti ut capiti naturæ.

Expl. Rex cum subditis suis facit unam aliquam personam moralem; sed conjunctio illa est tantum propter ordinem externum; nulla igitur interna ordinatio ex natura. Estque illa persona moralis et juridica *fictio quædam juridica*, habens fundamentum suum in ordine sociali, et in necessitate naturæ ineundi ejusmodi nexus sociales in ordine externo propter unitatem finis. Hinc si subditi dicuntur per caput suum sociale aliquid facere, illud tamen in ordine tantum externo est, et hinc externe tantum ipsis imputatur. Ligantur personæ, et ratione personarum etiam natura. Personæ vero utpote sui juris externe ligari tantum possunt. Quum vero peccatum ipsum statum internum moralem afficiat, et tale peccatum sit in posteris Adæ, patet debere alio modo *unitos* Adamo esse, i. e., interne. Jam vero natura conjungit, persona separat; natura tendit in unitatem, persona in separationem et individualitatem. *Ergo* erat Adam caput secundum naturam.

Coroll. 1. *Ergo* imputatio fit naturæ, et ex natura et propter naturam fit personæ. (vide in Propos. verba S. Anselm.)

Coroll. 2. *Ergo* voluntarium est in natura Adami, i. e., *voluntas naturalis* fuit corrupta in Adamo (secundum ordinem moralem) et hinc transmissa ut corrupta simul cum natura; quumque corruptio voluntatis non possit esse nisi ex actu voluntario, hinc et peccatum in posteris erat voluntarium in actu Adami.

Coroll. 3. *Ergo* recte ponuntur posteri contrahere *reatum culpæ* et reatum pœnæ in peccato originali; non quidem reatum peccati personalem, sed naturalem.

Ad rem S. Thom. (in 2. dist. 31. q. 1. a. 1.): "Ratio culpæ inde venit, quia illud quod collatum fuit Adæ gratis, scilicet justitia originalis, non fuit sibi collatum personaliter, sed in quantum talem naturam habebat, ut omnes scilicet, in quibus talis ab eo accepta natura inveniretur, tali bono potirentur et ideo cum propagatione carnis etiam illa originalis justitia propagata fuisset. *In potestate ergo naturæ erat*, ut talis justitia semper in ea conservaretur, sed per voluntatem personæ existentis in natura factum est ut hoc perderetur, et ideo hic defectus comparatus ad naturam rationem habet culpæ in omnibus, in quibus invenitur eadem natura accepta a persona peccante."

Arg. 3. Convenit doctrina Apostoli (Rom. v. 12.): Mors est pœna peccati. *Atqui* mors est unicuique propria, ita ut secundum propriam necessitatem moriatur, non secundum necessitatem mortis in Adam (quod ne cogitari quidem potest). *Ergo* etiam peccatum habet unusquisque proprium, ita ut proprium habet peccatum, non Adæ. *Atqui* si proprium habet peccatum, habet etiam proprium voluntarium, et non voluntarium Adæ, (quod præterea est voluntarium actuale). *Ergo.*— *Atqui* habet voluntarium hoc non independenter a voluntario Adami, sed ut erat in Adamo inclusum; erat autem inclusum, ut erat tota natura inclusa. *Ergo* habet voluntarium ratione naturæ quæ erat in Adamo tanquam capite et origine.

Coroll. *Ergo* si Adam ante peccatum generasset, alius habuisset jam naturam, nec Adam fuisset amplius caput et dominus naturæ: non enim est dominus naturæ simpliciter, si alter est, qui est etiam dominus naturæ. Fuisset itaque Adam dominus tantum suæ naturæ; fuisset semper prima persona et caput sociale suæ familiæ, i. e., caput societatis in sua familia, non vero caput naturæ in sua familia.

Arg. 4. *Ex Patribus.* S. Aug. (Op. imp. cont. Jul. l. 1. c. 48.): "Sed peccatis, inquis, alienis non utique perire debuerunt. Aliena sunt, sed paterna sunt ac per hoc jure seminationis atque germinationis et nostra sunt." Præterea (de Civ. Dei, l. 16. c. 27.) dicit S. Aug.: "Parvuli, non secundum *suæ vitæ proprietatem*, sed secundum communem *generis humani originem, omnes in illo uno Testamentum Dei dissipaverunt*, in quo omnes peccaverunt." *Ergo* sicut peccatum ita et voluntarium, quod ad peccatum essentialiter pertinet ex Adamo trahunt, quatenus seminali ratione in Adamo continebantur, et sicut natura propria est unicuique, ita et peccatum, ita et voluntarium.

Scholium. *Doctrina S. Thom.* (1–2. q. 81. a. 1.)

1. Omnes homines secundum unitatem naturæ possunt concipi ut *unus homo.*

Expl. Adam, caput totius generis humani, non est caput separatum a corpore. *Ergo* totum genus humanum ut ejus corpus concipi potest. Quodsi comparatur unitas hujus corporis cum unitate civili alicujus civitatis sub rege tanquam capite, invenitur discrimen in eo, quod omnes cives *simul tempore* vivunt, humanum vero genus *successive* tantum. Nihilominus et ipse rex aliqua ratione caput subsequentis generationis est, quatenus pro illa leges ferre potest. (Censetur societas habere vitam perpetuam). Quodsi ex hac parte, i. e., ex simultate temporis unitas major est in civitate quam in genere humano relate ad Adam: ex altera tamen parte minor est, quia civitas in ordine externo—sociali—tantum una est; hæc vero unitas secundum aliquid naturæ efficitur, quia omnes vera seminali ratione in Adam continentur, ita ut Adam dominus suæ naturæ ut completæ, aliarum vero omnium naturarum secundum semen in sua natura contentum esset. Qui autem dominus seminis est, est et dominus aliqua ratione eorum, in quæ semen se evolvit. Actualiter igitur dominans in semen, attigit ratione hujus et omnes alios; et actualiter secum *identificans* alios secundum virtutem effectivam et semen, *unit* omnes alios hoc vinculo secum, si seperati existunt in futuro. Unde sequitur, si Adam, qua persona, suam naturam malam facit et odiosam Deo, facit etiam malam secundum rationem seminalem; quare alii habent naturam, quæ in Adam secundum semen fuit, quum peccaret. Semen vero illud non est separatum in Adamo, sed est ipsa natura Adami ut communicabilis,—non ut persona, quæ communicabilis non est, sed ut natura.

2. Quemadmodum membra ex corpore excrescunt, ita et homines generatione excrescunt, ut ita genus humanum cum Adamo ut capite quasi unus homo constituatur. Jam vero, sicut si in corpore physico manus homicidium perpetrasset, hoc manui non imputaretur, si esset separata, sed tantum imputaretur in quantum vitalem motum ab anima accepisset, ita etiam in corpore hoc magno unicuique membro ab anima motus vitalis et peccaminosus advenit, ut ita et membra fiant peccaminosa. Homo igitur ut tale membrum est membrum secundum naturam, non personam: —ut enim persona est, pertinet ad se non ad Adamum, sed ut natura est, pertinet ad Adamum ejusque juri et dominio subjicitur;—accipit motum vitalem ab Adamo tanquam capite, hinc et peccaminosum motum, et statuitur peccator.

Coroll. 1. *Ergo* ut tale membrum (H°) non est sui juris, — hinc neque liber in admittendo peccato; quare voluntarium et liberum est in peccato Adami quoad exercitium actuale; ipse vero (H° membrum) accipit voluntarium et liberum actione naturæ.

Coroll. 2. *Ergo* voluntarium proprium, quod pertinet ad peccatum, est in peccato originali *minimum*, minus voluntarium etiam quam in peccato veniali. Quare si homo a cœlo excluditur, non hoc fit ratione voluntarii, sed ratione indignitatis personæ.

PROPOSITIO XXXI.

Nullum existit pactum inter Deum et Adamum, quo Deus posterorum voluntates in voluntate Adami incluserit.

St. Q. 1. Est pactum, duorum (pluriumve) in idem consensus atque conventio. Quæritur ergo, num Deus Adamum statuerit caput et incluserit omnium voluntates in Adami voluntate dependenter a consensu et conventione Adami, ita ut Adam consenserit, se velle repræsentare genus humanum.

2 In Adam considerari possunt persona prima et caput naturæ: quæ duæ rationes quum non sint necessario connexæ, patet Deum positiva aliqua ordinatione Adamum constituisse caput. Ad hoc vero sufficit, ut Adamo daret naturam completam cum patrimonio supernaturali tanquam unum aliquod totum, quod ex destinatione divina semper deberet esse conjunctum. Sequeretur autem patrimonium illud naturam sicut accidens. — Hinc patet, non debuisse Deum ita agere cum Adamo, ut Adam interrogatus consentiret, velle se repræsentare totum genus humanum, ita ut a sua obedientia conservatio, ab inobedientia sua amissio bonorum pro toto genere humano dependeret. Patet etiam Deum non independenter a natura et ratione sui, i. e., voluntatis, debuisse voluntates aliorum includere in voluntate Adami, sed sufficere, eas inclusas fuisse ratione naturæ.

Arg. 1. Natura rei *non* postulat, ut Deus pactum inierit cum Adamo. *Ergo*, si fecit, hoc constare tantum revelatione potest. *Atqui a*) nullibi ne vestigium quidem pacti talis existit in S. Scriptura; dicitur enim tantum Adamus peccando perdidisse genus humanum, quod sine pacto fieri poterat.—*b*) Est contra PP. Ecclesiæ, qui, sicut v. g. S. Aug. provocant ad unitatem naturæ (de Verb. Apost. serm. 14. n. 15.); vocant peccatum originale peccatum naturæ, etc.; dicunt non propter arbitrium singulorum, sed propter originem seminis omnes peccasse in Adamo (S. Aug. Opus. imperf. l. 4. n. 104.); et si PP. quandoque alio modo loquuntur, intelligenda est inclusio ratione naturæ. *Ergo.*

Arg. 2. Pactum illud aut fit ratione naturæ inclusæ, et tunc est inutile; aut fit eo, quod Deus voluntates incluserit in voluntate Adami independenter a natura, hinc voluntates *personales* aliorum hominum; *atqui* hoc admitti nequit, quia non apparet, quomodo peccatum possit

esse intrinsecum cuique et proprium—inclusio enim illa externa tantum esse potest. *Ergo.*

Cfrm. Patrimonium gratiarum privilegium quoddam idque summum est. *Atqui* hoc non solet dari per modum pacti. *Ergo.*

PROPOSITIO XXXII.

Peccatum originale, unum in specie multiplex in numero, propagatur per generationem, ita ut terminus generationis sicut in statu innocentiæ futurus fuisset homo sanctus, nunc sit homo peccator.

I. Peccatum originale unum in specie et multiplex in numero.

1. Peccatum originale est unum in se, multiplex secundum individua. *Atqui* quod in se consideratum unum est, multiplicatur vero in individuis, est unum in specie, multiplex in numero. *Ergo.*

2. Originale peccatum est mors animæ, sicut ejus effectus, i. e., mors temporalis, est mors corporis. *Atqui* mors corporis est una in se, multiplex tamen in individuis, hinc multiplex numero. *Ergo* a pari mors animæ seu peccatum originale.

II. Propagatur generatione.

Peccatum originale est peccatum naturæ, hinc et actu naturæ propagatur. *Atqui* actus naturæ, quo natura propagatur, est generatio. *Ergo.*

III. De termino generationis in statu innocentiæ.

Potest generatio considerari vel partialiter, in quantum est actus naturæ tantum; vel totaliter, in quantum actio simul consideratur sub institutione supernaturali divina. *Atqui* sub priori respectu est natura tantum, sub altero vero est natura sancta. *Ergo* in statu innocentiæ terminus generationis totalis futura fuisset natura sancta.

Expl. Est lex naturæ, omne vivum esse a vivente; hinc vivens est per generationem causa efficiens alterius viventis; pater igitur causa efficiens filii.—Jam vero filii anima, quæ est proprie causa vitæ, non est a patre sed a Deo. Quæritur ergo, quomodo pater sit causa efficiens filii?—Respondetur: Pater producit corpus efficienter, et in illo corpore *dispositionem* et exigentiam naturalem ad animam tanquam formam, urgetque hac ratione legem naturalem, secundum quam Deus debet creare animam. Quamvis igitur homo sit causa corporis immediata, animæ vero mediata seu remota, intentio tamen actus generationis naturalis fertur in hominem totum et simplicitur; quare sub hoc respectu pater dici potest esse causa efficiens filii per generationem. Jam vero,

sicut homo proxime corpus et aptitudinem corporis ad animam—et hac ratione hominem procreavit, ita in homine ex Dei institutione aptitudinem procreasset ad dona supernaturalia: procreasset enim corpus sanum, etc., quod complementum fuisset corporale ad statum animæ innocentis.— Quare ut homo simpliciter dicitur causa efficiens hominis, sic dici deberet in statu innocentiæ causa efficiens hominis sancti.

IV. De termino in natura lapsa.

Ut in statu innocentiæ generatio potest considerari secundum intentionem totalem et secundum terminum totalem, ita etiam in statu naturæ lapsæ. *Atqui* in priori casu homo generavit hominem sanctum. *Ergo* in statu lapso generat hominem peccatorem. Jam vero, quum materia sit mutata, homo non eadem ratione est principium in priore et in posteriore; in priore principium efficax, cum gratia sit positiva qualitas; in posteriore principium deficiens. *Ergo* homo in statu lapso est quidem causa generans hominem peccatorem sed ut principium deficiens.

Expl. Si homo monstruosum quid generaret, esset quidem causa efficax, quatenus efficeret aliquid, quum vero illud monstruosum non sit aptum quod habeat humanam naturam—hinc privetur natura humana, —est deficiens in genere causarum efficientium. Simili modo homo in statu lapso est causa efficax naturæ, deficiens, quatenus peccatum propagat.

Coroll. Quum generatio ex sese actio sit indifferens, hinc mala tantum per aliquid externum, patet generationem posse esse licitam et debitam, si bonus finis sit, qui potest intendi. Bonus autem finis multiplicatio generis humani est, quare hæc intendi, quod vero peccatum propagatur, admitti, potest. Atque ita solvitur difficultas, quam opponebant Pelagiani S. Augustino, ex doctrina Catholica sequi nuptias esse illicitas, quum propagent peccatum (vid. supra pag. 279. n. 9.). — Nihilominus objici adhuc potest:

1. Non licet cibos alicui dare veneno infectos; *ergo* a fortiori non licet naturam alicui dare veneno (peccato) affectam.

R. Negatur paritas. Nam *a*) venenum est substantia alteri substantiæ admixta eo fine ut destruat vitam alterius; peccatum vero est privatio, quæ supponit aliquod bonum, ratione cujus datur.

b) Venenum tollit vitam existentiæ naturalis, quæ est fundamentum ordinis supernaturalis; peccatum non dirigitur contra hanc vitam, sed eam supponit, ac privat tantum supernaturali bono; est autem bonum aliquod habere vitam naturalem.

2. Melius esset *non* existere, quam existere in peccato originali; ut dixit Christ. Dom. (Matth. xxvi. 24.) de Juda: "Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille." *Ergo* peccant parentes contra charitatem.

R. a) *Neg supposit.*, i. e., propter charitatem obligari aliquem ad abstinendum ab aliqua re ad quam habet jus et quæ aliunde est valde necessaria. Secus nec Deus posset dare leges, quia multi contra illas peccabunt.

b) Quamvis sub respectu peccati melius sit non esse quam esse, nihilominus sub respectu existentiæ naturalis melius est esse quam non esse; hæc præterea existentia naturalis potest — et obligatur ad id — solvere se a peccato; hinc fit, ut pro homine simpliciter melius sit esse, quam non esse.—Comparatio cum judicio de Juda non valet, quia connotabatur perseverantia in malo et damnatio æterna, quæ in peccato originali non connotatur.

PROPOSITIO XXXIII.

Licet concupiscentia dici possit in sensu aliquo causa inducens et indirecta, et alio sensu significatio peccati originalis, falso tamen asseritur esse causa immediate effectiva et propagativa peccati.

St. Q. Jansenius (De Stat. Nat. Laps. l. 1. c. 6.) docet in generatione naturali esse concupiscentiam, eamque esse peccatum; hinc contrahi in prole ex hac concupiscentia peccatum (c. 3. loc. cit.) dicit: "existente concupiscentia non potest animus *non esse* aversus a Deo." Hauserat hanc doctrinam a Luth. (in Ps. li.) et a Calv. (l. 1. inst. c. 1.)

Simile quid videtur S. Aug. dicere (de Nupt. et Conc. l. 1. c. 24. n. 27.): "Honestus concubitus non potest esse sine ardore libidinis .... Ex hac carnis concupiscentia ... quæcumque nascitur proles, originali est obligata peccato."

PARS I. *Potest dici indirecta causa.*

ARG. 1. Concupiscentia ut plurimum homines impellit ad generationem. *Atqui* generatio est causa effectiva et propagativa peccati originalis. *Ergo* concupiscentia, utpote causa generationis, potest etiam dici (licet indirecta) causa efficiens et propagativa (saltem remote) peccati originalis.

ARG. 2. Ardor concupiscentiæ in actu ipso generationis est significatio in parentibus concupiscentiæ habitualis, quæ cum sit ex peccato et ad peccatum inclinet, peccatum vocatur, et præterea significat peccatum cum concupiscentia produci etiam in prole. *Ergo* recte concupiscentia est significatio peccati originalis quod parentes contraxerant, et quod proles contrahet.

PARS II. *Nulla ratione causa efficiens est.*

ARG. 1. Causa efficiens illa est, sine qua effectus non existeret. *Atqui* si per accidens ille ardor concupiscentiæ deesset, nihilominus proles haberet peccatum, quia ab Adamo descendit. *Ergo.*

Præterea, si quis crearetur cum concupiscentia, proles a tali homine creata *non* haberet peccatum originale. *Ergo* concupiscentiæ ardor non est causa efficiens peccati.

Accedit quod, si ardor concupiscentiæ esset causa efficax, ubi ille ardor magis vel minus existeret, ibi esset et peccatum in altero productum magis vel minus. *Atqui* hoc absurdum, quum omnes idem attrahant in se peccatum. *Ergo.*

Arg. 2. Secundum S. Script. et Ecclesiæ doctrinam ratio peccati orig. est transfusio naturæ peccatricis; *ergo* non concupiscentia. Transfunditur enim natura peccatrix *generationis actu*, sive adest concupiscentia sive non.

Coroll. *Ergo* patet responsum ad verba S. Augustini. 1) Est enim concupiscentiæ ardor causa non efficiens sed significans quod in parentibus est, et causa prænuntians, quod in prole futurum est; ejusmodi autem signa prænuntiantia, quæ aliqua ratione cum causâ ipsâ effectum producente conjuncta sunt tanquam manifestativa effectus, possunt lato quodam sensu dici causa effectus.

2) Præterea, multis in locis docet per generationem tantum transmitti naturam peccatricem. (De Verb. Apost. serm. 14. n. 15.): "Secundum propaginem carnis eramus in Adam." — (In Op. imp. l. 4. n. 105.): "Propter originem seminis . . . secundum quam omnes ab illo erant." — (De Civ. Dei l. 13. c. 14.): "Erat in Adam natura seminalis, ex qua propagaremur, etc."

Quæritur quomodo anima a Deo creetur, num ut peccatrix an sine peccato?

R. Duo momenta non secundum tempus sed secundum naturam sunt distinguenda: prius momentum, in quo entitas animæ tantum spectatur. In hoc momento non habet peccatum, sed quasi præcisive se habet, i. e., nec est in statu peccati nec in statu innocentiæ; quia status respicit totum hominem, anima vero est adhuc in destinatione ad hominem ideoque etiam ad statum illum in quo homo erit. In secundo momento conjungitur cum corpore, et fit aliquod unum intrans in statum peccati, i. e., totum illud jungit se secundum naturalia, cui deberent etiam accedere supernaturalia tanquam patrimonium viæ. Sed non accedunt, — hinc status privationis debitæ supernaturalis. Hinc si comparatio adhibetur vasculi (i. e., corporis), in quod intrans anima vitiatur, seu gemmæ cadentis in lutum, hinc ex luto obscuratæ, non intelligitur, quasi ex corpore aliquid transiret in animam eamque obscuraret, sed quod per conjunctionem cum corpore ille terminus constituitur, qui generatione intenditur et efficitur.

Coroll. Ex omnibus igitur patet, Adamum esse causam primam, alios causas intermedias; Adamum induxisse et propagasse, alios propagasse velut causas instrumentales.

ARTICULUS X.

DE EFFECTIBUS PECCATI ORIGINALIS.

1. Duplex Pelagianos inter et Catholicos agitabatur quæstio: *a*) Num miseriæ humanæ præsertim concupiscentia mala sit? *b*) Num hæc mala orta sint ex peccato?—S. Aug. (libris contra Julian.) Pelagianos *patronos, defensores, fautores* et *laudatores libidinis impudentissimos* passim vocat;— *ergo* ipsis concupiscentia non erat malum. — In lib. de Dono Persever. (c. 11. n. 27.) dicit S. Aug.: "Ignorantiam et difficultatem, sine quibus nullus homo nascitur primordia non supplicia (dicebant Pelagiani) esse naturæ."—Est vero prima illa quæstio satis tractata in præcedentibus, præsertim in tractatu de natura integra et beatitudine status paradisici.

2. Mala ex peccato originali orta sunt vel *interna*, i. e., in anima, in potentiis animæ, in corpore; vel *externa*, i. e., ex parte diaboli, hominum, etc.

a) *In anima* est privatio justitiæ originalis. Quæritur vero, num hæc privatio sit pœna? *Resp.* Respectu infantium, qui nascuntur in peccato originali, non est pœna sed culpa; respectu Adami potest dici pœna, quia pœna est pro patre videre posteros ex suo peccato infelices. Est igitur in anima *reatus culpæ*, i. e., obligatio ferendi odium divinum, —et *reatus pœnæ*, i. e., damni in altera vita.

b) *Quoad potentias animi.* S. Thom. (1–2. q. 85. a. 3.):

"Per justitiam originalem perfecte ratio continebat inferiores animæ vires; et ipsa ratio a Deo perficiebatur ei subjecta .... Et ideo [propter peccatum originale] omnes vires animæ remanent quodammodo destitutæ proprio ordine, quo naturaliter ordinantur ad virtutem; et ipsa destitutio *vulneratio naturæ* dicitur. Sunt autem quatuor potentiæ animæ, quæ possunt esse subjecta virtutum ut supra (q. 74.) dictum est, scilicet ratio, in qua est prudentia; voluntas, in qua est justitia; irascibilis, in qua est fortitudo; concupiscibilis, in qua est temperantia. In quantum ergo ratio destituitur suo ordine ad verum, est vulnus *ignorantiæ;* in quantum vero voluntas destituitur ordine ad bonum, vulnus *malitiæ;* in quantum vero irascibilis destituitur suo ordine ad arduum, est vulnus *infirmitatis;* in quantum vero concupiscentia destituitur ordine ad delectabile moderatum ratione, est vulnus *concupiscentiæ.*"

c) *Quoad corpus* mala sunt: mors, morbi, dolores,—difficultas et labor ad vitam necessarius.

d) *Quoad mala externa*: Ira et indignatio divina; captivitas et servitus sub diabolo; crudelitas hominum; rebellio bestiarum; quidquid a cœlo, terra, mari, aere, etc., in hominem cadere potest.

e) Accedit quod ipsa terra, natura tota, ferat maledictum Dei: "Maledicta terra *in opere tuo*, seu secund. Hebr. *propter te*" Gen. iii. 17.;— hinc "omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc." Rom. viii. 22.

3. Quum hæc mala esse ex peccatis facile constet, tum ex comparatione status hujus naturæ lapsæ cum statu naturæ integræ, tum ex defi-

nitione Conc. Araus. II. (c. 1.): "Per offensum prævaricationis Adæ totum hominem, i. e., secundum corpus et animam, in deterius fuisse commutatum"—quæ verba repetit Conc. Trid. (sess. 5. can. 1.); quæritur quomodo dicatur (Glossa, quæ Venerab. Bedæ tribuitur) "*homo spoliatus est gratuitis, et vulneratus in naturalibus.*" (Juxta parab. Luc. x., S. Aug. l. de Nat. et Grat. c. 19., et de Civ. Dei, l. 22. c. 22.)

PROPOSITIO XXXIV.

Commutatio illa naturæ in deterius (Conc. Araus. II. can. 1. et Trid. sess. 5. can. 1.), *quæ "vulneratio naturæ" quoque vocatur, recte reponitur in privatione gratiæ sanctificantis, quæ est velut vestis et ornatus animæ, et in subtractione donorum præternaturalium.*

St. Q. Reformatores docent, dona justitiæ originalis esse dona naturalia, ideoque naturam per privationem eorum donorum fuisse vulneratam in naturalibus.

Arg. 1. *Ex Patribus.* Parabolam (Luc. x.) de eo, qui incidit in latrones, ita PP. [Ambros., Beda, Theophyl., S. Basil., S. Aug., (l. 2. Quæst. Evang. q. 19.), S. Bernard. (serm. 1. de Annunt.)] exponunt secundum Bellarm. (de Grat. Prim. Hom. c. 6.), ut dicant, non prius fuisse vulneratum et dein spoliatum, sed prius spoliatum et dein vulneratum, ut indicaretur, genus humanum (sub figura illius miseri hominis expressum) per peccatum originale spoliatum donis justitiæ, etc., et hac ratione vulneratum. *Ergo* vulneratio naturæ est in ipsa spoliatione.

Cfrm. S. Prosper (cont. Collat. c. 9.): "Natura humana in prima prævaricatione nec substantiam amisit nec voluntatem, sed lumen et decorem virtutum, quibus fraude invidentis exuta est."—*Ergo* nihil ex naturalibus amisit, sed ea tantum, quæ naturæ superaddita erant.

Arg. 2. S. Thom. (1. q. 95. a. 1.): "Manifestum est autem, quod illa subjectio corporis ad animam et inferiorum virium ad rationem non erat naturalis; alioquin post peccatum mansisset, quum etiam in dæmonibus data naturalia post peccatum permanserint, ut dicit Dionysius (de Div. Nom. c. 4. part. 4. lect. 19.)." *Ergo* 1.—ille ordo subjectionis positivus virium sub ratione non erat naturalis; 2.—"secus mansisset," *quia naturalia manserunt* in quantum naturalia erant.

N. B. Nec dici potest, mansisse naturalia secundum genus τοῦ *esse, vivere, intelligere,* (ut S. Thom. 1–2. q. 85. a. 1. ad 1.), quia illo loco S.

Thom. expresse agit de ordine et subjectione omnium virium, ut ante peccatum erat; peccato autem periit.

Arg. 3. S. Thom. (de Malo, q. 5. a. 2.): "Quod detrimentum, inquit, aliquod patiatur aliqua persona in his, quæ sunt supra naturam, potest contingere vel ex vitio naturæ, vel ex vitio personæ; quod autem detrimentum patiatur in his, quæ sunt naturæ, hoc non videtur posse contingere nisi propter vitium proprium personæ."

Ergo si cui personæ datur natura, datur etiam id, ad quod natura jus habet tam secundum esse quam secundum agere. Jam vero persona propria, utpote sola domina suæ naturæ cum exclusione alterius personæ creatæ, habet jus in suam naturam et integritatem suæ naturæ. *Ergo* ipsa sola potest perdere suam naturam et jura suæ naturæ.

Cfrm. Principium acceptum: "Homo per peccatum originale vulneratus est in naturalibus" debet conciliari cum alio principio æque accepto: "Naturalia manserunt integra." *Atqui* alia ratione conciliari nequit, nisi ut dicatur ratione spoliationis donorum innocentiæ fuisse vulneratus. *Ergo.*

Coroll. Ergo patet, hominem, si comparetur sicut nunc est secum, ut futurus fuisset in statu naturæ innocentis, posse dici *relative* magnopere conversum in deterius; patet præterea, si comparetur secum, qualis futurus fuisset in statu naturæ puræ, si abstrahatur a privatione gratiæ sanctificantis, non esse in deterius mutatum, seu non esse infra illum statum, quum nihil in naturalibus sit destructum, Deus vero possit aliquem in solis naturalibus (excepto semper statu peccati) creare. Nihilominus propter rei gravitatem:

PROPOSITIO XXXV.

Si homo in natura lapsa comparetur secum, ut posset esse in statu naturæ puræ, non est quoad naturalia inferior, ita ut nec quoad interna neque quoad externa possit dici infirmior.

St. Q. 1. In statu naturæ puræ haberet Deum ut finem naturalem tantum, in statu vero naturæ lapsæ habet Deum ut finem supernaturalem, sed non ratione ipsius naturæ, sed ratione elevationis, quam perdidit.

2. Non consideramus hominem in natura lapsa, sicut peccatis ac-

tualibus factus est; vel secundum ea, quæ ex peccatis actualibus aliorum, parentum, etc., sive nativitate sive instructione etc. contraxerit, sed solum secundum ea, quæ habet ex solo peccato originali.

Arg. 1. Ex propositione præcedente patet, nihil in naturalibus fuisse per peccatum originale destructum. *Atqui* potest Deus hominem in puris naturalibus et integris creare. *Ergo* potuisset Deus hominem in statu illo naturalium, in quo per peccatum est, excepto peccato, creare; ideoque inter statum naturæ puræ et statum naturæ lapsæ, si tantum considerantur naturalia, non est discrimen.

Arg. 2. Si qua esset diminutio in naturalibus, hæc aut esset ab *intrinseco* aut ab *extrinseco*. *Atqui* ex neutra parte venit. *Ergo*.

Prob. min. 1. *Non ab intrinseco.*

Intrinseca enim diminutio esset vel *a*) *per subtractionem* alicujus physicæ facultatis; sed hoc impossibile, quum physicæ facultates animæ sint indivisibiles quia spirituales, hinc nihil ex illis subtrahi potest; nec possunt fieri remissiores, quia facultates necessario ex animæ substantia evolvuntur ideoque semper totæ—seu tantum, quantum fieri potest. *Ergo*. Nec potest dici fuisse aliqua forma intrinsece superaddita, qua subtracta, fuisset debilior facta anima, quia in statu naturæ puræ tantum naturalia adsunt. *Ergo* per subtractionem diminui natura non potest. Vel *b*) *per additionem* alicujus qualitatis ad malum inclinantis. Sed neque hoc dici potest, nam hæc gratis asseritur. Præterea esset qualitas aliqua physica, hinc *morbida*, quæ supra exclusa est; nec vero intelligitur, quomodo physica qualitas ad meram privationem impellere et eam producere possit, quum physica qualitas semper physicum quid producere debeat. *Ergo* neque per subtractionem neque per additionem diminui anima et ita vulnerata esse potest in naturalibus.

2. *Neque ab extrinseco.*

Nam ideo posset ab extrinseco esse diminuta, quia causæ extrinsecæ essent in statu naturæ lapsæ, quæ non essent in statu naturæ puræ, idque tum ex parte hominum malorum tum ex parte diaboli. *Atqui* etiam in natura pura possunt existere mali homines; diabolus vero etiam in illo statu tentare potest, quia potuit tentare etiam in statu naturæ innocentis; et præterea nexus quidam est inter homines et angelos naturalis, quia in scala entium superiores nectuntur gradus cum inferioribus.

Ergo externæ causæ ad malum incitantes existerent eædem etiam in statu naturæ puræ.

Cfrm. Mors et morbus est vulnus corporis. *Atqui* fuissent mors et morbus etiam in natura pura. *Ergo* sub hoc respectu nulla differentia est quoad naturalia corporis inter utrumque statum. *Ergo* a pari, si anima ex peccato dicitur vulnerata, potest tamen esse eadem, ac futura fuisset in statu naturæ puræ.

Coroll. 1. *Ergo* neque liberum arbitrium potest dici debilitatum, si comparatur cum statu naturæ puræ.

Coroll. 2. *Ergo* si comparatur homo in statu lapsus cum homine, qui incidit in latrones (Luc. x.) et *semivivus relictus* fuit, potest sustineri comparatio optime, si homo gratia sanctificante, hinc nobiliori vita, spoliatus concipitur.

Coroll. 3. Est igitur status naturæ puræ et status naturæ lapsæ materialiter idem, formaliter differt secundum reatum peccati; quare optime dicitur uterque status differre, quod unus dicatur *nudus* alter *nudatus*. –

Obj. 1. Dicitur homo vulneratus in naturalibus; *atqui* naturalia non possunt intelligi vel supernaturalia vel præternaturalia. *Ergo*. *R. Nego min.* Præternaturalia vocabantur *naturalia*, quia naturam perficiebant.

Obj. 2. S. Thom. (1–2. q. 85. a. 1.) docet naturalem inclinationem hominis ad virtutem minui per peccatum. *Ergo*. — *R.* Loquitur S. Thom. de peccato actuali; hoc enim gignit habitum per repetitionem actus, qui habitus per sese tendit in objectum bonum in se, malum vero relate ad totum hominem. Non vero intelligitur, quomodo uno actu possit talis produci habitus. – Accedit quod ipse S. Thom. (1–2. q. 85. a. 3.) dicit: "Ipsa destitutio (justitiæ orig.) *vulneratio naturæ* dicitur."

De Effectu Peccati Originalis relate ad Finem— seu de pœna pro altero mundo.

In præcedentibus agendum erat de natura in se; nunc de natura relate ad finem.

PROPOSITIO XXXVI.

Quamvis in peccato Adami utpote personali contineatur aversio a Deo ut fine supernaturali et naturali, in peccato tamen originali posterorum Adami recte dicitur a P. Suarez. (de Vitiis et Peccat. disp. 9. sect. 2. n. 21.) *contineri tantum aversio a Deo ut fine supernaturali, non vero ut fine naturali.*

St. Q. 1. Duplex finis: supernaturalis et naturalis, ita tamen ut homo habeat vel unum vel alium disjunctive, non vero utrumque simul.

2. Nec ita concipiendus finis est, ut Deus destinet ad finem supernaturalem conditionate—i. e., si tu vis; vel ita, si tu hunc finem non assequeris, alterum habebis. Esset enim conditionate quidem, nihilominus formaliter, uterque propositus; quod admitti nequit.

3. Hinc si asseritur, in peccato originali transmisso non contineri aversionem *a fine naturali*, qui non fuit propositus ut finis, intelligitur, finem naturalem manere *materialiter*.

Pars I. *In Adami peccato actuali et personali continetur aversio simpliciter a Deo possidendo vel supernaturaliter vel naturaliter.*

Arg. Adam commisit actualiter peccatum mortale. *Atqui* tale peccatum destruit simpliciter *omne jus* possidendi Deum, quia continet non tantum aversionem a Deo, sed et conversionem ad creaturas, quas peccator Deo præfert. *Ergo.*

Pars II. *In peccato originali non continetur aversio a fine naturali.*

Arg. 1. *Ex Suaresio* (de Vitiis et Peccat. disp. 9. sect. 2. n. 21.): "Infero peccatum originale in essentia sua non includere aversionem a Deo fine ultimo naturæ, sed solum, ut est finis ultimus gratiæ. Quod patet ex dictis, quia peccatum hoc non privat aliqua perfectione naturali; conversio autem ad Deum, ut finem naturæ, naturalis est." *Ergo.*

Arg. 2. Tota ratio peccati originalis in posteris consistit in privatione gratiæ sanctificantis seu vitæ supernaturalis. *Atqui* vita supernaturalis habet Deum ut finem supernaturalem. *Ergo* tota ratio peccati originalis consistit et absolvitur eo, quod destructa sit vita ad Deum ut finem supernat. tendens; hinc consistit in aversione (culpabili) a Deo ut fine supernaturali *Ergo* nulla aversio a Deo ut fine naturæ.

Arg. 3. Ex præcedente thesi patet, in peccato originali manere naturalia integra—hinc et jura naturalia. *Atqui* inter jura naturalia est et jus ad finem naturalem; habent enim naturalia jus ad complementum naturale; complementum autem naturale est finis. *Ergo.*

Arg. 4. Non tamen manet finis naturalis formaliter. Formalis finis ille est, qui activitati formaliter ut assequendus proponitur, et ad quem media formaliter ducunt, seu cum quo media etiam formaliter conveniunt. *Atqui* activitati totius generis humani formaliter Deus ut finis supernaturalis proponitur, et media ad illum finem supernaturalia sunt; quæ media vel secundum actum, vel secundum destinationem ipsis competunt. *Ergo* non manet finis naturalis ut formalis.

Arg. 5. Manet ut materialis, si manet ut terminus naturæ materialiter consideratæ, et ut debitum naturæ—seu ut complementum aliquod materiale naturæ; omnis enim natura creata habet finem, seu bonum suum ultimum non in se sed extra se. Potest vero loco hujus boni ultimi ut assequendum proponi idem bonum sub *forma eminentiori;* id tamen non impedit, quominus naturalia bona *materialiter* postulent etiam terminum naturalem ut materialiter complentem naturam. *Atqui* persona tantum propria habet jus in suam naturam materialiter consideratam, et hinc personali tantum actu potest hoc jus naturæ destruere in finem naturæ ultimum; peccatum autem originale non est actus personalis. *Ergo* in peccato originali manet finis naturæ materialiter.

PROPOSITIO XXXVII.

Ex propositione præcedente patet infantulis in peccato originali decedentibus manere finem naturæ materialiter, ita ut eam felicitatem, quam habituri fuissent in statu naturæ puræ vi destinationis formalis, nunc habeant vi juris in natura materiali fundati.

St. Q. 1. Propter rei gravitatem ponitur hæc nova propositio, quæ non est nisi major evolutio thesis præcedentis.

2. Parvulos sine baptismo decedentes non frui Deo ut fine supernaturali, seu excludi a cœlo, *est de fide;* dicit apud S. Joan. (iii. 5.) Christ. D.: "Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei." Accedit epist. Innoc. I. ad Milevitan. Patres, an. 417, qua S. Pontif. idem clare expressit; præterea definitum fuit Concil. Trid. (sess. 5. can. 4.).

3. Quæritur ergo, qualis sit status horum infantulorum, qui non peccaverunt personaliter? Variæ sententiæ.

a) Vincentius quidam apud S. Aug. (de Anima et ejus Origine l. 1. c. 9. et l. 3. c. 13.) parvulis, mortuis in peccato originali, beatitudinem concedendam docuit. Hanc sententiam Zwinglius ut *probabilem* docuit pro filiis infidelium, ut certam pro filiis fidelium asseruit; pro filiis fidelium hanc sententiam docuerunt Calvinus, Bucerus, aliique. *Est contra fidem.*

b) Alii e contra docent beatitudinem aliquam naturalem infantibus illis futuram esse, ita ut naturaliter cognoscerent Deum et gauderent in amore Dei. Illam sententiam tribuunt Wirceburg. (t. 4. p. 1. n. 134.) Catharino, Pighio, Savonarolæ, quibus addit Teissonier (de Deo Creat., in fine quæst. 3.) Cardinalem Sfondrati in opere: "*Nodus Prædestinationis dissolutus.*" Contra opus hoc Bossuet cum aliis quatuor Galliæ episcopis postulatum ad Innocent. XII., S. Pont., dederunt (an. 1697.), ut censuram infligeret; utpote quod "*a veritate exorbitasset.*" Nulla tamen censura dignum esse opus inventum est.

c) Alii censent, nullam beatitudinem infantulis futuram, sed e contra damnatum eos iri ad infernum, ubi et pœnis sensitivis *igni*, etc., cruciandi sint. Pro hac sententia citantur a Wirceb. (tom. 4. p. 1. art. 3. n. 139.) ex Patribus lat. Hieron., Avit., Fulgent., Greg. M., Isid.,—præterea, Anselmus; S. August. dubius erat. Post sæc. XII., secundum eosdem, quibus consentit Teisson. (loc. cit.), negarunt cruciatus Mag. Sent., S. Thom., S. Bonavent., Scotus, generatim Scholastici.

d) Nos contendimus: *α*) Nullos cruciatus futuros infantulis. *β*) Nullam tristitiam ex privatione visionis intuitivæ. *γ*) Sed eamdem naturalem beatitudinem (materialiter), quæ futurus fuisset finis in statu naturæ puræ; ita ut hæc sententia conveniat cum sententia sub *b*. relata.

α) *Nullus cruciatus* ex igne.

Arg. 1. Innoc. III. (l. 3. Decret. tit. 42. c. 3. *Majores de bapt.*) postquam accurate distinxit contra hæreticos peccatum *originale* et *actuale*, ita pergit: "Pœna originalis peccati est carentia visionis Dei, actualis vero pœna peccati est gehennæ perpetuæ cruciatus." — Unde ita: S. Pontif. postquam accurate distinxit utrumque peccatum et utriusque peccati indolem, accurate etiam indicare vult pœnam, quod ad cognoscendam peccati indolem pertinet. *Atqui* negat ullum cruciatum in inferno pro peccato originali. *Ergo.*

Arg. 2. Apoc. xviii. 7.: "Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum."—Unde ita: Apost. tanquam fundamentum et mensuram tormentorum ponit glorificationem propriam et delicias. *Ergo* ubi nulla fuit glorificatio, nullæ deliciæ, ibi nullum quoque tormentum. Ita etiam argumentatur ex hoc loco S. Thom. (ad loc. cit.).

Arg. 3. Secundum S. Thom. (de Malo, q. 5. a. 2.) pœna sensibilis

opponitur—*a)* integritati naturæ; *b)* conversioni ad sensibilia; *c)* peccato actuali, —quia nemo propter habitum vel dispositionem ad furandum puniri potest, sed propter actuale furtum, licet possint, qui ad mala inclinant, rejici ab aliqua dignitate. *Atqui a)* natura mansit in statu naturæ lapsæ integra; *b)* conversio ad sensibilia (quamvis concupiscentia sensu aliquo toto ita dici possit) stricto sensu non erat, sicut nec aversio a Deo ut fine naturali; *c)* peccatum ipsum non est actuale. *Ergo* nulla pœna sensus.

β) Nulla tristitia ex pœna damni seu exclusionis a cœlo.

N. B. Aliqui Theologi concedunt tristitiam parvulis, ut Bellarm. (de Amiss. Grat. et Stat. Pecc. l. 6. c. 6.), atque ita explicat S. Aug., qui pœnas parvulis mitissimas esse docet. Nihilominus major pars Theol. rejicit hanc sent.; ut S. Thom., S. Bonav., Suarez, Lessius, etc.

Arg. 1. Si infantuli sentirent dolorem, esset ille dolor vel ob reatum culpæ, quæ exstingui nunquam posset; vel ob reatum pœnæ, i. e., amissionis vitæ æternæ. *Atqui* neuter dolor admitti potest: non prior, quia esset vermis conscientiæ et desperatio; non alter, quia dolor de *tanto* bono amisso esset maximus; uterque autem esset pœna sensibilis, quæ rejicienda est. *Ergo.*

Arg. 2. Ratio recta non patitur, ut dolor sit de bono, cujus assecutio non erat in hominis potestate. *Ergo.*

Arg. 3. S. Thom. (de Malo, q. 5. a. 3.) concludit ex verbis Apost. (I. Cor. ii. 9.): "*Nec oculus vidit, nec auris audivit . . . . sed nobis revelavit Deus*"—"Et ideo se privari tali bono [quod præparavit Deus in cœlis] animæ puerorum non cognoscunt; et propter hoc non dolent; sed hoc, quod per naturam habent, sine dolore possident." *Aliis verbis:* Se esse destinatos ad finem supernaturalem, et hinc ad cœlum, animæ illæ tantum ex fide scire possunt. *Atqui* fides in tali statu non est. *Ergo.*

γ) Habent naturalem beatitudinem.

Nota 1. Pelagiani docebant, esse quidem infantulos illos in regno cœlorum, in consortio Christi et sanctorum, non autem videre Deum; negabant præterea statum illum esse statum pœnæ damni, i. e., docebant liberum esse statum a morte peccati; quæ doctrina damnata fuit a S. Augustino.

2. Parvuli illi non sunt assecuti finem suum, sed in statu damnationis. Hæc vero damnatio utpote privatio regni cœlorum, non impedit

quominus naturaliter beati esse possint. Hinc si sunt filii iræ, odii Dei, in servitute diaboli, sunt tales sub respectu supernaturali, non sub respectu naturali = hinc nulla servitus sub diabolo secundum naturalia.

Arg. 1. S. Thom. (de Malo, q. 5. a. 3. ad 4.) docet pueros non baptizatos separatos esse a Deo "secundum conjunctionem gloriæ, non secundum participationem naturalium bonorum," quæ cognoscunt; et (in 2. sent. dist. 33. q. 2. a. 2. ad 5.) docet pueros illos Deo conjunctos per participationem naturalium bonorum: "et ita etiam de ipso gaudere poterunt, naturali cognitione et dilectione."

Quoad corpora. S. Thom. distinguit impassibilitatem ab intra ex glorificatione animæ,—hæc est in sanctis; et impassibilitatem ab extra, quæ est in pueris; probatque hanc: Non alius est influxus ab extra nisi *influxus punitivus* ab extra. *Atqui* talis influxus deest in pueris istis. *Ergo* sunt impassibiles ab extra;—hinc nulla corruptio, quia in termino nulla mors, nullus morbus.

Arg. 2. Omnia naturalia sunt integra; *ergo* et in termino talis erit status, qualis convenit naturæ tali. — Præterea, finis naturalis mansit; *ergo* in termino erit finis naturalis ut possessus. *Atqui* ex fine adepto felicitas; *ergo* et in termino felicitas, quæ respondet fini. *Atqui* felicitas non per activitatem propriam acquisita; *ergo* talis erit, quæ respondet naturæ secundum jus, quod naturæ manet.

Objectio. In vita altera major pœna, quam in vita hac. *Atqui* in hac vita est pœna sensibilis. *Ergo* et in altera vita.

R. Dist. Maj. Si pœna est ex vera justitia divina *C.;* si sequitur pœna ex eo, quod natura est orbata illis quæ præternaturaliter perficiebant naturam *N.*

Expl. Postquam erant præternaturalia subtracta propter exstinctionem gratiæ sanctif.,—natura ipsa, quatenus sibi relicta, erat sibi pœna. In altera vita autem pœna est ex justitia Dei. Sed justitia agit propter peccatum actuale. Quando igitur excluditur puer talis a cœlo, excluditur propter indignitatem personæ non propter peccatum actuale. Accedit, quod ratio voluntarii in peccato originali est minima, minor quam in peccato veniali. Quomodo igitur Deus posset tam severe pueros illos punire?

PROPOSITIO XXXVIII.

Peccatum originale nullatenus pugnat cum justitia vel alio attributo divino.

St. Q. Wegscheiderus (Instit. Theol. Christ. § 117.) dicit: "Nec *benignitas* Dei concedere potest, ut per unius hominis peccatum universa hominum natura corrumpatur et depravetur; nec *sapientia* pati, ut opus ab initio præstantissimis instructum dotibus, paulo post ob causam levissimam in plane aliam deterioremque conditionem transformetur; nec *justitia* Dei admittit, ut innocentes ob peccatum alienum eo puniantur, quod ipsis necessitas peccandi imponatur."

Arg. 1. *Non est contra justitiam.* Per peccatum originale homo privatur tantum supernaturalibus, hinc indebitis. *Atqui* Deus non est injustus, si non dat indebita et præsertim tunc, si postquam dedit, homo nihilominus ea libere rejecit. *Ergo.*

Præterea, homo mansit integer in naturalibus. *Atqui* ad naturalia tantum habet homo jus. *Ergo* ad quæ homo habet jus, ea dedit Deus.

Coroll. Ergo supponunt auctores principium protestanticum, bona supernaturalia pertinere ex sese ad naturam; præterea, confundunt peccatum actuale et peccatum originale seu habitudinis, et pœnam damni propter indignitatem naturæ cum pœna sensus, i. e., cruciatus per ignem propter peccatum personale.

Arg. 2. *Non est contra sapientiam.* Nam sapientiæ est, proponere finem aptum et media apta ad finem. *Atqui* ita egit Deus; nam proposuit finem supernaturalem, dedit media supernaturalia, non destruxit liberum arbitrium, ut per usum liberum posset homo mercedem adipisci. *Ergo.*—Ac profecto non egit Deus contra sapientiam, si se proposuit ut *mercedem*, et homini consequenter usum liberi arbitrii concessit.

Arg. 3. *Non est contra benignitatem.* Deus enim bene vult omnibus—*a*) existentiam largiendo, et constituendo eos in statu imaginis vivæ sui ipsius; *b*) bene voluit elevando, et post elevationem amissam relinquendo eos in statu naturæ; *c*) bene voluit eos reparando redemptione Filii proprii, ut adeo imago sua viva ad antiquum splendorem redeat; *d*) bene voluit, ipsas miserias reddendo meritorias, si homines velint.

Obj. 1. (Julian. cont. Aug.) Non peccat iste, qui nascitur; non ille, qui genuit; non Deus, qui condidit: per quas igitur rimas tot inter præsidia peccatum ingreditur?

Resp. S. Aug. (de Nupt. et Conc. l. 2. c. 28.): "Quid quærit latentem rimam, quum habeat apertissimam januam [peccatum Adæ]?" Hinc negatur suppositum, esse peccatum actuale; est enim peccatum status peccaminosus, in quo est natura, quam attrahit homo.

Obj. 2. Peccatum definitur actio vel omissio libera contra legem Dei. *Atqui* infantuli non poterant agere vel omittere quidquam contra legem Dei. *Ergo.—R. Dist. Maj.* Peccatum actuale *C.*, peccatum originale. *N.* (vide respons. ad *obj.* 1.)

Obj. 3. Neque potest peccare per voluntatem alienam. *Ergo.*

R. Dist. Ant. Actualiter *C.*; contrahere peccatum alterius illa ratione, qua in illo fuit, quum peccaret *N.*

Obj. 4. Peccatum dum contrahitur, debet posse caveri. *Atqui* peccatum originale non potest caveri. *Ergo.*

R. Dist. Maj. Ad evitandum peccatum actuale, si contrahitur peccatum originale *C.;* ad contrahendum peccatum via generationis *N.* — *Expl.* Si esset electio data, utrum quis vellet attrahere statum peccati originalis nec ne, peccaret, si statum illum eligeret; si vero per generationem attrahit illum statum, non peccat in attrahendo statum illum, sed ponitur in illo statu per suam naturam.

Obj. 5. Omne peccatum, etiam originale, est in anima. *Atqui* anima immediate a Deo creatur. *Ergo* Deus crearet animam in peccato, —quod repugnat.

R. Dist. Maj. In anima ut præcise creata *N.;* in anima ut est forma et juncta cum corpore in terminum completum, quem intendit generatio *C.*

Obj. 6. Saltem parentes Christiani non possunt transmittere peccatum originale. Nam nemo transmittit, quod non habet; *atqui* parentes fideles non habent peccatum originale. *Ergo.*

R. Dist. Maj. Si parentes fideles vere et sensu proprio essent causa efficiens *C.;* si sunt causa quasi intermedia transmittendi quod acceperunt, secundum ordinationem divinam, qua *omnes* homines sunt peccatores ex Adam *N.*—*Expl.* a) Non enim faciunt naturam, sed communicant naturam; hinc si natura sit corrupta, communicant naturam corruptam. b) Præterea, parentes pro filiis non sunt caput naturæ ut Adam pro genere humano. Secus possent et ipsi in sua linea efficere peccatum originale; transmittere justitiam originalem, etc. c) Accedit, quod peccatum tollitur tantum per gratiam sanctificantem superadditam. Hanc autem parentes licet ab originali peccato mundati in generatione dare non possunt; posset enim evenire, ut parentes, licet baptizati, essent in statu peccati mortalis et producerent gratiam sanctificantem; *ergo* transmittunt naturam privatam gratia sanctificante; estque talis privatio peccatum originale, quia etiam natura ab illis parentibus transmissa est destinata ad finem supernaturalem. Si enim infidelium infantuli sunt baptizandi, quia finem habent supernaturalem, certe et fidelium filii habent hunc finem. d) Generatim, de ordine supernaturali ratiocinandum est secundum positivam voluntatem divinam, et leges a Deo latas et revelatas.

Obj. 7. I. Cor. vii. 14.: "Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem; et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem; alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt." *Ergo* docet Apost. filios talis matrimonii fidelis esse sanctos.

R. Dist. Ant. Agit Apost. de sanctitate interna, quasi uxor fidelis posset peccatum originale et actuale viri infidelis delere *N.;* agit de sanctitate externa et legitimitate conjugii in foro publico *C.*—Ideo enim monet virum illum et uxorem illam ut simul maneant. Intendit etiam Apost., ut pars fidelis alteram partem infidelem convertat et ita sanctificet. Idem de filiis dicendum, qui tantum tunc æquales considerantur *filiis fidelium*, hinc ut legitimi in Ecclesia; præterea, in hoc tantum casu educationem habebunt Christianam, baptismum curabunt parentes, etc.

ARTICULUS XI.

DE PRIVILEGIO EXCEPTIONIS A LEGE PECCATI ORIGINALIS — SEU DE CONCEPTIONE IMMACULATA B. V. M.

I.

Nota 1. In generatione hominis duo momenta distinguuntur: *prius* activum—generatio activa, i. e., conjunctio seminis in unum principium; *alterum*, informatio ex parte animæ creatæ — generatio passiva. Hæc informatio fit secundum aliquos tunc tantum, si fœtus ita est organizatus ut posset animam tanquam formam suscipere; secundum alios immediate, quando ex utroque semine unum principium formatum est.

2. Eo momento, ubi anima conjungitur cum corpore in unum totale vivum, contrahitur ab homine peccatum originale, quia in eo momento ponitur natura humana completa. Eodem autem momento B. Virgo, per privilegium speciale, intuitu meritorum filii sui, exstitit immunis a peccato originali et gratia sanctificante ornata.

Expl. *Ergo* non *antea* anima B. Virg. fuit ornata justitia supernat., et tunc cum corpore conjuncta—nisi sumantur duo momenta *natura* distincta, ut supra dictum de anima indifferente ad statum utrumque (vid. scholium de conjunct. animæ cum corpore); neque *post* conjunctionem cum corpore,—tunc enim sanctificaretur, postquam contraxisset peccatum originale. Agitur ergo de primo momento conceptionis, in quo alii contrahunt peccatum. Num vero generatio passiva fiat continuo vel post organizationem fœtus, ad quæstionem hanc indifferens est.

II.

De Historia hujus Doctrinæ.

1. Quæstio hæc agitata in scholis (Latinis) jam fuit sæc. XIII.; aliis concedentibus B. Virg. sanctificatam vel primo momento *post* conceptionem (passivam), vel saltem ante nativitatem; aliis vero, inter quos imprimis Duns Scotus (1305), docentibus B. Virg. omnino a peccato originali fuisse præservatam. Plures SS. Pontifices Decreta et Constitutiones ediderunt de eadem quæstione: Sixtus IV. (an. 1483) Constit. "*Grave nimis*" (Extravag. Comm. l. 3. tit. 12.); Pius V. (an. 1570): "*Super speculam;*" Paulus V. (an. 1616): "*Regis pacifici;*" Gregor. XV. (an. 1622., 24. Maji): "*Sanctissimus;*" et (die 28. Jul. ejusdem anni): "*Eximii;*" Alexander VII. (an. 1661) edidit decretum, cui titulus: "*S. D. N. Alexandri VII. Innovatio Constitutionum et Decretorum in favorem sententiæ asserentis, animam B. Virginis in sui creatione et in corpus infusione a peccato originali præservatam fuisse, editorum.*"

2. Initio SS. Pontif. sub gravissimis pœnis prohibuerunt quominus sententia affirmans Immac. Concept. diceretur hæretica, ideo quod festum hoc celebraretur ab Ecclesia Rom., id quod magnam probabilita-

tem afferret huic sententiæ; sed prohibebatur etiam, ne sententia *negans* damnaretur, ideo quod Ecclesia rem non definierit. Dein sub Sixto et Pio, SS. PP., permissum fuit utrique parti privatim et publice sententiam suam defendere.—Paul. IV. interdixit parti neganti, suam sententiam publice defendere. — Gregor. XV. et Alex. VII. altum silentium parti *neganti* imposuit, quamvis Gregor. in secunda sua Constit. PP. Dominicanis permiserit, privatim — non cum aliis, sed inter sese — de hac quæstione disserere. — Denique Alex. VII. vetuit sub gravissimis pœnis ac censuris, quominus hæc doctrina quovis excogitabili modo sub quocumque prætextu impugnaretur.

3. Ut SS. Pontifices, ita et Academiæ per decursum temporum doctrinam magis evolverunt. Universitas Parisiensis, versus finem XIV. sæculi, condemnavit Joannem de Montson et alios quosdam, negantes Immac. Concept., quique ideo vocabantur Maculistæ.

Pius IX. (an. 1854.) definivit ut dogma.

Tractatus de Immaculata Conceptione in duas partes dividitur:

I. Statuitur factum exemptionis a peccato originali.

II. Inquiritur nexus hujus facti cum redemptione Christi Domini.

I. DE FACTO.

PROPOSITIO XXXIX.

Nihil est in Scriptura S. quod huic doctrinæ de Immaculata Conceptione B. Virginis obsit; imo solidum aliquod fundamentum est in textu Genes. iii. 14. 15., *quo suadeatur; quodsi idem textus sumitur, ut est in intellectu Ecclesiæ, hanc doctrinam cum certitudine probat.*

Pars I. *Negativa—nihil est, quod obstet.*

Arg. S. Scriptura hoc privilegium B. Virginis non negat, neque in particulari affirmans contrarium, nec generali aliqua locutione excludens. *Ergo.*

Prob. Ant. Nullum esse textum in particulari contra hanc doctrinam patet, quia de B. Virgine paucis tantum locis in particulari sermo est, nec unquam sub respectu peccati.*—Agitur ergo de locutione generali; sed neque has esse contra Immacul. Conceptionem patet:

* Quod enim dicitur Joan. ii. 4.: "Et dicit ei Jesus (in nuptiis Cananæis): "Quid mihi et tibi est, mulier? nondum venit hora mea" — non indicat peccasse B. Virg. ut *perperam* S. Chrysost. (ad loc. illum) dicit: "Volebat Maria seipsam clariorem facere per filium"—hinc vanitate peccasset. Verba enim B. Virg.: "Vinum non habent" hoc nullatenus exprimunt.—Si verba Christi duriora videntur, *nobis* videntur, *non erant* illo tempore secundum morem et locutionem gentis. —Præterea, Christus ostendere voluit, se jam matrem reliquisse propter Deum. — Reapsi potius xt- peccaret (qd nefas dice) loqdo durius. — Præterea fecit miraculum.

1. Locutiones generales, quæ affirmant omnes homines *actualiter* peccare, admittunt exceptionem illam quod B. Virgo nunquam actualiter peccavit. *Ergo* a pari locutiones generales, quibus leges continentur generales pro transmittendo peccati originalis possunt talem exceptionem B. Virginis admittere.

Ad Anteced. II. Paralip. vi. 36.: "Neque enim est homo, qui non peccet;"—Jacob. iii. 2.: "In multis offendimus omnes," etc., non obstant quin sine peccato *ullo* actuali fuisse dicatur B. V., ut dicit Trident. (sess. 6. c. 23.): "Si quis hominem semel justificatum dixerit posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia—anathema sit."

Præterea, ideo Ecclesia ipsi applicavit speciali modo verba Cantic. xv.: "Tota pulchra es, Maria, et macula non est in te"—et alia hujusmodi. Rationibus confirmatur: †S. Thom. (p. 3. q. 27. a. 4.)—quia, ut mater Dei, habebat gratias convenientes matri ad cohabitandum, educandum, etc.; quia parentum honor, etc., redundat in prolem, quam possident tanquam partem quasi suam, imaginem suam; quia singularem affinitatem habuit ad Christum—carnem de carne sua; quia Christus singulari modo in ea habitavit non solum in anima, sed et in utero.

2. In specie de legibus general. *peccati originalis.*

Rom. v. 12. (item Rom. iii. 23.; II. Cor. v. 14.; I. Cor. xv. 22.; Ps. L. 7.; Job xiv. 4.) docemur: "*omnes* in Adam peccasse"—omnes peccatores constitutos—in omnes mortem propter peccatum transiisse. *Atqui* hoc verbum *omnes* potest vel *nullam* admittere vel aliquam restrictionem ex natura rei et subjecta materia. *Ergo.*

Prob. min. Nullam admittit, v. g., Joan. i. 3.: "*omnia* per ipsum facta sunt;" Rom. xiv. 10.: "*omnes* stabimus ante tribunal Christi."

Admittit restrictionem, v. g, Esth. xv. 13.: "Non pro te, sed pro *omnibus* hæc lex facta est;" I. Cor. i. 5.: "Gratias ago Deo meo . . . quod in *omnibus* divites facti estis in illo, in *omni* verbo, et in *omni* scientia;"—Rom. xi. 26.: (In fine mundi) . . . "donec plenitudo gentium intraret et sic *omnis* Israel salvus fieret" (profecto multi non salvabuntur, Cf. I. Thess. ii. 15.); Actus ii. 5.: "Erant autem in Jerusalem habitantes Judæi, viri religiosi ex *omni* natione, quæ sub cœlo est;" Act. x. 11–12.: "In quo [linteo] erant *omnia* quadrupédia et serpentia terræ et volatilia cœli."*

Inprimis vero, "*omnes*" non stricte sumitur quoad Christum: in omnes mors pertransit, quia omnes in Adam peccaverunt; *atqui* et in Christum transiit mors licet non peccaverit in Adam. *Ergo.*

Dicit præterea, Trident. (sess. 5. in fine decreti de Pecc. Orig.): "De-

* Comparari potest Gen. ii. 20.: "Appellavit Adam nominibus suis cuncta animantia, et universa volatilia cœli et omnes bestias terræ." Certe non omnes, sensu stricto; quia ne tempus quidem habebat, quum ante creationem Evæ id fecisset.

clarat tamen hæc ipsa sancta synodus, non esse suæ intentionis, comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam et immaculatam Virginem Mariam Dei genitricem."—*Atqui* Concil. voluit eandem doctrinam et eadem latitudine de peccato originali tradere, quam Apostolus tradidit (Rom. v. 12.). *Ergo* quum Concilium expresse declaret, se non velle sub universalitate decreti comprehendere B. Virg., supponendum est, nec Apostolum voluisse eam sub universalitate suæ doctrinæ comprehendere.

PARS II. *Positiva—solidum fundamentum hujus doctrinæ.*

Gen. iii. 15.: "Inimicitias ponam inter te et mulierem; et semen tuum et semen illius; ipsa conteret caput tuum et tu insidiaberis calcaneo ejus."

1. Explicatio textus secundum sensum literalem.

a) Rationalistæ, qui non rejiciunt totam relationem tanquam mythum, non considerant judicium hoc latum in diabolum, sed tantum in serpentem, ita ut sensus sit: mulier conabitur deinceps serpenti pede suo conculcare caput, et serpens conabitur ex sua parte mordēre per insidias calcàneum mulieris; atque hæc erit inimicitia constans inter genus humanum et genus serpentinum.—*R.* Admitti potest aliqua ratione, non plane, ut sensus literalis, ita tamen, ut significetur verum judicium latum in diabolum.

b) *Verus sensus literalis.*

Quatuor distinguuntur partes, inter quas ponitur immediate a Deo inimicitia: *serpens, mulier, semen serpentis* et *semen mulieris.* Quæritur ergo, quisnam sit serpens? quænam mulier? quodnam utriusque semen?

Duplex sententia: *Prior* tenet sensu literali est serpens naturalis, semen est naturale, mulier est Eva, semen ejus est ejus progenies, inimicitia est persecutio mutua; sed hunc sensum ponit ut *typum*, ita ut serpens sit typus diaboli; semen serpentis sit progenies hominum malorum, qui ex diabolo sunt; Eva sit typus B. Virg.; ejus semen sit Christus vel solus vel simul cum fidelibus; inimicitiæ denique sint completæ et integræ, ita ut nullo momento fuerit in potestate diaboli. *Altera* sententia tenet, in sensu literali serpentem esse diabolum, etc., mulierem esse B. Virginem, quæ vel *ipsa* vel per filium suum (*ipse*) contritura sit caput diaboli.

Nos tenemus, solidam esse rationem, qua suadeatur sensu *literali* designari B. Virg.; certum vero esse, per mulierem in sensu typico intelligi B. Virginem.

1. Sensu literali.*

* Sensus *literalis* est verborum *proprie* acceptorum immediata acceptatio, v. g., furtum non facies.

Sensus *metaphoricus* est verborum *figurate* acceptorum immediata significatio, vere tamen intentus sensus; unde ab aliquibus vocatur sensus literalis mediatus, v. g., "Si oculus scandalizate, erue eum et projice abs te" Matth. v. 29.

Huc pertinet sensus secundum typum et antitypum, v. g., Is. xiv., casus Lucif.—casus regis Babylonis; Ezechiel xxviii., casus Cherub — casus regis Tyri. — Simili modo hoc loco Deus maledicit serpenti, et maledicit diabolo in eo contento (secundum aliquos).

Illud sumitur in sensu literali, quod *immediate, proxime* et *per se* auctor exprimere voluit. *Atqui* cum *magna probabilitate* teneri potest, voluisse auctorem intelligere in serpente ipsum *diabolum;* in muliere immediate B. Virginem; in semine mulieris Dominum N. *Ergo.*

Prob. min. a) In serpente intelligit diabolum (non serpentem.)

Voluit Deus omnes actores hujus actionis perniciosæ judicare, nec censendum est, voluisse Deum omittere eum, qui caput esset. *Atqui* inter actores et quidem ut caput erat diabolus seductor. *Ergo.*—Præterea, si serpentem naturalem damnat, qui fuit tantum instrumentum diaboli; si seductos damnat: mirum, si Deus omitteret auctorem totius actus.—Accedit, quod Deus infelices protoparentes consolari voluit ostendens spem redemptionis;—hæc vero est in inimicitia creanda inter diabolum et genus humanum. Jam vero diabolus ex serpente immediate egit in Evam; *ergo* censendus est Deus voluisse etiam immediate diabolum judicare, ita ut Deus non serpentem sed diabolum immediate significaret.*

b) Mulier intelligitur *B. Virgo.*

Mulier potest intelligi vel mulier in genere, vel Eva, vel B. Virgo. *Atqui* non intelligitur mulier in genere, quia oppositio serpentis non est ad mulieres tantum sed ad homines; non intelligitur Eva, nam si promissio sit in se obscura debet dijudicari ex executione. *Atqui* non apparet, ubi illa oppositio inter Evam et serpentem executioni fuerit mandata; præterea, in serpente directe dijudicatur diabolus (ut sub *a*); *ergo* videtur intelligi B. Virgo.

c) Ex his patet Filium B. Virginis intelligi, qui contriturus sit caput serpentis ejusque seminis,—ita ut vel solus hic intelligatur, vel ut caput collectionis fidelium.— Præterea, is hic intelligitur, qui perfecte caput diaboli contrivit. *Atqui* perfecte contrivit Christus Dominus. *Ergo.*

Unde argumentum:

In hoc textu, qui merito Protoevangelium vocatur, Deus promittit se inimicitiam positurum inter diabolum et B. Virginem. *Atqui* hæc inimicitia ponenda est a primo momento existentiæ, ita ut nunquam fuerit sub potestate diaboli,—hinc prorsus immaculata. *Ergo.*

* Fuisse diabolum tentatorem patet:

a) Ex loquela et ratiocinatione serpentis.

b) Ex Script. S. — Vet. Test., Sap. ii. 22–24.: "Invidia diaboli mors." N. Test., Joan. viii. 44.: "Diabolus homicida ab initio." Cf. Matth. iii. 7., xxiii. 33. Apoc. xii. 19.: "draco magnus;" Ap. xx. 2.: "serpens antiquus;" Rom. xvi. 20.: "Conterat Deus Satanam sub pedibus vestris velociter."

c) In traditione Rabbinica vocatur Satan *Sammael, serpens antiquus.* (vid. Eisenmenger, *Entdecktes Judenthum,* t. 1. p. 822.)

d) Ex traditione pagana. — Liber sacer Persarum, Avesta Persarum, teste Rosenmull. (in hunc loc.) narrat *Ahrimanum,* summum dæmonem, *serpentis specie* primos homines ad peccandum induxisse. — Idem, ut notat de Harlez (Avesta t. 1. p. 89. edit. 1.), primos homines propter peccatum venisse in potestatem serpentis. In Brahmanismo dæmones repræsentantur sub figura serpentum; infernus eorum dicitur *Nagalokas,* i. e., *mundus serpentum.* (Cf. Corluy, Spicil. t. 1. 354. seqq.)

Prob. min. 1. Promittitur inimicitia futura simpliciter; *ergo* non prius amicitia et dein inimicitia.

2. Ponitur inimicitia sub eodem respectu, sub quo contraxerat cum Eva amicitiam,—hinc sub respectu primi peccati, et sub eo respectu, sub quo fuit seductor. *Ergo* jam sub respectu primi peccati et seductionis primæ oppositio promittitur,—hinc quoad peccatum originale.

3. Promittitur eadem inimicitia, quæ est inter semen mulieris et diabolum et semen ejus. *Ergo* eadem, quæ est inter Christum Dominum et inter diabolum. *Atqui* hæc fuit completa; *ergo* et prior. Neque dici potest æquiparari B. Virgo Christo Dno., quia licet æquiparetur aliqua ratione quoad effectum, non tamen æquiparatur quoad causam; simili etiam modo fratres Christi, i. e., fideles, æquiparantur sub *aliquo respectu* Christo.

4. Duæ statuuntur acies: dæmon cum suo semine, mulier cum suo. *Atqui* non esset perfecta acies secunda, si mulier jam fuisset in potestate diaboli. *Ergo.*

Coroll. *Ergo* ubicumque mulier ibi et Christus, ubicumque Christus ibi et mulier in oppositione et pugna cum dæmone.

Arg. 2. Etiam aliqui Patres exponunt sensum literalem. Irenæus (Hær. iii. 28.): "Quoadusque venit semen prædestinatum calcare caput ejus, quod fuit partus Mariæ." — Epiph. (Hær. iii. 78. 18. 19.): "Plane et perfecte ad illam Hevam accommodari universa nequeunt; sed in sanctissima stirpe, quæ a sola Virgine Maria .... propagata est, reipsa ac penitus impletur."—Proclus (Orat. in Nat. Dom. 16.) inducit Satanam omne genus insidiarum struentem B. Virgini, quam opponit Evæ.—Hieron. (Epist. de Viro Perf. 6.): "Aliud semen mulieris nullum accipio, nisi illud, quod Apostolus ait factum ex muliere ... Mater itaque Domini N. Jesu Christi in illa jam tunc muliere promissa est."—Fulb. Carnot. (Sermo 4. in Nat. B. V.): "Hæc [sanctarum sancta] est illa mulier, ad quam divinum illud intendebat oraculum ....; hanc singulariter intimabat."—Item S. Bernard. (hom. 2. super "*Missus est*"), Isidor. Pelusiota (Ep. i. 426.).—Ita multi quoque interpretes, ut Smits, Passaglia, Bade, Patrizzi. Cf. Corluy (t. 1. de Protoevang. p. 365.)

Ergo solida est ratio, qua suadetur, literali sensu designari per mulierem B. Virginem; hoc vero assumpto, sequitur argumentum pro reliqua parte ut supra.

Pars iii. *Si textus typice sumitur, vel ut generatim intelligitur in Ecclesia, argumentum certum exhibet.*

Arg. Quis sensus typicus sit debet constare vel ex Script. S. (v. g., Oseas xi.: "Ex Ægypto vocavi filium meum"— intelligitur literaliter de populo Israelitico, typice de Christo Domino), vel ex PP. et Ecclesia. *Atqui* licet ex S. Script. non satis appareat, tamen PP. intelligunt in sensu typico B. Virg. *Ergo.*

Prob. min. 1. (Cf. Corluy, de Protoevang. 369. tom. 1.)

PP. mirabili consensu proponunt Evam ut typum B. Virg. tum respectu similitudinis tum respectu oppositionis. S. Irenæus (Cf. Passagl. tom. p. 480., etc.) inter plura momenta, quæ de doctrina hujus textus exposuit, hæc etiam habet: "Sicut Eva habens virum, tamen adhuc virgo inobediens Deo facta toti generi humano nocuit, ita B. Virgo habens prædestinatum virum et tamen virgo est sibi et toti generi humano facta causa salutis. Nodus inobedientiæ Evæ est solutus obedientia Mariæ." *Ergo* S. Irenæus generatim concipit Evam ut typum quemdam B. Virg.

Simili modo Tertull. (de Carne Christi c. 17. p. 326.): "Hæ antitheses [inter Evam et Mariam, Adam et Christum] inquit Philippus Priorius (in adnotat. ad Tert. de Carne Ch.), non insolentes sunt Patribus; Evam in Mariam transfusam dixit Bernardus; Sergius Hieropolita (de Natali Virginis) dixit illam esse ἀνάκλησιν τῆς Εὔας, *revocationem* (*reparationem*) *Evæ*. — Gregor. Neocæs. (Orat. in Deipar. Annunt. pp. 10. 29. . . .) Passagl. loc. cit.—Zeno Veron. (l. 1. tract. de Fide . . . p. 24.): "tu Evam in Mariam redintegrasti." —Epiphan. (adv. hæres. l. 3 pp. 1050.). — S. Chrysost. (hom. in triumph. Christi resurg.): "Pro Eva Maria; pro ligno scientiæ lignum crucis."— S. Cyrill. Alexand. (hom. in Natal. Christi pp. 899.), etc.

2. Ecclesia hunc typum exprimit in liturgia de B. Virg., in qua repetit Patrum dicta. Jam vero lex orandi est lex credendi. *Ergo.* Præterea, in Vulgata ex sæc. VI. habetur pronom. *ipsa* conteret caput, quod plurimi deinceps ad B. Virg. transtulerunt. Denique, in Bulla "*Ineffabilis*" (vide in Breviario Rom., pars hiem., lectio 6. diei 14. Dec.) ubi textus explicatur.

Ergo tum ex Patribus tum ex usu Ecclesiæ constat textum illum viguisse in intellectu Ecclesiæ ut applicatum B. Virgini.

(1) Confirmatur ex eo quod Vaticinium Messianic. in hoc textu exhibebetur,* quia ex hoc promisso Adam et Eva aliique deinceps fidem in redemptorem ceperunt; quia Christus seipsum victorem diaboli proclamavit (Joan. xii. 31., xiv. 20.); quia, quum in inimicitiis illis promissis designetur regnum gratiæ et regnum peccati, Christus proclamatur "*Agnus Dei*, qui tollit peccata mundi" Joan. i. 29.; quia regnum gratiæ per Christum destruit regnum peccati (Rom. v. 12–21., I. Joan. iii. 4–9.). *Ergo* executio illius Vaticinii cum allusione ad ipsa verba in eo usurpata describitur in Script. Sacra.

(2) Confirmatur ex alio textu S. Scripturæ. Luc. i. 28.:

"*Ave gratia plena*, benedicta tu in mulieribus."

Unde ita: *a*) Gratia hoc loco significat pulchritudinem spiritualem (κεχαριτωμένη), gratia plena excludit maculam. *Atqui* esset tamen

* Simili modo explicant Rabbini; v. g., Targum Hierosolymitanum: "Et erit, quando filii mulieris attendunt legem . . . conabuntur calcare te super caput . . . . . verumtamen filiis mulieris erit remedium; tibi, serpens, *non* erit remedium." *Ergo* referunt ad oppositionem inter bonum et peccatum. — Simili modo Pseudo-Jonathan explicat inimicitias inter mulierem et serpentem, etc., per observationem legis— ergo spiritualis inimicitia; remedium contra morsum serpentis est "*in diebus Messiæ*." Onkelos subobscure idem: "Ipse [filius mulieris] erit reminiscens tui quod fecisti ei ab initio, et tu [serpens] eris observans eum in finem." Cf. Corluy (l. c.)

aliqua macula, neque esset plenitudo gratiæ, si prius fuisset inimica Dei, ita ut venia et condonatio offensæ debuerit præcedere. *Ergo.* Favor enim, quo rex ex inimico facit amicum, nunquam exstinguit *factum* prioris inimicitiæ, in quo est aliqua diminutio favoris.

b) *Benedicta* inter mulieres (omnes), — *ergo* etiam benedicta præ Eva. *Atqui* hæc benedictio est ex parte gratiæ, non ex parte maternitatis, quæ postea annuntiatur, et quæ pendet ab ejus assensu. *Ergo* habet tantam gratiam, ut præ Eva sit benedicta. *Atqui* non posset præ Eva esse benedicta, si in ipsa fuisset maledicta. *Ergo.*

PROPOSITIO XL.

Quod S. Scriptura suadet, hoc clare *omnino continetur in traditione et sensu Ecclesiæ — B. Virginem in sua conceptione fuisse immaculatam.*

St. Q. 1. Fuit hæc doctrina per temporum decursum obscurata quidem, nunquam tamen defecit; potuitque hoc fieri eo facilius, quod, ut docet historia Ecclesiastica, prius reprimendæ hæreses erant, quæ vel Deum vel humanitatem Christi impugnarent, ac B. Virginis veram maternitatem; Christi dein actionem in Ecclesiam per gratias, fidem, etc. His igitur omnibus contra hæreticos et in sese bene statutis, magis ad alia, i. e., B. Virginem et S. Josephum, etc., mens conversa fuit. Atque ita facile intelligitur, quomodo fieri potuerit, ut minus excoleretur doctrina de B. Virgine, potueritque hæc insignis doctrina virtualiter magis, quam formaliter et explicite vigere in intellectu Ecclesiæ.

2. Distinguimus doctrinam Patrum et sensum Ecclesiæ per alios doctores, etc, manifestatum.

Arg. 1. P. Suarez (tom. 2. in 3. p. disp. 3. sect. 5.) dividit Patrum testimonia in quatuor classes: 1ª. eos recenset, qui expresse docent B. Virg. conceptam sine labe; 2ª. eos, qui generali modo *omnia* peccata removent a B. Virgine; 3ª. qui *puritatem* extollentes *æquivalenter* removent peccat. orig.; 4ª. eos, qui omnem gratiam aliis collatam perfectiori modo in B. Virgine esse docent.

1. *Classis.*

(Ex Act. B. Andreæ, apost. apud Galland.): "Quoniam ex *immaculata* terra creatus fuerat primus homo, necesse erat ut ex *immaculata* virgine nasceretur perfectus homo, Filius Dei." (Hæc leguntur in epist. presbyt. Achaiæ, quæ nunc ut authentica habetur.) *Ergo* ut ex terra in

creatione immaculata primus homo, ita ex Virgine in conceptione immaculata Filius Dei.

Origen. (Hom. 1. in divers.): "Audite, quod virgo in utero accipiet; non ex desiderio partum concipiens, quæ neque *persuasione serpentis decepta* est, *neque ejus afflatibus venenosis* infecta." — Andreas Cretens. (Orat. de Nat. B. V.) dicit: "universali fermento non esse fermentatam." — Joan. Damasc. (Hom. I. in Nat. B. Virg.) docet: "Quoniam futurum erat, ut Dei Genitrix Virgo ex Anna nasceretur, natura gratiæ germen antevertere non ausa est; sed mansit fructus expers, dum gratia fructum ederet."

S. Aug. (de quinque Hæres. c. 50.), Manichæis contra nativit. Christi ex femina tanquam impurum objicientibus, Christum ipsum respondentem inducit: "Si potui inquinari, quum eam facerem, potui in illa inquinari, quum ex ea nascerer." In præcedentibus dixerat, B. Virg. esse matrem suam, sed a sua propria manu formatam, hinc se fuisse *matrem* ejus, ex qua nasci debebat. Laurent. Justin. (l. de casto connub. Verbi et anim. c. 7.): "Quotquot ex ipsa nati sunt propagine, exceptis dumtaxat mediatore Christo Jesu et ejus Matre, sub hac peccati lege sunt conditi."

2. *Classis.*

S. Ambros. (Serm. 22. in Ps. cxviii.): "Virgo ab omni integra labe peccati." — Sophron. Episc. (ep. Synod.) "*ab omni contagione liberam*" vocat B. V. — Liturg. S. Chrys.: "Omni respectu a peccato immunis." — Georg. Metrop. Nicom. (Orat. de Nativ. Deip.): "Formosa per naturam, in quam macula cadere non potest." — S. Aug. (de Nat. et Grat. c. 39.): "Excepta itaque S. Virgine, de qua propter honorem Domini, nullam prorsus, quum de peccato agitur, haberi volo quæstionem."

3. *Classis.*

Joan. Damasc. (Hom. in Annunt. B. V.): "Solam puram solamque sine macula." — Eccl. Græca (14. Dec.): "Nunquam a Deo sejunctam, semperque beatam ac virgam semper virentem." — Theod. (l. 3. in Cantic.): "Puritate Cherubim et Seraphim antecellentem." — S. Ephr. (in Orat. ad Deipar., opp. Græc. Sat. t. 3. p. 528. edit. Assemani): "totam puram, totam immaculatam, totam illibatam, totam impollutam, totam irreprehensibilem, totam laudabilem, totam incorruptam." — PP. Conc. Francofort. (in Ep. ad Episcop. Hispan.): "immaculatam prorsusque puram."

4. *Classis.*

Theod. Hierosolym. (in Ep. synod., a Patribus Conc. Œcum. VII. act. 3. approbata): "Omnis intelligibilis ac sensibilis naturæ gloriâ et claritate sublimiorem et omni sensibili et intellectuali natura puriorem." Vide (ap. Suarez) Irenæum, Cyrillum, August. Epiphan., etc.

Arg. 2. Ex sensu Ecclesiæ. (Cf. Petav. 1. l. 14. c. 2.)

a) Festivitas Immac. Concept. primo inducta est apud Græcos, celebrata 9. Dec. simul cum festo S. Annæ. (Cf. Typicum S. Sabæ ex rec. Joan. Damasc. Menolog. Em. Comneni Nov. M. t. 133. p. 656.) — In Anglia exeunte sæc. XI. — Anno 1140 Canonici Lugdunenses quidam, unde ad eos epistola S. Bernardi (de qua post). Anno 1175 vetuit celebrationem hujus festi Mauritius, episc. Parisiensis. Nihilominus paucos annos post fuit celebratum fere per totam Europam. Franciscani præscri-

pserunt festum pro ordine suo Pisæ 1263. (Cf. Hergenrœther, H. Eccl. tom. 1. p. 984. et tom. 3. p. 322.) *Atqui* non potest Ecclesia permittere, ut aliquid, quod per se erroneum et falsum est, ita celebretur, quum lex orandi sit lex credendi. *Ergo.*

b) De summis Pontificibus vide supra "historica introductio."

Præterea, ordo institutus est in honorem Immac. Concept., approbatus a Julio II., Leone X., Alexandro VII, in cujus regula tertia dicitur: "animam Virginis a primo instanti creationis fuisse sanctam." Quodsi alii Pontifices quandoque minus videbantur favere, ratio sola erat disciplinaris, quia alii quandoque proprio marte nimio ardore progressi sunt.

c) *Omnes ordines* (excepto forsan ordine Dominicanorum, in quo tamen ipso multi in favorem erant), omnes Universitates hanc de Immaculata Conceptione doctrinam defendisse, patet ex historia. (Cf. Nicolas de B. Virgine Maria, tom. 2. de Immacul. Concept.).

d) Accedit, quod propriæ quædam formulæ inventæ sunt ad extollendam sanctitatem B. Virginis; apud Græcos—*πρωαγιασμός, præsanctificatio* (relate ad concept immac.), *παναγία, ὑπεραγία ἡ ἁγία, ἡ ἱερά* (cum articulo), etc. (Hergenrœther, Photius t. 3. p. 555.); ad quæ accedunt figuræ, etc., ex S. Script. ut Cant. ii. 2.: "Sicut lilium inter spinas;" iv. 7.: "Tota pulchra es, et macula non est in te;" iv. 12.: "Hortus *conclusus*, fons *signatus*."* ie serpens nung/ pott. introire,

e) Ex Conciliis denique doctrina firmatur. Concil. Basileense (sess. 36.) statuit B. Virg. semper fuisse immunem ab omni originali et actuali culpa. Quæ verba non propter Concilii auctoritatem (quia hoc Concilium non habet auctoritatem Concilii (Ecumenici) sed propter illos magnos doctores, qui definitionem confecerunt; propter Acad. Parisiens., quæ suis alumnis solemni juramento in perpetuum doctrinam illam tenendam proposuit; propterea quoque, quod nullum Concil. posterius, nullus Pontifex posterior, hanc doctrinam reprobavit, valde conspicua sunt. Quod Concil. Trident. (sess. 5.) eandem doctrinam implicite proposuit vide supra. Notandum vero: Quamvis hoc decretum desit in multis editionibus Concil. Trident. ante an. 1564. tamen omnino genuinum est, ut patet ex historia Concilii, etc. Voluit Concil. definire Immacul. Concept., abstinuit tamen ob preces instantissimas paucorum Episcoporum et doctorum Dominicanorum. (Inter Dominic. et Thomist. erant pro doctrina Dominic. Soto, Vincent. Ferrar., Bossuet.—

* 1. Imo Muhametani hanc doctrinam confessi sunt. Nam Coran. (l. 3. v. 37.): "Angeli dicebant, Deus te elegit, exemptam te reddidit ab omni sorde; elegit te inter omnes mulieres mundi." (Collect. du Panthéon littéraire par Didot. Livres sacrés de l'orient.).— Hossain-Vaez docet, secundum Coranum non nasci infantem, quem non tetigerit diabolus .... nec fuisse nisi Mariam et Filium ejus, qui ab hoc contactu diaboli fuerint præservati. "(Michaud, Biographie Univers. au mot Marie).— Patriarcha Babylonis (occasione definition. Immac. Conc.) dicit: "Doctorem Nuai Mohametanum docere: 'In omni genere humano nulla est creatura, quæ non fuerit vulnerata per dæmonem, excepta Maria et filio ejus.'" (Cf. Nicol. de B. V. t. 2. de Conc. Imm.)

2. *Lutherus* (circ. Evang. festi Concept. Mariæ): "Justum et dignum erat, Mariam fuisse præservatam a peccato originali, quia Filius Dei debebat ab illa sumere carnem, quæ debebat vincere omnia peccata."

3. Jacob. Bœhme (Incarnat. Christi p. 1. c. 9. n. 18–19.) docet, Deum substantiam B. Virg. conservasse immaculatam, quamvis Adam peccarit; esseque hanc rationem, cur non subierit corruptionem in sepulchro. Cf. Klee (tom. 1–2. de Creatione c. 3. n. 26. in fine.)

Præpositi Dominic. petebant a S. Pontif. Gregor. XVI. 1843. ut festum Immac. Concept. suo ordini concederetur cum præfatione; "Et te in Conceptione Immaculata B. M. Virginis."). Denique Pius IX., 8. Dec. 1854. definivit: "*doctrinam, quæ tenet beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suæ Conceptionis fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Jesu Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpæ labe præservatam immunem, esse a Deo revelatam atque ideirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam.*"

Scholium *de S. Bernardo et S. Thoma.*

S. Bernard. epistolam (173. aut 174., ann. 1140.) dedit ad canonicos Lugdunenses, dicens: "Miramur satis, quod visum fuerit quibusdam vestrum voluisse mutare colorem optimum, novam inducendo celebritatem, quam ritus Ecclesiæ nescit, *non probat ratio, non commendat antiqua traditio.*" Contendit dein hac doctrina tolli discrimen inter redemptorem et redemptos; eadem ratione debere etiam *parentes* Beatissimæ Virginis exemptos a peccato originali esse. Terminat suam epist.: "Romanæ præsertim Ecclesiæ auctoritati atque examini totum hoc sicut et cetera quæ ejusmodi sunt universa reservo." *

Resp. Festum nativitatis B. Virg. eadem ratione postea inductum fuit, sicut et alia festa; *ergo* licuit et hoc festum inducere. —Non probat, quod discrimen tollatur inter redemptorem et redemptos, quia B. Virgo immaculata fuit "*intuitu meritorum Christi;*" nec altera valet ratio, quia filius matri a qua sumpsit carnem, alio modo nectitur, ac parentibus matris. Denique, illud ad quod in fine provocat S. Bernard. nunc factum est, quum Ecclesia doctrinam definierit.

De S. Thoma res dubia est, quum (p. 3. q. 27. a. 2.) doctrinam impugnat, sed (in 1. sent. dist. 44. q. 1. a. 3.) eam defendat.

PROPOSITIO XLI.

Quod Ecclesia docet, id ratio quoque confirmat.

Arg. Potuit Deus B. V. a peccato originali servare; decuit eum servare. *Ergo* servavit.

Antec. probandum quoad incisum *decuit.*

a) Pius IX. (Breviar. Rom. 9. Dec. lect. 5.): "Decebat omnino ut perfectissimæ sanctitatis splendoribus semper ornata fulgeret." *N. B.* Si Scotus (in 3. dist. 3. p. 7.) simili modo arguit, tamen probabilem tantum doctrinam admittit. Cf. Wirzeb. (t. 4. p. 1. de Immac. Conc. a. 3. ex ratione.)

* Voluerunt aliqui, ut Anton. Raim. Pasqual, Abbas Cistere. (Palmæ Majoricæ 1783., Mens S. Bernardi de Immac. Concept.) probare non esse genuinam epist. Item A. Ballerini (De S. Bernardi script. circa Deiparæ V. Concept. dissert. histor. crit. Rom. 1856.) genuinam esse negat, sed eam adscribit Nicolao de Claravalle (de Clairvaux), qui fuisset notus falsificator. Major tamen pars Theolog. eam ut genuinam habet.

b) Convenit, Deum id non negare matri, quod dedit creaturis aliis— angelis et Evæ. Quis enim filius daret alteri plus quam matri? *Atqui* ... *Ergo.*

c) Filius debet profecto matrem defendere præsertim ab inimico, qualis diabolus est. *Atqui. Ergo.* — Quodsi diabolus voluisset B. Virg. in suam servitutem redigere, quo tempore Christus in utero ejus gestabatur, certe Christus eum repulisset maxima vi. *Ergo* a pari.

d) Sanguis Christi, qui habet vim, ut purget nos a peccato originali, habet etiam vim, ut præveniat. *Atqui* si non exercuisset saltem semel hanc vim in B. Virgine, fuisset inanis illa vis. *Ergo.*

e) Sicut Christus ut Deus habuit Patrem in cœlis, cui ex natura omne peccatum repugnat; ita decet eum ut hominem habere matrem, cui ex gratia omne peccatum repugnat.

f) Quis rex, quando palatium sibi ædificat, admittit prius suum inimicum, ut sordibus illud impleat; ita ut debeat illud purgare pro adventu suo? A pari quomodo Deus templum suum B. Virg. ædificaret, ita ut admitteret prius diabolum.

g) Qualis tristitia B. Virginis, si fuisset aliquando *odio* Filio suo! Qualis victoria, quale gaudium diaboli, fuisse Christum natum ex muliere, quæ fuisset aliquando serva diaboli! Reginam angelorum fuisse aliquando sibi subditam, quum tamen angeli nunquam subditi illi fuissent eumque expulsissent ex cœlo! Qualis denique tristitia ex hoc ipsis angelis!

II. DE DEBITO.

Nota: 1. Debitum est necessitas vel dandi vel patiendi. Fundamentum hujus necessitatis est lex, vel naturalis vel positiva.

2. Debitum igitur B. Virginis fuit necessitas contrahendi peccatum originale.

PROPOSITIO XLII.

B. Virgo habuit debitum aliquod contrahendi peccat. originale.

Arg. Alexand. VII. (in Constit. n. 121. vid. supr.) docet: "B. Virginem fuisse speciali Dei gratia, intuitu meritorum Christi, a macula peccati originalis præservatam." *Ergo* sine his meritis debuisset pec-

catum originale subire. Idem repetit Pius IX. in Bulla definitionis "*Ineffabilis Deus.*"

Simili modo in oratione: "qui ex morte ejusdem Filii tui prævisa eam ab omni labe præservasti." *Atqui* lex orandi, lex credendi. *Ergo.*

Coroll. 1. *Ergo* lex redemptionis suo modo etiam B. Virgini applicatur.

Coroll. 2. *Ergo* etiam multa Patrum dicta, v. g., Mariam a Christo purgatam, mundatam, etc., possunt optime ita explicari.

PROPOSITIO XLIII.

Probabilius tenetur, B. Virginem, quamvis ab Adamo descenderet sicut alii, non tamen fuisse in Adamo inclusam, in quantum caput naturæ a Deo fuerit constitutus, — ideoque non habuisse debitum proximum peccati originalis.

St. Q. 1. Duo in B. Virg. distinguenda: Fuit *filia Adæ;* fuit *mater Dei:* sub priori respectu debuisset contrahere peccatum originale; sub altero vero fuit exempta.

2. Quæritur vero, quo usque fuerit liberata a peccato, num ita ut in Adamo inclusa peccarit, sed in momento conceptionis Deus gratia usus sit, ut non contraheret peccatum;— quod vocatur *debitum proximum:* an ita ut ne peccarit quidem in Adamo ideo, quod non fuerit inclusa in Adamo tanquam capite naturæ? Debuisset autem includi quia descendebat ab Adamo; — hoc debitum vocatur *debitum remotum* peccati originalis. In priori casu redemptio Christi impedivisset executionem, non inclusionem; in altero casu impedivisset ipsam inclusionem.

3. Contraxisse B. Virg. debitum peccati originalis tenent Suarez (de Vitiis et Peccat., disp. 9. sect. 4. n. 10. 11.; et in 3. p. vol. 2. disp. 5. sect. 2.), Bellarminus, Vasquez, etc.; alteram sententiam tenent Salmeron, Thyrsus Gonzalez, Wirceburg.,—recentiores communius. Hanc nos defendimus.

Arg. 1. Nihil neque ex Scriptura S. neque ex Ecclesiæ auctoritativis documentis obstat, quin dicatur B. Virgo contraxisse tantum debitum remotum peccati originalis. *Ergo.*

Prob. Ant. 1. Textus Script. S., quibus asseritur omnes in Adamo mortuos in Christo vivificandos, admittunt, ut supra probatum, exceptionem; et si quid probarent, probarent etiam contra ipsam conceptionem immaculatam. *Ergo.*—Ac profecto, si prima Eva non fuit inclusa in Adamo tanquam capite, hinc nec mortua in Adamo, licet fuerit redempta per Christum propter actuale peccatum, — non intelligitur,

cur secunda Eva non potuerit habere privilegium non-inclusionis, et habere redemptionem, qualis sibi conveniebat.

2. Ecclesiæ documenta requirunt aliquam redemptionem, ut patet ex prop. præced. *Atqui* ad id sufficit redemptio a necessitate inclusionis. *Ergo.*—Accedit, quod vis præservativa redemptionis Christi Domini multo magis ostenditur, si ab inclusione matrem suam præservavit. *Ergo.*

Arg. 2. *Positive.*

a) Si B. Virgo contraxisset debitum proximum peccati originalis seu privationis gratiæ sanctificantis, vere in Adamo fuisset mortua, et fuisset condonatum peccatum ex meritis Christi. *Atqui* omnes textus ex S. Scriptura, omnes figuræ applicatæ B. Virgini ab Ecclesia, omnia documenta Ecclesiæ ideo negant B. Virginem contraxisse peccatum originale quia negant B. Virginem peccasse in Adamo. *Ergo.*

b) Titulus, propter quem a peccato originali fuerit exempta est titulus maternitatis. *Atqui* idem titulus postulat, ut non peccaverit in Adamo; redundaret enim hæc ignominia in Filium, qui potuisset eam servare, nec voluisset. *Ergo.*

c) Est assumptum in Ecclesia principium ex S. Anselmo, decuisse B. Virginem tanta *nitere* puritate, ut *major sub Deo intelligi non* posset. *Atqui* posset major cogitari si contraxisset peccatum quoad debitum proximum. *Ergo.* Ac profecto esset semper aliqua macula in sanctitate B. V., esset aliqua victoria diaboli, etc.,—quæ profecto admitti nequeunt.—*N. B.* Agitur de sanctitate specifice sumpta; potuisset enim, quatenus ornamentum animæ, semper crescere.

d) Non convenit, B. Virg., utpote matrem Dei et reginam angelorum et hominum, fuisse inclusam in aliquo subjecto tanquam capite. *Ergo.*

Suarez Obj. 1. Si Adam non peccasset, B. Virgo eam tantum acceptura fuisset sanctitatem, quæ in Adamo fuisset præparata; ergo a pari etiam privationem ejusdem gratiæ, sicut fuit in Adamo contracta,—est enim æquale jus.

R. D. Si B. Virgo fuisset tantum filia Adæ, *Conc. Antec.*; si vero futura fuisset mater (in suppositione Incarnationis), *Negandum prorsus.* Censetur enim mater et filius unam facere stirpem, sicut arbor et fructus ejus (non avus et avia cum nepote). Unde ratione hujus unitatis eadem incorruptio, eadem gloria, etc., quantum capax est et convenire potest.

Obj. 2. Si B. Virgo non fuisset inclusa in Adamo ut capite sequeretur, B. Virg. fuisse præservatam per redemptionem Christi, antequam redemptor fuisset constitutus. *Atqui* hoc repugnat. *Ergo.*

R. N. Maj. Nam ordo momentorum in decreto Divino (*N. B.* quamvis decretum simplex sit, possunt tamen in eo varia momenta secundum rationem distingui) potest ita poni:

1. Vidit Deus Adamum et totum genus ex eo descendens generatione; — nondum consideratur ut *caput* naturæ. Ut enim sit caput, eget *positiva* Dei voluntate et decreto, quod accedit ad naturalem generationem.

2. Videt Deus se posse ita omnes in statum supernaturalem elevare, ut unicuique det gratiam sanctificantem; videt etiam se posse Adamum statuere caput naturæ et hac ratione elevare naturam, ut natura elevata transmittatur, ut supra explicatum est.

3. Videt per scientiam mediam, si Adamus sit caput, tunc Adamum et pro se et pro posteris amissurum gratiam elevationis, ita ut, si velit salvare naturam illam, debeat mittere redemptorem (si non velit condonare alio modo). Videt præterea, si velit redemptorem statuere qui per assumptionem ejusdem naturæ eam salvet, posse se vel *creare* matrem, vel eligere unam ex filiabus Adæ, ex qua redemptor carnem assumat; tum vero videt etiam respectu redemptoris convenire, imo decere omnino, talem naturam filiæ Adæ, quæ simul daret naturam redemptoris, non esse inclusam in Adamo ut capite, hinc neque maculatam in Adamo.

4. Hunc ordinem positive eligit; hinc sequitur respectu redemptoris B. Virginem, licet filia fuerit Adæ, non fuisse inclusam in decreto, quo constituit Adamum caput naturæ generis humani. Recte igitur applicantur B. Virgini: "Non pro te, sed pro omnibus hæc lex data est." Esth. xv. 13.

Scholium I. Quum hæc doctrina (ut patet ex introduct. historica) diu esset obscurata, factum est, ut quidam Patres, — imprimis autem Theologi quidam medii ævi alii dubitarent, alii negarent. Quare perperam agunt, qui omnes illorum Theologorum expressiones volunt in bonum sensum explicare.

Scholium II. *De exemptione ab effectibus peccati orig. in B. Virgine.*

1. Effectus peccati originalis vel respiciunt corpus ut tale, secundum quod compositum,—hinc naturaliter dissolubile est; sunt dolores, morbi, mors: vel secundum quod vivum est, principia vitalia habens, quæ tendunt in objecta sibi convenientia, non vero semper toti homini convenientia. Effectus ejusmodi est concupiscentia, quæ vocatur etiam fomes peccati,—a S. Paulo peccatum vocatur.

2. Primos effectus, i. e. mortem, etc., habuit B. Virgo sicut et Filius ejus. Sunt enim tales effectus, qui per se ens tantum ut physicum totum respiciunt, non quatenus ordinem dicit ad statum moralitatis.

3. Quæritur vero, num et alius effectus, concupiscentia, quatenus fomes peccati est, in B. Virgine fuerit? Conveniunt omnes non fuisse concupiscentiam in actu secundo, i. e., nullum peccatum nec mortale

nec veniale fuisse in B. Virgine. Quoad concupiscentiam in actu primo, i. e., dispositionem et inclinationem, diversa sententia:

a) Fuisse *ligatam* in Conceptione; *exstinctam*, quum conciperet Dominum Nostrum.

b) Fuisse exstinctam in Conceptione Immaculata.

Expl. Ligatur fomes peccati, quando licet adsit, Deus tamen per externam providentiam impedit, quominus objectum externum, etc., possit excitare et attrahere concupiscentiam. Exstinguitur, quando Deus tantis virtutibus et gratiis inhabitante Spiritu Sancto animam cumulat, ut per quamdam quasi redundantiam omnis motus contrarius impediatur. Suarez (in 3. p. vol. 2. disp. 4. sect. 5.)

4. S. Thom. (3. p. q. 27. a. 3.) docet fuisse *ligatum* fomitem peccati in sanctificatione prima; *exstinctum* in Conceptione Verbi. Ratio ejus est, quia non decuit carnem aliquam omnino liberari a lege fomitis, donec Filius Dei assumeret carnem sanctam et a fomite liberam; sicut non decuit, corpus aliquod humanum ante Christi corpus gloria et immortalitate donari.

Suarez docet, fomitem peccati jam in ipsa Conceptione Immaculata fuisse exstinctum.—Hæc sententia tenenda.

Rationes. *a*) Contra S. Thom. — Alia est exstinctio fomitis ratione status beatitudinis, secundum quam rationem corpus fit immortale et gloriosum; alia est ratione dignitatis. Prior utique non convenit carni peregrinanti; altera autem optime convenire potest secundum dignitatem et nexum cum Deo.

b) Non convenit cum speciali inhabitatione Spiritus Sancti, qui hoc templum in prima Conceptione formaverat sibi, ut admitteretur ibi fomes ad peccatum inclinans et adeum expellendum paratus. Quis enim architectus domum construit talem, ut semper debeat auxilio externo succurrere ut fragilitatem avertat, quum firmam domum construere possit ab intra?

c) Concupiscentia (secundum dispositionem) est manubrium diaboli; *atqui* inter manubrium et manum utentem est aliqua convenientia; *ergo* inter concupiscentiam et diabolum est aliqua convenientia; *atqui* nulla potest talis admitti convenientia inter matrem Dei et diabolum.—Præterea, est perfecta oppositio inter B. Virg. et diabolum, sicut inter regnum boni et regnum peccati propter inimicitias a Deo positas. *Atqui* non esset perfecta oppositio, si esset in B. Virgine fomes peccati. *Ergo*.

d) Christus animam sanctificavit in Conceptione. *Ergo* a pari assumendum est, eum etiam carnem sanctificasse, exstinguendo in carne fomitem peccati. Convenit etiam ut carnem suam trahat ex tali carne, quæ non habuerit dispositionem ad peccandum.

e) Convenit ut Deus matri suæ plura det dona, quam angelis et Evæ, quarum regina est.—Convenit præterea, ut maternitas in terris similis sit, quantum fieri potest, paternitati in cœlis.

f) Denique Patrum et Ecclesiæ laudes maximæ maximum privilegium, maximam sanctitatem efferunt.

Coroll. *Ergo* B. Virgo sine lucta interna crevit per actus amoris perfecti in omnibus virtutibus, non sicut alii sancti, quorum virtus in infirmitate perficitur (II. Cor. xii. 9.). — Potuitque tentari externe tantum sicut Christus D. et Heva.

ARTICULUS XII.

DE DEO CONSUMMATORE SEU DE NOVISSIMIS.

1. Consummatio vel Novissima (ἔσχατοι καιροί) potest sumi: *a*) *Late*, pro fine gentis vel hominum, ut Genes. xlix. 1.: "Congregamini, ut annuntiem vobis, quæ ventura sunt vobis *novissimis diebus*," ita Jacob moriens filiis suis.—*b*) *Stricte*, pro adventu Messiæ, ut I. Joan. ii. 18.: "Filioli, novissimum tempus est," i. e., ultima Dei dispensatio cum hominibus, *tempus Evangelii*. Cf. etiam Heb. i. 2. et I. Tim. iv. 1. —*c*) *Strictius*, pro consummatione hominis cujusque et totius mundi, ut Ecclus. vii. 40.: "In omnibus operibus tuis memorare novissima tua," et I. Cor. xv. 52.: "Tuba novissima." Agimus de hac ultima consummatione.

2. *Divisio tractatus.*—Duæ partes:

I. De Novissimis singulorum hominum ante consummation. mundi.

II. De Novissimis mundi in consummatione mundi.

PARS PRIMA.

DE NOVISSIMIS HOMINIS.

1. Duplex vita: altera, quæ vivit, sed non peregrinatur—vita animalis; altera, quæ vivit et peregrinatur.

Expl. Omne ens finitum, qua finitum, habet finem aliquem eumque duplicem *extra se* (non enim sufficit sibi), objectivum et subjectivum. *Objectivus* finis *universalis* est manifestatio et assimilatio ad Deum secundum genus similitudinis, vel imaginis vel vestigii; *particularis*, secundum gradum τοῦ esse in creatione, quatenus inferior refertur ad superiorem.—*Subjectivus* finis est tendentia et evolutio ad eam perfectionem quam natura postulat. Animal evolvit se secundum organa et vires ad eam perfectionem corporis, quam natura statuit et præformavit. Anima vero humana secundum suam naturam evolvit se per potentias suas, quumque sit substantia spiritualis et intelligens, tendit per facultates suas in possessionem veritatis. Objectum vero hujus tendentiæ, quod velut terminus ultimus seu finis hanc tendentiam claudit, non est aliud nisi illud, in quo omnis veritas est, i. e., Deus.

Finis igitur animæ est Deus.—*Comprobatur:*

* *a*) Omne inferius finitum refertur ad superius. Jam vero anima non habet superius se aliud quam ipsum Deum. *Ergo.* — Major pa-

tet: anorganica ad organica, vegetabilia ad sensibilia, sensibilia ad spiritualia; id postulat etiam *ratio ordinis* in variis gradibus scalæ entium, ut inferior sit ad superiorem.

b) Omne ens eo perfectius esse censetur, quo magis accedit ad perfectionem gradus superioris, v. g., illud animal censetur optimum, quod maxime accedit ad hominem. Perfectio igitur superioris gradus est mensura perfectionis inferioris gradus. Jam vero pro anima humana superior gradus est tantum Deus. *Ergo* est eo perfectior, quo magis accedit ad Deum; Deus igitur mensura est perfectionis animæ (i. e., animæ mensura proxime, et remote omnium aliarum rerum). Jam vero anima tendit ad suam perfectionem,—hinc ad Deum: quare ejus finis Deus est.

c) Est anima imago Dei. *Atqui* imago non est pro se sed pro suo prototypo. *Ergo* anima pro Deo est.

d) Deus omnia creare debet propter sese—finem enim debet habere semetipso dignum; *ergo*. — Præterea, finis debet respondere naturæ; *ergo* debet animæ semetipsum ut immediate attingendum proponere. Quum autem anima nonnisi facultate intellectus et voluntatis Deum attingat, hinc tanquam objectum intelligibile et amabile, tale vero objectum possideatur actu vitali — veritas enim possidetur — debet se ut vitali actu intellectus et voluntatis possidendum proponere. *Ergo* Deus debet creare animam ad se.

e) Deus ut creator est etiam possessor et Dominus ex essentia sua; *ergo* anima est possessio Dei—*ergo* pro Deo.

Coroll. *Ergo* Deus causa est, cur homo sit possibilis secundum genus, speciem, accidentalia; causa est, cur homo actu sit,— causa efficiens; cur maneat in esse,—causa conservans; cur agere possit,— causa adjuvans et concurrens; causa præterea finalis est, et finaliter beans. Causa omnium, quæ hominem circumstant: per suam enim immensitatem est fundamentum spatii infiniti, ideoque et spatii particularis et loci; per suam æternitatem fundamentum est temporis infiniti ideoque et temporis particularis. Hinc *ab eo* (Deo), *per eum*, *propter eum*, *in eo*, *ad eum* movemur, vivimus et sumus. Cf. Act. xvii. 28.—Recte igitur anima peregrinatur ad Deum (ad finem supernaturalem, de quo post.); estque ideo creata, ut Deum cognoscat, laudet, revereatur, serviat, ac ita salvet se.

2. Terminus hujus peregrinationis est mors. Hinc

§ 1. DE MORTE.

Sicut triplex est vita, utpote vita naturæ, vita gratiæ, vitaque gloriæ; ita est triplex mors huic triplici vitæ opposita, videlicet mors naturæ, mors culpæ, mors infernalis miseriæ. (Dionys. Carthus., super hymn. in advent. in verba: "*donans eis remedium.*"—Hic agimus de morte naturali.

A. DEFINITIO: *Separatio animæ a corpore.*

Expl. *a*) Mors est destructio substantiæ, hinc species quædam *annihilationis*. Hinc triplex sors: sors totius hominis, qui destruitur moriendo; sors corporis, quod destruitur corrumpendo; sors animæ, in qua destruitur facultas peregrinandi seu tendendi in finem.

b) Mors omnium humanorum malorum terribilissimum;—nam
α) Omnis vita tendit ex natura sua ad sese conservandam. — *β*) Quo major est conjunctio, eo major cohæsio, *violentior* etiam *separatio.*

Expl. Alia est conjunctio accidentalis vel externa vel interna; alia conjunctio interna et substantialis. Prior quandoque admodum violenta (v. g., in ferro, pars separatur a parte magna tantum vi); altera præsertim in ente vivo, quamvis non tanta requiratur vis et violentia, tamen sentitur cum angore et cruciatu, ita ut licet a Deo sit mitigata vis destruens, sit tamen multo violentior priore. "Angustatur homo, quando in morte oculi franguntur, cor suffocatur, omnia membra torquentur, anima ab omnibus membris solvitur." S. Bonav. (dom. 9. p. Pent. serm. 3.). Hinc et mors cum angoribus suis vocatur "radius quidam gehennæ cadens in lectum mortis." Quæ tormenta ut mitigaret Deus, tria collegit Sacramenta pro hora mortis: Extremam Unctionem, qua separatio fit facilior; sacram. Pœnitentiæ,— "Quodsi nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur" I. Cor. xi. 31.; S. Eucharistiæ, ubi Christus socius fit transitûs et pignus resurrectionis corporis. Unde triplici malo triplex remedium.

B. De universalitate mortis.

Duplex sententia: prior tenet omnes homines, nullo excepto, morituros; altera tenet, non omnes morituros, sed in fine mundi qui vivant, per exceptionem aliquam non morituros.— Hæc opinio ultima probatur

1. *Ex Script. S.* I. Cor. xv. 51.: "Ecce mysterium vobis dico: omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur." Græcus autem textus habet: *Omnes quidem non dormiemus*, omnes autem immutabimur. Item Syrus: "Non omnes obdormiemus, omnes autem immutabimur." Cf. I. Thessal. iv. 15. 16.: "Quoniam ipse Dominus in jussu et in voce archangeli et in tuba Dei descendet de cœlo; et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera."

2. *Ex Patribus.* In hunc sensum explicant hos textus Patres Græci multi. Origen. (c. Cels. l. 2. c. 65.), S. Chrysost. (hom. 42. in I. Cor. n. 2.), Theodoretus, Theophylactus, Tertull. (de Resurrect. Carn. c. 41.), Hieronym. Epist. ad Minervium et Alexandr.), aliique;—etiam S. Aug. (l. 2. de Peccator. Merit. c. 31.); postea vero retractavit (l. 20. de Civ. Dei c. 20.).

Hanc sententiam sequitur etiam Cajetanus; eamque defendit Erasmus. Estius eam censet veriorem secundum verba Apostoli ac fuse probat.—*Probabilis* sententia.

Probabilior sententia, *omnes* nullo excepto morituros; ut patet ex Script. S., nam Job xxx. 23. vocatur mors "constituta domus omni viventi;" — Rom. v. 12.; — Hebr. ix. 27.: "Statutum est homini semel mori."—Peccatum originale est peccatum naturæ, corrumpens naturam eamque faciens mortalem. Sed peccatum originale est in omni homine. *Ergo.*

Respondetur ad argum. priora. *Ad* 1. Non omnes dormiemus; sed

dormire differt a morte eo, quod mori sit sepeliri, corrumpi, etc.; mori vero in fine mundi est perire per ignem vel mundum corruentem. *Ad* 2. Homines in fine mundi viventes vel *in ipso raptu*, vel ante raptum moriuntur. Simili modo explicandum symbolum: "venturus est judicare *vivos* et *mortuos*," i. e., judicabit vivos qui violenta morte per conflagrationem mundi perire debent.

Quæritur, num mors sit naturalis an pœna?

R. Est lex naturalis pro animalibus, lex peccati pro homine. Nihilominus si abstrahitur a peccato et ab elevatione præcedente, mors debet dici naturalis; nam—*a*) est lex communis: quidquid est compositum, est dissolubile et dissolvitur. *b*) Eo magis, quo est compositio delicatior, pendens a concursu maxime *diverso* causarum materialium: est autem organismus in homine maxime varius et subtilis; elementorum mutua oppositio maxima, etc.

Coroll. Est ergo mors in illis in quibus peccatum originale remissum est, non jam *pœna* sed *pœnalitas*.

C. De certitudine mortis.

Mors certa est ut patet fide et experientia, i. e., secundum legem naturalem et legem positivam. Incerta vero est executio—quoad tempus, locum, modum, circumstantias. Quum enim mors effectus sit in materia, pendet multiplici modo a legibus et causis internis et externis.

Bene igitur S. August. (in Ps. xxxviii. v. 15.): "Quocumque te verteris, incerta omnia, sola certa mors. Pauper es, incertum est, an ditescas. Indoctus, incertum est, an erudiaris. Imbecillus, incertum est, an convalescas. Natus es, certum est, quia morieris, et in hoc ipso quia mors certa est, dies mortis incertus est. Itaque hæc incerta. Ubi sola mors certa, ejus etiam hora incerta et sola multum cavetur, quæ nullo modo devitatur."—"Juvenes," inquit Cardin. Hugo (super Gen. c. 27.) "habent mortem a tergo, senes ante oculos." Juvenes igitur possunt mori, senes debent mori. — Quoad modorum diversitatem, ait S. Aug. (Soliloq. anim. c. 2.): "Importuna mors mille modis quotidie miseros homines rapit: hunc necat febribus, illum opprimit doloribus; hunc consumit fame, illum siti exstinguit; hunc suffocat aquis, illum interimit laqueo: illum perimit flammis, alium dentibus bestiarum ferocium vorat; hunc trucidat ferro, illum veneno corrumpit, alterum repentino terrore miseram vitam finiri compellit."

Cf. Eccles. ix. 12., ubi comparatur mors cum piscatore hamos ad pisces capiendos ejiciente in aquas; comparatur cum aucupe avibus insidiante.

Cfrm. Apoc. vi. 8.: "Et ecce equus pallidus; et qui sedebat super equum, nomen illi *Mors*, et infernus sequebatur eum; et data est illi potestas super quatuor partes terræ, interficere gladio, fame, et morte et bestiis terræ."

§ 2. DE JUDICIO PARTICULARI.

PROPOSITIO I.

Anima a corpore soluta primo statim momento intrat in judicium Dei, quo ejus futura sors determinatur.

St. Q. De adversariis.

a) Chiliastæ censent, animas separatas custodiri a Deo in certo quodam loco usque ad judicium ultimum. Lactantius (Chiliasta): "Nec tamen quisquam putet, animas post mortem protinus judicari. Nam omnes in una communi custodia detinentur, donec tempus adveniat, quo maximus Judex meritorum faciat examen. Tum quorum probata fuerit justitia, ii præmium immortalitatis accipient; quorum autem peccata et scelera detecta fuerint, non resurgent, sed cum impiis in easdem tenebras recondentur ad certa supplicia destinati." —(Instit. Div. l. 7. c. 26.)

b) Complures e Syris et Nestorianis censebant animas solutas a corpore sensu carere ac sopore quodam contineri usque ad resurrectionem corporum. (vide Assemani Biblioth. Orient. t. 3. p. 342.)

c) Æthiopes Armenique (Asseman. Bibl. Orient. tom. 2. p. 167.) docent differri præmia et supplicia ad ultimum judicium.

d) Lutherus, Calvinus statuunt statum animarum separatarum adsignari non posse.

Arg. 1. *Ex Scriptura Sacra.*

* Eccli. xi. 28.: "Facile est coram Deo, in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas."—Unde ita:

Sacer auctor adhortatur homines ad perferendas miserias vitæ, ideo quod facile sit Deo, mercedem dare in die mortis. *Atqui* non potest hic agi de possibilitate mercedis, ita ut Deus fortasse det, fortasse non det. *Ergo* debet intelligi actualis merces in die mortis. *Atqui* hæc non est sine judicio. *Ergo.*

Arg. 2. *Ex Traditione.*

Athenagoras (In Legat. n. 12.): * "Mala, quæ patimur . . . non pos-

* S. Ephræm (Sermo de Secundo Adventu): "Magnum, et occultum mortis arcanum, et nullus nobis enarrare illud potest. Tremenda sunt ac terribilia, quæ tunc anima subit, sed nemo nostrum ea novit, fratres carissimi. Non amplius in hac vita nos videbimus; si quid novimus, si quid egimus, id recipiemus. Ecce hinc abducimur, nec novimus, quo abducamur. Repente constringitur ei (morienti) lingua, immutantur oculi, silet os, impeditur vox, quando dominicæ copiæ advenerint, quando formidabiles exercitus invaserint, quando divini spiculatores animam e corpore migrare jusserint, quando inexorabilis in judicium nos trahens detulerit . . Tunc excipientes animam angeli per aerem abscedunt, in quo consistunt principatus et potestates, mundique rectores adversariarum copiarum, acerbi illi nostri accusatores,

sunt comparari cum bonis, quæ *alteram vitam ingressi* a magno Judice pro miti, bona et sobria vita consecuturi sumus."—Simili modo S. Aug. (de Anima et ejus Orig. l. 2. n. 8.).— Accedit Decretum unionis Græcorum in Concil. Florent., ubi docetur, animas plane puras in cœlum mox recipi, animas vero mortali pœna infectas in infernum detrudi. Jam vero hæc supponunt judicium. *Ergo.*

ARG. 3. *Ex Ratione.*

a) Mors est finis viæ et translatio in terminum ad mercedem recipiendam.† *Atqui* nulla est ratio differendi mercedem, si anima sit in termino; sed conveniens est, eam dari, quando homo meruit. *Ergo.*—Mereri enim homo amplius non potest, cur ergo differatur merces?

b) Justi deberent sortis suæ dubii vivere, imo cruciatus timoris et anxietatis ferre usque ad judicium ultimum. *Atqui* hoc non convenit. *Ergo.*

DE IPSA ACTIONE JUDICIALI *a*) IN SE; *b*) QUOAD TEMPUS; *c*) QUOAD LOCUM; *d*) QUOAD TESTES.

a) *De actione judiciali in se.*

Tria requiruntur ad judicium: 1. Discussio causæ; 2. latio sententiæ; 3. executio.—Jam quoad singula:

1. *Discussio* causæ non necessaria pro Deo, sed est in eo potissimum, ut *anima* se, sua merita et demerita cognoscat.

2. *Latio sententiæ.*—Fertur sententia, quum anima intellectualiter illuminatur de sua sorte.

3. *Executio.* Statim sequitur executio, ita ut animæ sanctæ illico deferantur in cœlum; aliæ in purgatorium; animæ damnata in infernum.*

b,c) Quoad *tempus* et *locum.*

Quoad tempus. Omnia, quæ supra relata sunt, fiunt in uno instante separationis.—*Quoad locum.* Sunt, qui putent, omnes animas deferen-

sævi tributorum exactores et calculatores atque censores, in aere occurrentes, et hominis peccata ac peccatorum chirographa proferentes. Magnus ibi timor, magnus infelicis animæ tremor, inexplicabilis necessitas, quam tunc subit ab infinitorum hostium multitudine ipsam detinente, ipsam commorante, ipsam calumniis proscindente, ipsam impediente, ne in lumine inhabitet, ne in regionem vivorum ingrediatur. Cæterum sancti angeli excipientes animam secum abducunt."

*S. Thom. (Supplem. q. 69. a. 2.): "Sicut in corporibus," ait, "est gravitas vel levitas, qua feruntur ad suum locum, qui est finis motus ipsorum, ita etiam est in animabus meritum vel demeritum, quibus perveniunt animæ ad præmium vel ad pœnam, quæ sunt fines actionum ipsarum. Unde sicut corpus per gravitatem vel levitatem statim fertur in locum suum, nisi prohibeatur, ita animæ soluto vinculo carnis, per quod in statu viæ detinebantur, statim præmium consequuntur vel pœnam, nisi aliquid impediat, sicut interdum impedit consecutionem præmii veniale peccatum, quod prius purgari oportet, ex quo sequitur, quod præmium differatur. Et quia locus deputatur animabus secundum congruentiam præmii vel pœnæ, statim ut anima absolvitur a corpore, vel in infernum immergitur, vel ad cœlos evolat, nisi impediatur aliquo reatu, quo oporteat evolationem differri, ut prius anima purgetur."

das in cœlum, ubi a Christo D. ipso præsentialiter judicantur. Videtur falsum; non enim intelligitur, quomodo animæ damnandæ etiam cœlum intrare prius debeant. Unde dicendum, in *ipso loco mortis* judicium fieri; Christum D. judicare, quum ipsi *omnis* potestas in cœlo et in terra data sit, ideoque et potestas judicativa; non tamen debere Christum D. ex cœlo descendere in cubiculum moribundi, quod quidam putaverunt, sed manentem in cœlo posse eum animam judicialiter illuminare.

d) Quoad *testes.*

Patres *vivide* describunt hoc judicium, formam desumentes ex judicio humano.—Varios hinc sistunt testes;—fit examen etc.: sensus vero is est, ut *spiritualia* nobis per figuras corporales appareant. Quum igitur judicium hoc sit spirituale, sub figura visibilis judicii, ut magis homines percellat, proponitur. Non igitur testes, qua tales, propter examen necessarii sunt; nihilominus vere adsunt angelus custos et dæmon; non enim plane certi sunt, utra—bona vel mala—sors futura sit. Quodsi anima transit in cœlum, ab angelo suo custode, qui fuit comes in via, illuc deducitur; ut dicitur Luc. xvi. 22.: "Factum est autem, ut moreretur mendicus et portaretur ab angelis in sinum Abrahæ." Simili modo transit alia anima ad suum locum, comitante vel bono angelo ad purgatorium, vel malo in infernum. Hoc non impedit, quominus B. Virgo aliique propter varias rationes adesse possint moribundo; et ipse moribundus, quando a corpore solvitur et jamjam intrat statum existentiæ spiritualis, quominus in hoc quasi diluculo æternitatis signa aliqua edat influxûs illius ordinis, assistentiæ sanctorum, etc.

Coroll. Possunt igitur in hoc judicio particulari considerari *personæ: Deus*—judex, testis, ultor (remunerator). *Judex*,— non amplius pater vel frater, sed judex inexorabilis; *testis*, quem nihil latet,— non verbum, non cogitatio, non opus; ipse enim ad omnia illa debuit concurrere, quare actiones hominum omnes sunt et certo quodam sensu, vere tamen, suæ actiones; *ultor* majestatis divinæ, quæ fuit spreta, — cœli, patriæ, mortis cruentæ in cruce, gratiarum, bonorum omnium, etc.

Moribundus, qui ex angoribus mortis corporalis egrediens, tantum *passive* se habet—vel damnandus, vel coronandus; illuminatus autem quoad totam vitam, etc. Anima exit e corpore immutata; hujusmodi immutationis tum primum sibi conscia est.

Astantes angeli, qui vere anxii sunt; diaboli, qui vere sperant.

Astantes ad corpus — parentes, amici, sacerdos, etc., vel *orantes* vel *flentes*; "flent de corpore mortuo, non flent de anima præsente in judicio."

Locus, quem adamabat anima—mundus totus, quem *diligebat* anima; incitamenta peccatorum, libidinum—fortasse præsentia (libri, imagines, personæ, etc.).

In horum omnium media præsentia, omnia videns et audiens judicatur anima.

DE RECEPTACULIS ANIMARUM POST MORTEM JUDICATARUM.

In V. Testamento Judæi ponebant 1. Cœlum, ubi Deus habitabat cum angelis; 2. Limbum Patrum (justorum ab Adam usque ad Christum); 3. Purgatorium; 4. Infernum.

Expl. In Cœlo tantum Deus cum angelis habitabat.—Limbus, vox non in Scripturis usitata, est locus ubi justi ante Christum collecti et beati (licet probabilius non habentes visionem Dei) ejus adventum exspectabant. Vocabatur etiam paradisus; generatim in Script. *sinus Abrahæ:* "Mendicus ferebatur ab angelis in sinum Abrahæ." Luc. xvi. 22. Hic definitur a S. August. (de Anima et ejus Orig. l. 4. c. 16.): "Sinus Abrahæ est locus quietis, in quo post mortem rapiebantur et etiam nunc recipiuntur omnes imitatores fidei et pietatis Abrahæ, qui ante Christum limbus Patrum, post Christum est cœlum, quod est paradisus Beatorum." — Ecclesia de S. Martino: "Martinus Abrahæ sinu lætus excipitur; cœlum dives ingreditur."—S. Aug. (Conf. l. 9. c. 3.): "Ille [Nebridius mortuus] vivit in sinu Abrahæ. Quidquid illud est, quod illo significatur sinu."—Denique in Officio mortuorum: "Requiem æternam .... quam olim Abrahæ promisisti et semini ejus." Est igitur locus quietis concessus fidelibus, vocatus a patre fidelium, qui est Abraham; ideoque et fideles vocantur semen Abrahæ. — Purgatorium, II. Machab. xii. 43. —In Inferno habitat Satanas cum suis; est regnum mortis.

In N. Testamento ponitur Cœlum, Purgatorium, Infernus; cui additur Limbus infantium non renatorum.—Jam ergo

vel circumcisionem etiam.

§ 3. DE CŒLO.

Animæ purgatæ ab omni peccato transeunt in cœlum ad videndum Deum *"sicuti est."* Quæritur autem num continuo, an post tempus aliquod, v. g., post resurrectionem?—Hinc

De Chiliasmo. — Chiliastæ docuerunt, justos post resurrectionem in terra immutata *mille* annos cum Christo regnaturos, *dein* transituros in cœlum ad videndum Deum. Duplex classis: 1. *carnalis;* censebat ad Jerusalem restauratum iri regnum Sion, in quo Beati per mille annos omni libidini indulgere possint. Auctor fuit Cerinthus, Simonis Magi discipulus, qui et cæremonias, sacrificia, etc., Mosaica restitutum iri asserebat. Secuti sunt eum Marcionitæ et Apollinaristæ. Simile quid statuerunt Anabaptistæ (1534) Monasterii (Guestph.), Joannes Bockelsohn, Leydensis, rex Sionis.

2. *Spiritualis;* censebat delicias vel innocentes vel spirituales fore in hoc regno millenario. Auctor videtur fuisse Papias, Episc. Hierap., discipulus alicujus Joannis Ephesini (*non* Apostoli Joannis), apud Irenæum (l. 5. c. 35. et cap. ult.). S. Iren. ipse (loc. cit.), Justin. (dial. 80., 109., etc., qui appellat Isaiam lxv. 17–25., Apoc. xx. 4., etc.), Tertull. (c. Marcion. l. i. 29.; iii. 24.; iv. 26.; de Res. Carn. c. 25.), Lactant. (Inst. vii. 14.— *Contra* Chiliasm. *Athenag.;* Legib. c. 31.), Cajus (ap. Euseb. iii. 28.), Clemens (Strom. vii. 12.), Orig. (c. Cels. iv. 22.);

S. Hieron. (in Isai. l. 18. proœm.) vocat illum *fabulam*, . . . multique alii.*

Rationes pro Chiliasmo illatæ: Sex dies creationis sunt et prototypa sex ætatum mundi; post sequitur *sabbatum divinum* — etiam mille annorum, quod est ætas *regni Sionis;* hæc ætas est unus *dies* mundi secund. Ps. lxxxix. 4.: "mille anni coram Domino sicut unus dies."—Exspectatio *victoriæ* Evangelii supra totum mundum et pax mundana universalis, quæ sex illis ætatibus haberi non posset.—Regnum Christi supra mundum, qui (II. Petr. iii. 13.) renovatus erit.—Textus quidam Script. S., ut Apoc. xx.., ubi docetur — *a)* diabolum ligatum per mille annos; *b)* duplicem fore resurrectionem: primam justorum, ut regnent per mille annos; alteram impiorum *post* hoc tempus; *c)* vidit S. Joan. animas decollatorum regnare cum Christo mille annos, dum ceteri mortui non vixerunt.—Accedunt, ex N. Test., Matth. xxvi. 29., ubi Christ. bibere se vinum cum fidelibus in regno Patris sui dicit; Luc. xxii. 29–30.: "Bibent . . . . beati de mensa Domini." Item Matth. xix. 20.

Resp. Explicatio carnalis. "Spiritus autem est, qui vivificat, caro non prodest quidquam." Joan. vi. 64. *Terminus mille* est terminus indefinitus, significans longum tempus.—Diabolus ligatus ne noceat Christianis.—Quando sermo est de duplice resurrectione, intelligitur prior justorum spiritualis ex morte peccati; altera omnium, etiam impiorum, in fine mundi.—Item, si Christus regnat cum justis, intelligitur regnum Christi *in justis.*

Quæritur, num animæ justorum puræ jam ante resurrectionem sint in cœlo fruentes visione Dei?

Negabant Tertull., Vigilant., Armeni et Græci etiam temp. Conc. Flor. Inter catholicos, præsertim sæc. XIV. *temp. Joann.* XXII. (1334). Idem docuit Luther. (Prælect. in Gen.) et Calv. (Instit. l. 4. c. 20. § 23.) —Docebant autem usque ad ultimum diem manere animas illas in *sinu* Abrahæ, vel in loco refrigerii, vel considere, quiescere, dormire subtus Aram Dei (Apoc. xx. 6.).

Rationes sunt: Secundum Matth. xx. 8–9., denarius datur in fine totius operis; sed opus illud in vinea est imago operis humani generis. *Ergo.*—Hebr. xi. 39–40.: "Patriarchæ testimonio fidei probati non acceperunt repromissiones . . . ut non sine nobis consummarentur." Sed repromissio est merces. *Ergo* illi nobiscum recipiunt mercedem. — I. Joan. iii. 2.: "Scimus, quoniam quum apparuerit [Christ. 2°. adventu] similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est." *Ergo* post resurrectionem tantum beatitudo.— Apoc. vi. 4. Martyres dicuntur delitescere "*subtus altare,*" et v. 11. jubentur requiescere "adhuc tempus modicum, donec compleantur conservi eorum et fratres eorum." *Ergo* nondum vident Deum.

Resp. Animæ puræ a corpore solutæ statim intrant in cœlum. Nam 1. Phil. i. 23.: "Desiderium habens dissolvi et esse cum Christo."

*Sæculo VI. videbatur exstinctus Chiliasmus; sæc. XII. resuscitatæ fuerunt ideæ illæ ab Abbate Joachim de Floris (1201.), a Joan. Petro de Oliva, etc. Swedenborg docuit Chiliasmum formaliter, ecclesiam novæ Jerusalem. Anno 1774., Anna Lee (Mancistrii nata) emigravit cum suis asseclis ex Anglia in Americam et Coloniam New-Libanon fundavit, tanquam sedem regni Christi millenarii. Item Mormones, qui (3. Maj. 1834.) nomen adoptarunt, Ecclesiæ Christianæ sanctorum ætatis ultimæ (diei ultimi).—Ideæ eædem identidem in aliis quoque recrudescunt.

Sed Christus est in cœlo. *Ergo* Apost. cupit post mortem esse in cœlo apud Christum. *Ergo* censet post mortem se futurum in cœlo.

2. Cœlest. Pap. (ep. 1. ad Episcop. Galliæ): "*Legem credendi,*" ait, "*lex statuit supplicandi.*" *Atqui* codex Gelasian. (antiquissimus) in festo SS. Perpetuæ et Felicitat. habet: "Quæsumus ut sicut illis gloriam contulisti, nobis indulgentiam largiaris;" et in festo SS. Gervasii et Protasii: "Ut quos cœlesti gloria sublimasti."

3. Conc. Lugdun. II. in professione fidei: "Credimus .... illorum animas .... quæ sunt purgatæ mox in cœlum recipi;" quibus addit Florent.: "et intueri clare Deum trinum et unum sicuti est." Cf. Trident. (sess. 25.) de Invocat. Sanct.

4. Tota vita Ecclesiæ, Invocatio Sanctorum, Liturgia defunctorum, preces pro defunctis, etc., supponunt sanctos esse in cœlo. — Præterea, angeli continuo mercedem acceperunt; cur non et sancti homines; saltem postquam Christus post resurrectionem suam cœlum aperuit? Item damnati continuo sunt in inferno, ut patet ex historia Lazari et epulonis. Convenit igitur, ut ubi Christus est, ibi sit et minister ejus." Joan. xii. 26.

Respond. ad rationes adversariorum.

Parabola operariorum in vinea valet de completa mercede in resurrectione; ultimi igitur judicii figura quædam est. — Supponuntur enim ibi *omnes* operarii vivere usque ad vesperam, i. e., finem; de facto vero multi moriuntur ante finem; ergo non operantur usque ad vesperam. Quum igitur duplex remuneratio — patet, agi de ultima remuneratione. Longius præterea, deberent exspectare in hypothesi advers. illi sancti qui prius vixissent. — Patriarcharum repromissio respiciebat adventum Redemptoris, non Judicis in fine mundi. — S. Joan. loquitur de *completa* coronatione in fine mundi. — In Apocal. c. 6. sumitur imago a templo Hierosolym.; altare vero erat altare Thymiamatis vel oraculi in sanctuario, in quod intrare tantum sacerdoti licuit. Erat autem sanctuarium cum altari *imago cœli* et *agni*. Hinc animæ illæ sunt in cœlo et exspectant resurrectionem.

Quæstio, num. Joan. Pap. XXII. docuerit, sanctos non videre Deum ante resurrectionem?

Raynaldus, auctor coævus, refert ad ann. 1331. Joannem Papam tribus concionibus publice enuntiasse, sanctos non videre Deum ante resurrectionem. Scripsit etiam librum Joannes Papa, quo tuetur hanc sententiam. Voluit, ut de ea re disputatio esset libera, idque petiit a rege Galliæ.

Occam (Franciscan. Minorita Provincialis, triste nomen in dissidiis inter Franciscanos ortis) refert, S. Pontif. Joan. vetuisse, ne quis gradum magisterii in Universitate Parisiensi consequeretur, nisi sacramento se ad defendendam illam sententiam obligasset; præterea S. Pontificium jussisse, eos quidem, qui contrarium docerent, non esse molestandos; qui vero contrariam sententiam ut dogma proclamarent, esse incarcerandos. Petr. de Alliaco, qui vixit 70. ann. post Joann., refert S. Pontif. perterrefactum a rege Galliæ, Philippo de Valois, duabus declarationibus sententiam suam erroneam revocasse.

R. Priusquam fieret S. Pontif., Joan. XXII. composuerat librum in favorem illius erroris; hic liber tempore ejus Pontificatus iterum

fuit reimpressus,—non satis constat quo jure. Quoad assertiones suas in libro illo vel in tribus sermonibus declaravit S. Pontif. post commissionem theologicam ab ipso constitutam Avenione (28. Dec. 1333—1. Jan. 1834.), ut ea res examinaretur, et 4. Jan. in Consistorio, se nihil dixisse nec definivisse, quod esset in favorem illius doctrinæ. (Hergenr. H. Eccl. t. 2. p. 22.). Idem asseruit Facult. theol. Parisina, ab rege ad examinandam quæstionem collecta: "*Multorum fide dignorum relatione audivimus, quod quidquid in hac materia Sua Sanctitas dixit, non determinando aut asserendo aut etiam opinando protulit, sed solummodo disputando.*" Idem asseruit in publicis documentis: 1. in epistola sua ad Ossinium, Armeniæ regem; 2. in epistola ad Christianos Tartariæ; 3. in Canonizatione S. Ludovici, Episc. Tolos., S. Thom. Herford., S. Thom. Aquinatis; 4. in epist. ad Philippum, regem Galliæ; 5. in speciali documento, quod jamjam moriturus confecit. Idem docet Benedictus XII., ejus successor. Quum vero res nondum esset definita, defendit libertatem discussionis. — Quæ Occam, acerbus inimicus, de Alliaco etc. refert, sunt vel falsa, vel exaggerata. Si Gerardus, Generalis Minoritarum Parisiis, doctrinam illam erroneam sub nomine S. Pontif. proponebat, S. Pontif. ipse in epistola ad regem contra illum Gerardum protestatus est. (Knoll, Theol. t. 6. § 655.)

DE BEATITUDINE.

Quum igitur constat animas ab omni reatu culpæ et pœnæ liberas continuo in cœlum intrare ad beatitudinem fruendam, quæritur quid illa beatitudo sit?

Definitio. Possessio ultimi finis perfecta, satiativa omnis desiderii legitimi.

Divisio. Est vel naturalis vel supernaturalis. *Prior* est in statu naturæ puræ, quando anima per abstractivam cognitionem Deum possidet, et reliqua omnia convenienter ad hunc modum; *altera*, supra hanc, debet esse visio ejusdem objecti immediata, quæ sola supra abstractionem est: prior est possessio creaturæ servæ; altera, possessio creaturæ filiæ.—Agimus de supernaturali beatitudine.

PROPOSITIO II.

Beatitudo consistit radicaliter et initiative in possessione Dei intellectuali per visionem immediatam; perfective, in possessione voluntatis per amorem; consecutive, in pace et gaudio.

Pars I. Beatitudo consistit in visione intuitiva.

Ut hoc probetur, duo probanda: 1. — Beatum habiturum visionem intuitivam. 2.—In eo consistere fundamentum beatitudinis.

1. *Beatus habet visionem intuitivam.*

Arg. 1. "Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum." I. Cor. xiii. 12.

Expl. textus. In præcedentibus, e. g. v. 10., propositionem enuntiaverat: cognitio nostra Dei his in terris est ex parte et imperf.; in altera vita imperfectio tolletur, ita ut perfecta sit.—Explicat 1°. *imperfectionem*, comparans illum cum statu puerili et infantili—si parvulus sum, loquor ut parvulus; perfect. comparat cum statu virili—"factus vir evacuavi, quæ erant parvuli." v. 11.;— *explicat* 2°. alia similitudine imperfectionem cognitionis in via, comparans eam cum cognitione alicujus objecti *in speculo* et sub forma ænigmatica, i. e., quatenus in speculo, est indirecta nec in se; quatenus in ænigmate, est obscura et magis divinando quam probando; est enim ænigma sermo vel res sub sensu seu forma obvia sensum continens profundiorem et penetratu difficilem. Cognitioni in speculo opponitur cognitio directa et immediata; cognitioni ænigmaticæ cognitio clara et evidens.—Unde argumentum:

S. Paulus describit cognitionem in via esse—1. per speculum, hinc medio interposito; 2. in ænigmate, hinc obscuram, intellectu difficilem; 3. ideoque ex parte et imperfectam. *Atqui* hanc imperfectionem docet evacuatum iri in cognitione alterius vitæ, ita ut cognitio non amplius sit per medium interpositum sed directa et immediata; non amplius obscura sed attingat Deum, ut est in se; paucis, ut cognitio sit visio intuitiva. *Ergo.*

Cfrm. a) Expressis verbis dicit Apostolus: "Videmus [Deum] facie ad faciem." *Atqui* talis visio est visio intuitiva. *Ergo.* — Talis enim visio excludit intermedium.

b) N. B. "Cognosco ex parte," i. e., ex parte veritates in objecto contentas; et ex parte secundum modum cognitionis, ita ut sensus sit: veritates illas paucas, quas cognosco, imperfecte cognosco.

"Cognoscam sicut et cognitus sum [a Deo]." Unde ita: Deus cognoscit hominem *immediate* et comprehensive. *Atqui* eadem ratione cognoscit homo Deum; non tamen comprehensive, quia hoc pro homine impossibile, sequitur enim cognitio naturam subjecti. *Ergo.*

Arg. 2. Bened. XII. *Constit. Dogm.*

"Definimus . . . . quod [omnes Beati] post D. N. passionem et mortem viderunt et vident divinam essentiam visione intuitiva et etiam faciali, nulla mediante creatura in ratione objecti visi se habente, sed divina essentia immediate se *nude, clare,* et *aperte* eis intendente, quodque sic videntes eadem divina essentia perfruuntur."

N. B. Quamvis proxime controversia esset de modo et tempore beatitudinis conferendæ, tamen ipsa quoque visio simul exprimitur.

2. *In hac visione est fundamentum beatitudinis.*

Arg. 1. *Ex Script. S. et Traditione.*

a) Apost. Paulus verbis supra relatis exhortari, consolari, etc., Corinthios voluit spe beatitudinis. *Atqui* proxime et maxime effert visionem intuitivam. *Ergo* in hac reponenda est beatitudo.

b) Concil. Francfortense ad Episc. Hisp. (in fine): "Prædicamus Deum verum et vivum ac vere Filium Dei, ut ad ejus beatissimam visionem pervenire mereamur, *in qua* est vera beatitudo et beata æternitas."

c) Beatitudo est in fruitione essentiæ Dei. *Atqui* hæc fruitio habetur secund. Bened. XII. (vide supra in fine) in visione Dei intuitiva. *Ergo.*

d) Vocatur visio intuitiva etiam visio beatifica. *Ergo.*

Arg. 2. *Ex Ratione.*

a) Possessio ultimi finis, in qua est beatitudo, debet esse spiritualis et vitalis, i. e., per actum vitalem. *Atqui* prima et primaria possessio spiritualis et vitalis est illa, quæ fit per intellectum. *Ergo.*

b) Possessio vitalis est in conjunctione vitali possidentis cum objecto possesso. *Atqui* prima et primaria conjunctio fit in intellectu; quia objectum fit præsens in intellectu, et intellectus cognoscendo fit intentionaliter similis objecto. *Ergo* prima et primaria conjunctio possessiva fit in actu intellectus.

c) Est autem hæc conjunctio pro tota activitate fundamentum et radix; nam intellectus est in homine prima ac præcipua facultas, ex qua homo simpliciter denominatur—rationalis. *Ergo* ejus actus præcipuus.

Præterea, si non esset intellectus, esset voluntas. *Atqui* licet volun-

tas sub alio respectu superet intellectum, in quantum ad finem consequendum utilior, etc.; tamen quoad nobilitatem internam actûs inferior est; dependet enim ab intellectu et in eo quasi radicatur,—quare et definitur *appetitus rationalis*. *Ergo* actus voluntatis posterior et inferior est, hinc actus intellectus prior et potior; *ergo* et conjunctio intellectus cum Deo est in beatitudine pars prior et potior.

PARS II. PERFECTIVA PER AMOREM, QUO VOLUNTAS POSSIDET.

ARG. 1. Perfecta beatitudo est perfecta possessio Dei. *Atqui* duas habet homo facultates, quibus possidere potest et vult—intellectum et voluntatem. *Ergo* debet etiam voluntate possidere Deum, i. e., actu amoris. Unde possessio per amorem ad beatitudinem pertinet.

ARG. 2. Perfecta unio cum Deo fit in amore; nam

a) Teste Dionys. (de Hierarch. Cœl. c. 7.), "Amor transformat amantem in amatum." *Atqui* transformatione fit possessio. *Ergo.*

b) Est commune verbum: "*Amor intrat, ubi cognitio foris stat,*" i. e., amor intrat in objectum amatum, dum cognitio sumit objectum in se. *Ergo* est modus conjunctionis novus et diversus. *Ergo* et possessio nova et diversa; hinc nova ratio beatitudinis.

c) Amicitia manet in cœlo, quia "Charitas nunquam excidit" I. Cor. xiii. 8.— *Atqui* amicitia est conjunctio satians desiderium voluntatis ideoque et beans. *Ergo.*

PARS III. BEATITUDO CONSECUTIVE IN GAUDIO ET QUIETE CONSISTIT.

ARG. 1. Quies et gaudium sunt naturalis quædam resultantia ex fine adepto. *Ergo* erit potissimum in fine ultimo adepto. — Præterea, oritur naturaliter ex satiatis desideriis. *Atqui* in beatitudine omne desiderium est satiatum. *Ergo.*

ARG. 2. Æterna beatitudo vocatur "*gaudium Domini,*" Matth. xxv. 21., Joan. xv. 11.; vocatur "*pax,*" Ps. iv. 19., II. Thess. iii. 16. *Ergo.*

Quæritur, quomodo tria illa—visio, amor, fruitio,—ad beatitudinem concurrant?

R. Distinguitur beatitudo formalis seu essentialis, integrans, consummans. Jam S. Thom. (1–2. q. 3. a. 4.) docet formalem beatitudinem seu essentialem consistere in sola visione. Sequuntur Thomistæ.—Scotus cum suis docet, consistere in amore, quum visio potius sit conditio.

—Suarez (de Ult. Fin., disp. 7. sect. 1. nn. 29. 31. 36. 42.) docet, consisterein utroque.—Lessius (de Summo Bono l. 1. cc. 1. 2. etc.), citans Molinam pro se et Valentiam, docet consistere in triplice illo momento. Videtur sententia P. Suarez probabilior; alio enim modo intellectus, alio modo voluntas transmutat animam et assimilat Deo. — Præterea, sicut duplex est cognitio—altera viæ per abstractionem, altera termini per visionem; ita et duplex amor—alter viæ cum desiderio et tendentia, alter termini, amor possessionis; v. g., mater amat infantulum, si non adsit, desiderando; si adsit, possidendo. — Ceterum tota lis, teste ipso Suaresio, habet plus nominis, quam rei.

DE VISIONE INTUITIVA.

Intellectus creatus est intellect. analogicus ad Dei intellectum, sicut totum esse creatum analogicum est. Quum vero cognitio sit assimilatio ad objectum, hæc vero assimilatio sequatur naturam facultatis, patet cognitionem esse tantum analogicam, ideoque intellectum creatum posse assimilari Deo tantum secundum quamdam analogiam. Hæc vero analogia non tantum actum respicit sed ipsum etiam objectum; hinc objectum ipsum analogicum ad Deum esse debet, unde sequitur, intellectum naturali sua vi non posse videre Deum, ut est in se, sed ut est seu apparet in objecto aliquo analogo.

PROPOSITIO III.

Ad visionem Dei intuitivam necesse est, intellectum elevari per lumen gloriæ tanquam adjutorium supernaturale.

St. Q. 1. Quidquid oculo revelat objectum sensibile, vocatur lumen. Quum vero ab ordine sensibili transferantur expressiones ad ordinem spiritualem, vocatur analogice lumen intellectus, quod objecta intellectui manifestat. S. Thom. (cg. iii. 53.)

Hinc quando objectum se manifestat, vocatur lumen; Eph. v. 13.: "Omne quod manifestatur, lumen est." Hinc philosophi prima principia vocant lumen, *pro se*, quatenus semetipsa manifestant, i. e., immediate evidentia sunt; *pro aliis* quatenus in illis latent, v. g., conclusiones. Deus est lumen, quatenus se sibi et alia a se sibi manifestat, et fons omnis intelligibilitatis est. Cognitio Dei vocatur lumen; gratiæ ad cognitionem juvantes—revelatio, Script. S., etc.

2. Quum triplex sit cognitio, triplex lumen: intellectuale (naturale), pro statu naturæ; supernaturale fidei, pro statu gratiæ; *gloriæ*, pro statu beatitudinis.

Arg. 1. Ex Conc. Viennensi. Inter alios errores Beguardorum et hic damnatur, "animam non indigere lumine gloriæ ipsam elevante ad Deum videndum et eo beate fruendum." *Ergo* verum est, animam indigere.

Arg. 2. Visio intuitiva est supernaturalis, est enim fundamentum beatitudinis supernaturalis; *atqui* ad actus supernaturales non sufficit sola facultas naturalis, sed adjuvari debet. *Ergo.*

Arg. 3. Cognitio per fidem postulat elevationem intellectus. *Ergo* a fortiori cognitio per visionem.

Arg. 4. Intellectus vi sua naturali attingere Dei essentiam non potest (vide supra). *Ergo* ut illam attingat juvari debet. *Atqui* tale adjutorium, quum sit in ordine intellectivo manifestativum Dei, recte vocatur lumen,—quumque sit in ordine ad beatitudinem, recte vocatur lumen gloriæ. *Ergo.*

Obj. 1. Nulla est proportio inter infinitum et finitum. *Atqui* intellectus quantumvis elevatus manet semper finitus. *Ergo.*

R. Non est proportio entitatis *C.*—est enim finitum analogum tantum ad infinitum; proportio autem entitativa supponit univocum:—non est proportio habitudinis, i. e., qualis est inter objectum et vim cognoscit. *N.* Angelus potest cognoscere lapidem; unde patet non requiri ad cognoscendum proportionem secundum entitatem. Nihilominus habitudo certam quamdam proportionem in analogia supponit: ita ut, secundum analogiam saltem, intellectus cum Deo sit in eadem quasi specie. Explicatur magis altera objectione.

Obj. 2. Major est distantia inter Deum et intellectum (elevatum), quam inter angelum et oculum corporeum. *Atqui* quantumvis elevetur oculus corporeus, nunquam poterit videre angelum. *Ergo.*

R. Dist. Maj. Secundum entitatem est major distantia *C.*; secundum relationem, quæ est inter objectum et facultatem *N.*

Expl. Objectum intellectus duplex: verum ut adæquatum, et verum ut proportionatum.— Jam sub priore respectu, Deus etiam cadit sub objectum intellectus, non autem sub altero respectu. Quum vero objectum oculi tantum visibile sensitivum sit, angelus vero *nullatenus* cadat sub hoc objectum, patet oculum corporeum nullatenus posse elevari ad videndum angelum; sicut nec elevari potest oculus ad videndos sonos, qui sunt extra ejus objectum formale.

Coroll. *Ergo* est in intellectu potentia quædam inchoativa, quæ non quidem naturaliter, sed supernaturaliter impleri potest. Ut naturalis enim, est completa quoad omnia, quæ habere debet, ut possit suum objectum attingere.—Inchoativa potentia est, quatenus cognitio abstractiva ejusdem objecti aliquam quasi affinitatem habet ad cognitionem intuitivam.

DE NATURA LUMINIS GLORIÆ.

1. Anomœi et Armeni sæc. XIII. contendebant, Deum ne supernaturaliter quidem videri posse in se, sed aliquam lucem a Deo emanare increatam, qualem viderunt Apostoli in monte Thabor. Hanc esse lumen gloriæ in quo Deus appareat ut Theophania quædam. Falsa sententia: quomodo enim lux increata emanare potest? Generatim, quid est lux spiritualis, Deum ut quædam quasi atmosphæra luminosa circumdans? Quamvis enim ita soleat cogitari, ut sol quidam, correctio tamen adhibenda est.

2. Lumen gloriæ non est visio Dei illapsa in animam vel communicata; nec tale quid est, ut anima quasi assumatur a Deo, ut participet actum increatum Dei. Ipse enim intellectus videt et agit, non se habet passive; actus denique ejus vitalis est et immanens.

3. Lumen gloriæ non est ipsa visio. Nam Concil. Vienn. docet, elevari intellectum ad videndum; elevatio autem præcedit visionem.

4. Neque est species intelligibilis; hæc enim non elevat intellectum, sed jungit objectum intellectui; præterea, in visione Dei (ut postea) non est species intelligibilis.

5. Est igitur lumen gloriæ virtus supernaturalis, a Deo per modum habitus superaddita intellectui eique inhærens, ita ut intellectus ita lumine gloriæ informatus novum fiat principium intelligendi, seu videndi Deum.

N. B. *Habitus*—permanens et inhærens; quamvis enim Deus possit transeunter qualitatem infundere intellectui ad unum actum, ut, v. g., visione Dei pro momento tantum sanctus aliquis fruatur; cum tamen hic agatur de statu, qualis illa, permanens sit oportet.—Præterea, externo tantum auxilio supernaturali posset Deus supplere lumen gloriæ, quemadmodum externo auxilio supernaturali supplet habitum fidei ad credendum supernaturaliter in eo, qui habitum illum nondum habet.

PROPOSITIO IV.

Lumen gloriæ est donum Dei permanens, quo informatus intellectus supernaturaliter assimilatur intellectui Divino ad immediatam visionem Dei.

St. Q. Lumen gloriæ definitur: Qualitas fixa et permanens a Deo in intellectu producta, corroborans intellectum ad cognoscendum simpliciter (non ad melius cognoscendum, quod fit per habitum naturalem).

PARS I. *Debet complere ut habitus.*

ARG. 1. Deus etiam in ordine supernaturali agit accommodando se naturæ. Hinc argumentum:

Connaturale est potentiæ ad suos actus eliciendos, præsertim permanentes, compleri complemento intrinseco et permanente. *Ergo* et connaturale est intellectui compleri tali complemento pro ordine supernaturali. *Atqui* lumen gloriæ est tale complementum. *Ergo.*

ARG. 2. Visio intuitiva, quæ procedit ab intellectu et lumine gloriæ, est actus immanens vitæ perfectissimæ. *Atqui* talis actus procedit etiam a potentia vitali et quidem completa in ratione vitæ. *Ergo* et visio intuitiva procedit a principio vitali intrinsece completo; *ergo* et intellectus et lumen gloriæ complent se ad unum principium intrinsecum totale. *Atqui* solus habitus potest potentiam aliquam ita complere. *Ergo* lumen gloriæ datur per modum habitus.

Expl. Vita in eo est, ut principium se moveat ab intra; hinc motus seu actus procedens ab intra supponit principium intrinsece completum, principium vitale.

ARG. 3. De lumine gloriæ judicandum est sicut de aliis virtutibus infusis fidei, spei, charitatis. *Atqui* hæ virtutes complent intrinsece per modum habitus. *Ergo.*—Præterea, lumen gloriæ succedit in locum habitus fidei. *Ergo* et complet sicut habitus fidei.

PARS. II. *Habitus ille debet facultatem reddere similem intellectui divino.*

ARG. 1. Lumen gloriæ informat intellectum, ita ut novum principium totale oriatur, quod possit actum similem visioni illi, quam Deus habet, producere. *Atqui* similis actus postulat simile principium. *Ergo* et principium totale informatum lumine gloriæ debet esse simile intellectui Divino. *Atqui* ratio hujus similitudinis est lumen gloriæ. *Ergo* lumen gloriæ in sua natura habet similitudinem aliquam cum intellectu Divino.

Expl. Omne, quod ex potentia intellectûs educitur, est simile ipsi intellectui, præsertim si habitus sit, qui etiam nova natura est. Similiter quod ipsi intellectui infunditur, sive educitur ex potentia obediential, sive alio modo infunditur (de quo in tractatu *de Gratia.*)

Cfrm. Actus repræsentat principium suum totale. Sed actus est visio intuitiva Dei repræsentans et intellectum et lumen gloriæ. *Ergo*

lumen gloriæ debet esse in ordine intelligibili intuitivæ visionis; quæ quum per sese tantum Deo competat, lumen gloriæ, quod facit illum actum etiam possibilem in intellectu creato, debet esse aliquod divinum participative; ut quidem aliquid, quod ad intellectum divinum pertinet.

Quæritur 1. Quæ sit natura luminis gloriæ?

R. Non est quid intrinsece vitale, sed est habitus tantum complens vim vitalem. Si enim esset aliquid vitale, deberet esse in aliqua specie vitæ, sive ut substantia *ut quod*, sive ut facultas *ut quo*. Jam vero non vivit *ut quod*, quia non est substantia; non vivit *ut quo*, quia si esset facultas *vivens ex se*, ageret immanenter supernaturaliter, intellectus naturaliter. Jam vero non apparet, quomodo una tunc vita oriri possit.

Coroll. 1. *Ergo* lumen gloriæ non accepit in se visionem, ut Nominales volunt. Etenim actus vitalis non recipitur sed producitur; lumen gloriæ vero non producit actum, quum non vivat. *Ergo.*

Coroll. 2. *Ergo* etiam intellectus immediate influit in ipsam visionem. Dominicani (Gotti tract. 3. q. 4. dub. 3.) docent, lumen gloriæ immediate, intellectum vero mediate tantum influere. Sed plane falso. Nam visio est actus vitalis et immanens in sese. *Atqui* lumen gloriæ non vivit. *Ergo* non potest vitam habere a lumine gloriæ.

Coroll. 3. *Ergo* intellectus et lumen gloriæ, licet duo principia, agunt nihilominus ut unum; hinc non partialitate effectus, sed partialitate causæ.

Expl. Si effectus compositus a pluribus causis producitur, pars una potest respondere huic causæ et non alteri; in hoc casu est partialitas tum in effectu tum in causa. Si effectus est unus et indivisibilis, nihilominus a duobus principiis conjunctis, non est quidem partialitas in effectu, est vero in causis; v. g., magister imponit manum suam manui discipuli ad scribendum; scriptio est una et indivisibilis, respondens tota manui magistri et tota manui discipuli;—hinc nulla partialitas in effectu, sed in causa tantum. Nihilominus in tali effectu simplici possunt formalitates distingui, secundum quas effectus magis respondet huic et non alteri. Simili modo se habet visio relate ad intellectum et lumen gloriæ.

Quæritur 2. Quale sit munus luminis gloriæ?

R. Reddit intellectum aptum ad videndum Deum infinitum. Ad hanc autem aptitudinem tria momenta concurrunt: 1.— *Elevatio*, i. e., facit intellectum eo ipso quod illum informat, similem Deo et quidem similem Patri, in quantum Pater intelligendo producit Verbum.

2. *Expansio.* Expandit capacitatem mentis. Lessius (de Sum. Bono l. 2. c. 8. n. 52.) comparat cum expansione interna vasis: "sicut si uter, qui per se tantum sit capax unius amphoræ ita interius extendatur et dilatetur, ut possit intra se amplecti totum Oceanum." Melius ita (ex eodem Lessio): "Si oculus intra orbitam suam visivam, seu horizontem, omnia potest angusta imagine amplecti, potest etiam ita interne secundum vim suam visivam extendi, ut possit majorem horizontem

amplecti. Simili modo intellectus quoad suum intuitum expanditur ita, ut possit ipsum Deum in se suscipere."

3. *Concursus* ad actum ipsum. Intellectum sic elevatum et expansum juvat ad actum. (Cf. tot. caput citat.)

DE CONCURSU ESSENTIÆ DIVINÆ.

PROPOSITIO V.

Ad actum visionis intuitivæ essentia Divina concurrit ut objectum, non per speciem sui vicariam (impressam), sed semetipsum immediate uniendo intellectui.

St. Q. Tempore S. Thom. fuit communior; nunc ab omnibus theologis assumitur. — Duplici modo potentia objecto uniri potest: primo quando objectum ita intellectui præsens est et assistit, ut in actionem per se influat, sicut actio et reactio. Etenim in processu cognitionis totus actus actione et reactione completur. Unit se igitur per sese, non per formam sui vicariam, facultati; agitque per modum comprincipii juvantis, non per modum formæ informantis, ut volunt Thomistæ. Secundus modus unionis est per speciem; i. e., species objecti unitur intellectui ut vere forma informans. Objectum vero unitur tantum per speciem tanquam suum semen seu instrumentum.

Arg. Species est superflua. *Ergo* rejicienda.

Prob. Ant. Species ponitur ad supplendum vel absentiam objecti vel impotentiam objecti, i. e., quando objectum non est satis purum et intelligibile, ut jungere se per se possit intellectui. *Atqui* neutrum obtinet in Deo, quum essentia Dei sit satis præsens intellectui,—est enim Deus intimior nobis nostro intimo; præterea, est actus purus et ipsum lumen et intelligibilitas; intellectus denique est lumini gloriæ proportionatus. *Ergo.*

Expl. Quum Deus omnia præsentia sua pervadat, nulla est distantia inter essentiam divinam et intellectum; imo species impressa non est magis præsens quam essentia Dei. Si ergo intellectus sit proportionatus, Deum immediate videre debet. — Accedit, quod Deus est immediatum principium entis ut possibilis; quod ens Deum immediate imitatur; non igitur apparet impossibile, cur tale ens quoad esse physicum, si hoc præterea fuerit elevatum, non possit jungi cum Deo, etc. — Accedit, quod Deus ratione concursus sit concausa actionis; *ergo* potest et esse concausa, quatenus objectum. — Denique, debet posse Deus per se, quod potest per causam secundam; sed causa secunda foret species impressa. *Ergo.*

PROPOSITIO VI.

Intellectus videns Deum producit verbum, quod est species expressa essentiæ divinæ.

St. Q. Est contra recentiores Thomistas, qui post Cajetanum negant, produci verbum.

Arg. 1. Visio Dei, est actio intellectualis seu productio. *Atqui* nulla productio sine producto; productum autem intellectuale est verbum. *Ergo* intellectus videndo Deum producit verbum.

Arg. 2. Id quod facit intellectum formaliter cognoscentem est verbum. *Atqui* per visionem fit intellectus formaliter cognoscens. *Ergo.*

Arg. 3. Intellectio est assimilatio ad objectum. *Ergo* ipsa actio est assimilatio et similitudo quædam inchoata. *Atqui* similitudo inchoata tendit ad similitudinem completam—quæ est verbum. *Ergo* ex ipsa sua natura intima verbum pertinet ad intellectionem. *Atqui* natura intellectionis non mutatur in visione intuitiva. *Ergo.*

Coroll. 1. Si similitudo speciei expressæ seu verbi admittenda est, et sententia hæc videtur certa,—non apparet, quomodo repugnet similitudo in specie impressa; seu cur Deus non possit absolute etiam speciem impressam suæ essentiæ producere. Cf. Platel. (t. 1. de Deo, c. 16. n. 45.).

Coroll. 2. Lessius (de Sum. Bono, l. 2. c. 7. n. 40.) recte ponit hæc tria in visione spectanda: 1.—Substantia visionis, i. e., id quod proprie visio est et efficit; 2.—productio visionis et dependentia a subjecto producente; 3.—receptio in anima tanquam subjecto. Jam "substantia visionis non est modus aliquis tenuis, sicut in corporibus figura, sed solida qualitas et veluti pictura et imago objecti, quæ ab Augustino verbum mentis dicitur. Hæc totam animam penetrat ac pingit eamque objecto assimilat; sicut species colorum ope luminis ab objectis in aerem diffusæ ipsum variis coloribus et figuris pingunt et viridem, flavum, cæruleum, rubrum, etc., miro modo efficiunt, etsi ob tenuitatem non videantur nisi quum certa ratione corpore denso et candido e regione opposito excipiuntur. . . . . Productio visionis fit a substantia vivente, a qua ita procedit, ut ab illa assiduo dependeat, sicut lumen solis in aere procedit a sole ut continenter ab eo dependeat et conservari debeat. Receptio fit in eadem substantia, a qua procedit." Recte igitur Lessius (de Sum. Bono, l. 2. c. 8. n. 44.) declarat: "Lumen istud est suprema quædam irradiatio et participatio lucis illius, qua Deus seipsum videt, per quam intellectus ad statum divinum elevatur et fit deiformis."

PROPOSITIO VII.

Quum visio intuitiva fiat per potentiam obedientialem activam, sequitur esse in omnibus beatis ejusdem speciei essentialis.

1. *Fit per potentiam obedientialem.*

Arg. Intellectus non in sua potentia naturali sed tantum elevabili habet possibilitatem actus visionis intuitivæ. *Atqui* potentia elevabilis activa est potentia obedientialis activa. *Ergo.*

2. *Est omnibus beatis essentialis.*

Arg. Licet intellectus hominum et angelorum sit specifice diversus in quantum naturalis, tamen in visione beatifica agit non secundum naturalia, sed secundum quod supernaturaliter elevatus est. *Atqui* elevabilitas supernaturalis non est diversa secundum species, sed est una tantum pendetque ejus gradus tantum a Deo. *Ergo* angelicus intellectus et humanus ut elevatus *non* differunt specie. *Atqui* actus visionis procedit ab intellectu ut elevato. *Ergo* non differt specie.

Cfrm. Matth. xxii. 30. dicuntur homines beati æquales angelis. *Atqui* non forent æquales angelis in cœlis, si angelorum beatitudo foret specifice diversa. *Ergo.*

Coroll. 1. *Ergo* omnis diversitas in beatitudine est quoad gradus ejusdem speciei.

Coroll. 2. *Ergo* melior intellectus cum eodem lumine gloriæ non habet meliorem visionem; hinc angelus cum eodem lumine gloriæ, quod habet homo, non melius cognoscit et exprimit sua cognitione Deum, quam homo.

PROPOSITIO VIII.

Visio intuitiva in cœlis inæqualis est. (est de fide.)

St. Q. 1. Per se et absolute non repugnat, esse æqualem, quia in infantulis quibus datur ut titulo hæreditatis, æqualis est. Ubi autem datur titulo mercedis, i. e., in adultis, inæqualis est.

2. Jovinianus, Stoicismo addictus, voluit omnium hominium merita et demerita æqualia, ideoque et beatitudinem et supplicia. Hunc S. Hieron. duobus libris c. Jovin. refutavit. — Lutherus, docens non per

merita propria sed secundum imputationem justitiæ Christi beatitudinem donari, consequenter censebat in omnibus esse æqualem beatitudinem.

Arg. 1. I. Cor. xv. 41–42. docet Apostolus, ut stella differat a stella in claritate, ita etiam beatos post resurrectionem. *Atqui* corporum beatorum diversa claritas, de qua proxime sermo, correspondet claritati animæ, quæ est etiam ex lumine gloriæ. *Ergo.*

Arg. 2. Florent. (sess. ult.) definivit, "beatos intueri Deum sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius." Item Trident. (sess. 6. cap. 16. can. 32.) damnat eos, qui negant, per bona opera mereri "*augmentum gloriæ.*"

Arg. 3. Secund. S. Thom. (1. q. 12. a. 6.), ubi amor Dei major est, ibi et desiderium majus Deum videndi. *Atqui* desiderium dilatat capacitatem, lumen autem gloriæ datur secundum mensuram capacitatis et præparationis in subjecto. *Ergo* ubi amor major ibi et lumen gloriæ in intellectu majus. *Atqui* amor est diversus in diversis. *Ergo.*

DE OBJECTO VISIONIS.

Duplex actus cognitionis: prior, beatificans—est visio intuitiva—actus primarius; alter, cognitio secundaria, est cognitio rerum in se. Jam quoad actum primarium, duplex objectum: *primarium*, essentia divina, objectum materiale et formale simul; alterum *secundarium*, i. e., ea quæ videntur in essentia, v. g., creaturæ.

I. De objecto primario.

PROPOSITIO IX.

Deus a nullo intellectu creato, quantumvis adjuto lumine gloriæ, comprehendi potest.

St. Q. 1. Comprehendere est æquare cognoscibilitatem, tam extensive; quam intensive, i. e., comprehensione omnia ea cognosci debent, quæ res est in se, et quæ manifestare potest, hinc quæ continet secundum virtutem et æquivalentiam; præterea ea claritate, qua res et se et alia manifestat.

2. Homines in terris vocantur viatores, in cœlis *comprehensores.* Ratio est, quia Apost. I. Cor. ix. 24. dicit: "sic currite ut *comprehendatis*," i. e., ut finem vestrum ultimum apprehendatis, quantum fieri potest. (Cf. S. Thom. 3. q. 10. a. 2. ad 3.)

Arg. 1. Conc. Later., sub Innoc. III. (1204), in cap. "*Firmiter:*" "Firmiter credimus et simpliciter confitemur, quod Deus est immu-

tabilis, incomprehensibilis, ..." Unde ita: His verbis definit Conc. eodem modo esse Deum incomprehensibilem, quo sit immutabilis. *Atqui* est immutabilis absolute; *ergo* et incomprehensibilis: nec per omnipotentiam Dei fieri potest, ut comprehendatur.

Arg. 2. *Ex Ratione.* Comprehensio definitur cognitio adæquans cognoscibilitatem objecti. *Atqui* in Deo est cognoscibilitas infinita. *Ergo* et comprehensio esset cognitio infinita, quam intellectus finitus habere non potest.

Coroll. 1. *Ergo* totus Deus concipitur, quia est simplicissimus; non tamen totalis, i. e., non secundum omnes gradus virtualiter contentos in se ullo aliquo attributo penetrari nec secundum claritatem, qua lucet, æquari potest.

Coroll. 2. *Ergo* intelligibilitas Dei est virtualiter divisibilis. Singula attributa habent cognoscibilitatem propriam, quæ quum sint in sua ratione infinita possunt videri secundum varios gradus.

Scholium. *Quænam in Deo videri possint.*

1. Omnes videntes Deum vident omnia attributa formaliter in Deo existentia. Videre enim Deum sicut in se est, supponit et postulat ut videantur quæ Deum constituant et quæ cum eo identificentur; sicut impossibile est, videre humanam naturam in Petro et non videre essentialia prædicata. Non autem necesse est, videri attributa per modum plurium, sed sufficit videri in simplice essentia.

2. Videntur etiam necessario relationes, i. e., personæ, ita ut ipsa Dei omnipotentia hoc impedire non possit; est contra Scotistas, etiam P. de Rhodes, qui censent, sicut natura possit dari a Patre Filio sine personalitate Paternitatis, ita posse et videri naturam sine personalitate. Falsum tamen hoc: qui enim videt Deum in se, certe et subsistentiam videre debet; sicut qui videt hominem in se, videt et tria principia, — vegetativum, sensitivum, intellectivum. Cf. Suarez (de Deo Uno p. 1. cc. 22. 23. Nouet.)

3. Non est necessarium, beatos videre in libera Dei voluntate libera decreta omnia; possunt tamen aliqua videre, quæ ad desideria legitima (de quibus post) referuntur.

II. De objecto secundario, seu de visione creaturarum in Deo.

PROPOSITIO X.

Beati vident creaturas alias in Verbo tanquam in speculo voluntario; alias vident extra Verbum vi status beatitudinis; omnes tamen in esse proprio et formali.

St. Q. 1. Thesis habet tres partes: 1. Videntur creaturæ in Verbo; 2. aliquæ etiam extra Verbum; 3. omnes tamen in esse proprio.

2. *Verbum* duplex in divinis: *essentiale*, i. e., ipsa essentia divina, ut relationem habet ad creaturas secundum omnipotentiam, sapientiam, artem, etc. In hoc verbo et Filius quoque et Spiritus S. vident creaturas. Vocatur igitur verbum, quia et Filio et Spiritui S. et beatis creaturas manifestat, hinc et Filius et Spiritus S. et beati creaturas in essentia Divina quasi dicunt. Alterum verbum est Verbum *notionale*, Filius Dei, secunda persona. Jam contendimus beatos in utroque verbo videre creaturas—*tum possibiles, tum existentes.*

3. Creaturæ habent in Deo esse *eminentiale, causale, formale* (repræsentatio). Sub ultimo respectu essentia divina seu verbum est speculum.

4. Speculum voluntarium, i. e., quum essentia divina illabatur in ipsum intellectum supplens vires speciei impressæ, *pro voluntate* Dei vario modo influit, excitando intellectum ad has videndas, alias non videndas.

Pars I. *Videntur creaturæ in Verbo.*

Arg. 1. Concil. Senonense definivit (can. 13.): "Beatis pervium esse universum illud divinitatis speculum, in quo quidquid eorum intersit, innotescat." — Unde ita: Divina essentia dicitur speculum, in quo beati videre possint quidquid scire eorum intersit. *Atqui* multas creaturas scire eorum interest. *Ergo* vident eas in div. essentia ut speculo. *Atqui* in hac essentia Filius et Spiritus S. vident creaturas tanquam in Verbo. *Ergo* etiam beati in ea tanquam in Verbo vident creaturas.

Neque solum in essentia Dei tanquam in verbo essentiali, sed etiam in Verbo notionali, seu in Filio, beati creaturas vident. Nam Verbum specialiter repræsentat creaturas ex eo, quod procedens per intellectum repræsentat etiam quod est in intellectu Patris. *Atqui* beati vident clare Verbum; *ergo* etiam videre possunt, quæ in Verbo repræsentantur.

Arg. 2. S. Aug. (Conf. l. 13 c. 15.): "Vident [beati] faciem tuam semper et ibi legunt sine syllabis temporum, quid velit voluntas tua."

S. Bernardus (de Consid. l. 5. c.): "Beatus videt Verbum et in Verbo facta per Verbum."

Essentia divina est speculum voluntarium.

Arg. Ratio speculi pendet ab applicatione essentiæ. *Atqui* hæc Deo voluntaria et libera est. *Ergo* essentia Dei est speculum voluntarium.

Coroll. *Ergo* falsa sententia Durandi, dicentis posse beatos, si vel-

lent cognoscere aliquod objectum speciale, pro lubitu applicare essentiam divinam.—Falsa etiam sententia eorum, qui censent, num hoc vel illud objectum cognoscatur, num plura vel pauciora, pendere a quantitate luminis gloriæ. Quamvis enim quo majus lumen gloriæ sit, eo melius applicetur essentia divina ideoque et plura objecta videantur, proxime tamen omnis determinatio ad hoc vel illud objectum, ad plura vel pauciora objecta, fluit ex essentia divina a Deo pro voluntate sua applicata.

Pars II. *Sunt præterea et alii actus cognitionis secundarii.*

Arg. Ex S. Aug. (Trinit. c. 16.)

"Volubiles non erunt cogitationes nostræ ab aliis in alias euntes atque redeuntes, sed omnem scientiam nostram uno simul actu videbimus."— Unde ita: Quæ in Deo vident beati, vident omnia simul ab initio, ita ut crescere hæc visio non possit. *Atqui* de facto crescit cognitio in beatis. *Ergo* debet alia esse cognitio præter cognitionem beatam.

Prob. min. Angeli discunt, ut patet ex tractatu *de Angelis.* — Præterea, angeli nesciunt diem judicii — postea autem habito judicio sciunt; nesciunt, qui sint salvandi ex hominibus — postea sciunt. — In Apocal. vii. 3. vetantur angeli destruere terram, quia nondum omnes electi fuerunt designati.—Distinguitur præterea in angelis cognitio matutina et vespertina, etc. *Ergo.*

Pars III. *Omnia videntur in esse proprio, non analogo.*

Arg. 1. In speculo objecta videntur in esse formali. *Atqui* essentia Dei est speculum. *Ergo.*

Arg. 2. Cognitio beatorum est exemplata a cognitione Dei. *Atqui* cognitio Dei attingit omnia in esse proprio. *Ergo.*

Arg. 3. Intelligibilitas infinita Dei est talis, ut non tantum Deum ipsum sed omnia alia Deo intelligibilia reddat secundum esse proprium. *Atqui* hæc eadem debet et beatis omnia reddere intelligibilia. *Ergo* etiam secundum esse proprium intelligibilia omnia reddet.

Obj. Deus est independens a creaturis. *Ergo* non possunt creaturæ videri in Deo.

R. Dist. Ant. Deus est independens ut causa ab effectu, homo ab umbra sua *C.*; est independens eo sensu, ut ipsæ creaturæ nullum nexum dicant cum Deo, et Deus nullum nexum causativum *N.*

Quæritur 1. Quænam objecta videantur in Deo?

1. Objecta, quæ in Verbo videntur, eadem etiam extra Verbum vi-

deri possunt: in Verbo videntur scientia matutina; extra Verbum, scientia vespertina.

3. Objecta, quæ mutationem in scientia efficerent, non possunt videri in Verbo. (Sententia probabilior, quum alii contrarium defendant.)

3. Ratio determinans, quæ de facto videantur, est

a) *Amicitia* cum Deo. — Amicitia vera postulat, ut consilia saltem non omnia celentur; ut amicus non celet mysteria, saltem quæ naturam tangunt, etc.

b) *Status beatitudinis.*—Omne justum desiderium debet impleri. Justum autem illud est desiderium, quod fundamentum habet in via. Fundamentum autem in via est

α) Status *universalis*,—ut pars physica universi debet intelligere universum physicum.

β) Status *socialis*—secundum dignitatem, v. g., S. Pontif. debet cognoscere fata Eccl.; rex fata nationis; pater fata familiæ, omniumque liberorum.

γ) Multiplex nexus amicitiæ.

δ) Status supernaturalis religionis: quæ quis credidit hic, ea in cœlo videbit.

c) Communio sanctorum; sanctus hominum preces, etc., debet nosse.

Quæritur 2. Num remaneat scientia in via acquisita, et habitus?

R. Scientia *manet*, sed ita ut falsitas et obscuritas tollatur, et ideæ sint independentes a phantasmate.—Habitus mali exstinguuntur.

Scholium *num viator aliquis Dei habuerit vis. intuit. transeunter?*

R. S. Thom. (1. q. 12. a. 2., et 2–2. q. 175. a. 3.) docet, Moysem, qui fuerit magister Judæorum, et Paulum, qui fuerit magister gentium, Deum vidisse transeunter secundum essentiam. Multi sequuntur Thomistæ, Bannez, Nazarius, etc.; alii vero, ut Sylvius, recedunt a S. Th. Communis sententia negat; Salmeron., Jansen. Gandav., Toletus, Estius, a Lapide, Bonfrerius, Vasq., Petav., etc. S. Aug. licet in opere *de Gen. ad lit.* (l. 12. cc. 27. et 28.) asserat Moysen et Paulum vidisse Deum vis. intuit., tamen *de Trin.* (l. 2. c. 16.) et alibi aperte negat.

Rationes sententiæ *negantis* sunt:

Joan. i. 17–18.: "Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est. Deum nemo vidit unquam; unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit nobis." — *Ergo* fit mentio Moysis, qui legem dedit; et asseritur non vidisse Deum.—I. Timoth. vi.: "Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest."

Objiciunt adversarii. Num. xii. 8.: "Ore enim ad os loquar ei, et palam et non per ænigmata et figuras Dominum videt."

R. Videatur Exod. xxxiii. 11–20.: "*Non poteris videre faciem* meam; non enim videbit me homo et vivet." . . . (22.) Quum transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ (23) . . . faciem meam videre non potes."—Vidit igitur Moyses Deum vel in corporali specie, in quo transit, non enim transit secundum essentiam, vel in angelo repræsentante.

Simili modo Jacob, Gen. xxxii. 30.: "Vidi Deum facie ad faciem,"—vidit, ut ait ipse S. Thom. (1. q. 12. a. 11. ad 1.), ad figuram, in qua Deus repræsentabatur, quod et patet ex tota illa historia.

Præterea, quando S. Paulus dicitur raptus in cœlum tertium et audivisse verba arcana,— profecto nullatenus sequitur, quod Thomistæ volunt, S. Paulum vidisse Deum, ut est in se.

Certe si concedenda fuisset, concessa fuisset visio intuitiva B. Virgini; sed nec pro hac assumptione fundamentum solidum est. Animam Christi vidisse Deum intuitive, patet per se.

Quæritur 3. Quid in genere PP. de visione intuitiva?

Si qui PP. negare videntur possibilitatem visionis intuitivæ, possunt explicari vel de visione comprehensiva, vel de naturali possibilitate. Solus Theodoretus non facile ab errore excusatur, quum dicit: "Angeli *non vident* divinam substantiam, quæ nec circumscribi, nec comprehendi, nec mente percipi potest .... sed speciem quamdam [vident] ipsorum naturæ accommodatam." Alii eum excusant, probantes, Theodor. alibi *clare* docere vision. intuit.; sed hic eum agere contra Eunomium dicentem, Deum et videri, et quum sit simplicissimus, etiam comprehendi.—*Species* igitur, de qua Theodoret., esset in hoc sensu applicatio essentiæ Dei, i. e., quatenus se aperiat angelis.

Quæritur 4. Num ex ratione possit probari possibilitas visionis intuitivæ?

R. N. Est enim plane supernaturalis; hinc potest quidem comprobari, postquam fuit revelata, non autem simpliciter probari.

De Amore Beatifico.

Adesse hunc amorem probatum est; esse etiam continuum, patet; beati enim "requiem non habent, sed die ac nocte clamant, Sanctus, Sanctus, Sanctus" Apoc. iv. 8. Hinc S. Aug. (de Civ. Dei, l. ult. c. ult.): "Deus sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur."

PROPOSITIO XI.

Beati amant Deum necessario, idque ita, ut naturaliter exercitium actus omittere non possint.

Arg. Ad necessitatem et constantiam amoris requiritur 1. ut nullum bonum melius inveniri possit; 2. ut hoc bonum sit recte applicatum; 3. ut voluntas habeat internam destinationem ad hoc bonum; 4. ut omissio actus non possit apparere ut aliquod bonum. *Atqui* hæc quatuor obtinent in amore beatifico. *Ergo.*

Major patet ex Philos. et Ethica;— probatur etiam in probatione minoris.

Prob. min. 1. Bonum est infinitum, omne bonum creatum desiderabile eminenter in se continens. *Atqui* quo perfectius bonum est, eo magis movet ad sui amorem, modo fuerit bene applicatum. *Ergo.*

2. Est autem rite applicatum: nam *a*) objectum in intellectu fit maxime præsens; magis enim præsens fieri non potest, quam si per se sine specie vicaria præsens fit. *b*) Tanta necessitate fit præsens, ut voluntas intellectum a sua visione avertere non possit. *c*) Tanta claritate fit præsens, ut nullum judicium, nulla idea falsa et erronea cum hac visione stare possit.

3. Voluntas quamvis sit libera quoad media, non est tamen libera quoad finem suum ultimum—objectum suum formale, quod in Deo simul reale est; præterea, est etiam amor voluntati per gratiam elevatæ proportionatus, licet finis supernaturalis sit.

4. Omissio vero actus non potest proponi voluntati sub specie boni alicujus. *Ergo* nec potest voluntas eam eligere.

Coroll. 1. Oritur ergo necessitas amoris ex ipsa visione beatifica. Vid. Suar. (de Deo ut Fine Hom. p. 1. disp. 9. nn. 1. 2.).

Coroll. 2. Hinc patet etiam voluntatem esse *ideo* impeccabilem. Non enim intelligitur, quomodo voluntas possit sub alio respectu secundario Deum odio habere.

Quæstio, num et virtutes remaneant voluntatis?

R. Possunt in patria manere virtutes voluntatis per se infusæ, dona Spirit. Sancti ad voluntatem spectantia,—imo etiam habitus appetitus sensitivi, quia in patria sunt etiam sensibiles delectationes rectæ rationi subordinatissimæ. vg. musica.

De Fruitione et Gaudio.

Fruitio et gaudium est unum idemque. Est autem gaudium illud duplex: alterum *amicitiæ*, quatenus gaudet de bonis Dei tanquam de bonis summi amici. Illud gaudium manat ab habitu charitatis. Aliud gaudium est amoris concupiscentiæ de propria beatitudine, secund. illud Ps. xv. 11.: "Adimplebis me lætitia cum vultu tuo." — Hujus gaudii objectum *immediatum* non est visio sola et objectum *mediatum* circa quod, Deus, prærequisita visione tanquam conditione, ut voluit Scotus: sed est ipse Deus simul cum visione tanquam unum objectum adæquatum. Ratio est, quia visio ipsa est bonum, hinc ut possessa delectat; Deus ipse est summum bonum, prius desideratum, hinc postea possessum delectat; ideoque simul sumpta delectant. Delectatio ipsa est actus supernaturalis, quia intrat in beatitudinem supernaturalem. Elicitur autem probabiliter ab habitu spei, qui manet in patria. Cf. Suar. (de Deo ut Fine Hom., disp. 9.)

Scholium *de perpetuitate beatitudinis.*

Debere esse beatitudinem perpetuam, facile patet, quia debet omnem angorem amissionis pellere, omne desiderium explere; hinc certitudinem de sorte futuræ secum ferre.

§ 4. DE PURGATORIO.

I. *Definitio.* Est locus expians in animabus justis debita pœnarum temporalium nondum soluta.

In hac definitione duo explicanda, i. e., objectum expiationis, et expiatio ipsa.

1. *Objectum*— debita pœnarum temporalium. Sunt hæ pœnæ triplicis generis: *a*) Pœnæ temporales pro peccato veniali; *b*) pœnæ temporales pro peccato mortali annexæ pœnæ æternæ; *c*) pœnæ temporales commutatæ pro pœna æterna.

Expl. Pro peccato veniali pœnas esse temporales patet; condonato vero peccato veniali, non omnis condonatur pœna temporalis; potest vero operibus pœnitentiæ solvi his in terris; quodsi non fit, solvenda est in æternitate.—Peccati mortalis pœna per se æterna; præter illam est etiam alia, præsertim si peccatum externum ordinem externum turbavit; v. g., crimen idololatriæ, mœchiæ, homicidii, etc. Poterant et hæ pœnæ, peccato jam remisso, solvi (in quantum restabant) per opera pœnitentiæ, ut patet ex pœnis publicis canonicis.—Poterat etiam pœna æterna condonari quidem, sed ita ut aliqua tamen pœna temporalis injungeretur; ut si rex condonet pœnam mortis propter aliam satisfactionem, imponat tamen aliam pœnam temporalem.

Præter *reatum pœnæ* possunt esse in anima habitus peccaminosi, a quibus anima purganda est. Imo et peccata venialia et imperfectiones peccaminosæ. Neque enim omnis anima vel plane pura, vel plane mala migrat in æternitatem. Pro his peccatis non est purgatorium, quia reatus culpæ venialis alio modo in altera vita solvendus est. Ad omnem autem culpæ condonationem requiritur agnitio culpæ et retractatio, vel in individuo, vel plurium per modum unius. Hæc vero retractatio potest fieri vel in articulo mortis, quando homo mortem acceptat a manu Dei pro peccatis suis; vel si in morte fieri non poterat retractatio, quando, v. g., subitanea erat, post mortem, si anima se dignam judicat pœna purgatorii, etc. Actus retractionis et pœnitentiæ ante mortem solvit peccatum et meritorius est; actus vero post mortem solvit peccatum, sed non est meritorius.

2. *Expiatio* pœnæ duplex: vel ipsa anima in se pœnas luit — est *expiatio propria;* vel alii in terra per opera pœnitentiæ, etc., pro pœnis satisfaciunt—*expiatio vicaria.* Ut enim Christus D. expiationem vicariam pœnæ æternæ pro omnibus hominibus exhibuit, ita possunt Christi fideles expiationem temporalem vicariam præstare propter communionem sanctorum.—De hac re alibi.

II. *Adversarii.* Aerius, qui IV. sæculo vetans orationes pro defunctis, indirecte impugnavit doctrinam saltem ex parte. Verba ejus affert Aug. (lib. de Hær. c. 53.): "*orare vel offerre pro mortuis seu dormientibus non oportet.*" Refutatus ab Ephræm Syra et Epiphanio ea potissimum ratione, *quod ejus doctrina esset nova et traditioni Ecclesiæ contraria.*

Medio ævo Albigenses, Waldenses, Hussitæ purgatorium negarunt. *Lutherus* initio dubius hæsit; postea rejecit ad sua quidem principia

consequenter, quum doceat, non tolli peccata, sed propter merita Christi non imputari; unde in artic. Smalcalcidis: "Quapropter purgatorium et quidquid ei solemnitatis, cultus et quæstus adhæret, mera diaboli larva est. Pugnat enim cum primo articulo, qui docet, Christum solum et non hominum opera animas liberare." Art. Smalc. p. 2. c. 2. § 9.—Luth. (opera edit. Walch. t. 8. p. 878.), asserit pretiosum sanguinem Christi esse auream gratiæ togam, qua induti apparemus coram Deo, qui nos propterea considerat, ac si essemus ipse Filius ejus carissimus, pleni justitia, sanctitate et innocentia.

Calvinus (Instit. l. 3. c. 5. § 6.): "Ubi peccatorum expiatio alibi quam in Christi sanguine quæritur, ubi satisfactio alio transfertur, periculosissimum silentium. Clamandum ergo non modo vocis, sed gutturis ac laterum contentione, purgatorium exitiale Satanæ esse commentum, quod Christi crucem evacuat, quod contumeliam Dei misericordiæ non ferendam irrogat, quod fidem nostram labefacit et evertit."

Protestantes hac ætate admittunt preces pro defunctis—natura enim ipsa sponte eas quasi producit: sed *a*) cum restrictione ad certa tempora, vel ad usum privatum non publicum; *b*) eo sensu ut sint publicæ ædificationi et privatæ consolationi, non autem ut apud Deum intercedatur pro defunctis. Secundum enim ipsos duplex tantum est Ecclesia, *militans* et *triumphans*. (In inferno enim non est Ecclesia). Cf. Keel (de Purg. pag. 160.)

PROPOSITIO XII.

Constat certitudine fidei, animas ceteroquin justas post mortem pœnas temporales residuas luere in purgatorio.

Arg. 1. II. Machab. xii. 43-46.

Versibus præcedentibus narratur Judas cum suis congressus esse in pugna cum exercitu Gorgiæ (v. 32.); in hac pugna ceciderunt pauci Judæi. Inventa autem sunt postea sub tunicis horum interfectorum aliqua *ex donariis idolorum*,—a quibus lex prohibet Judæos (Deuteron. vii. 25. . "*Omnibus ergo manifestum factum est, ob hanc causam eos corruisse.*" (v. 40.) . . . Omnes dein "*ad preces conversi, rogaverunt ut delictum oblivioni traderetur;*" Judas vero hortatus omnes est, ut a peccato se conservarent. (v. 42.)

(v. 43.) "Et facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene et religiose de resurrectione cogitans,

(v. 44.) (nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur et vanum, orare pro mortuis,)

(v. 45.) et quia considerabat, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam.

(46.) Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare ut a

peccatis solvantur?" (Græcus text. differt: *ὁσία καὶ εὐσεβὴς ἡ ἐπίνοια· ὅθεν περὶ τῶν τεθνηκότων τὸν ἐξίλασμὸν ἐποιήσατο, τὰς ἁμαρτίας ἀπολυθῆναι.* —Sancta et pia cogitatio; quare pro defunctis expiationem fecit, ut a peccato solverentur.). Utra lectio recta, decidi nequit; ceterum sensus non mutatur.

Quoad explicationem textus, nota 1°. *quoad librum ipsum.* Protestantes rejiciunt hunc librum ut canonicum; idem, teste S. Aug., faciunt Judæi. Ecclesia vero ut deuterocanonicum habet.*

2. *Quoad textum.* — *a*) Judæi mortui, quod ex donariis idolorum apud Jamniam cepissent, mortale quidem peccatum commisisse videntur; ideoque et morte puniti sunt. Nihilominus spes erat, ut Deus ipsis condonaverit gratiam conversionis, quia in Dei causa defendenda obierant; et ipsis versiculis 44. 45. id insinuari videtur. *b*) Dicit auctor, *nisi resurrecturos speraret, superfluum videretur orare. Ergo* videtur potius insinuare, ut possint resurgere mortui illi. Sed notandum, apud Judæos et primos christianos immortalitas animæ et resurrectio corporum erant dogmata connexa, ita ut, qui unum admitteret etiam alterum admitteret; unde sensus: qui non credit resurrecturos, is neque credit animas adhuc superstites. Credidit itaque Judas Maccab. animas adhuc superstites. Potest etiam concedi ideas de purgatorio et resurrectione, etc., fuisse tam claras, quam in N. T.—Unde:

Arg. 1. *Historicum.* Certum est ex hoc loco, si historice sumitur, viguisse eo tempore fidem, posse satisfieri pro peccatoribus, ita ut in altera vita a peccatis suis solvantur. *Atqui* hoc involvit immediate fidem purgationis in altera vita, quæ est fundamentum doctrinæ de purgatorio, atque doctrinam adversariorum falsam esse probat. *Ergo.*

Arg. 2. *Idem ex supposita inspiratione.* Spiritus S. non potest laudabilem dicere praxim, quæ immediate involvit doctrinam falsam; commendasset enim errorem. *Atqui* laudabilem dicit cogitationem interveniendi pro defunctis eosque juvandi, etc. *Ergo* verum debet esse,

* S. Hieronym. (in præfat. Paralip.): "Maccabæorum primum librum hebraicum reperi; secundus græcus est; quod ex ipsa quoque phrasi probari potest."—Videtur tamen originale hebraice scriptum.

1. Historica fides utriusque libri integra est, ut probavit Erasm. Frœlich, S. J., ex nummis, etc., in opere: "*Annales compendiarii regum et rerum Syriæ nummis Veterum illustrati.*" (Vindebonuæ 1744.)—Alius Pater S. J. idem probavit: "*De fontibus historiæ in libris Maccabæorum*, Vindebon. 1746. *Auctoritas utriusque libri Maccab. can. histor.*" Vindebon. 1749.

2. Esse libros canonicos, patet *a*) ex LXX. qui illum habent in Manuscriptis. *b*) Euseb. (H. E. l. 6. c. 25.) ex Origene affert in fine canonicorum librorum. (De Princip. l. 2. c. 1. § 5. Vol. 1. pag. 79.): "Ut ex scripturarum auctoritate hoc ita se habere credamus, audi quoque in Maccabæorum libris." *c*) Auctor canon. apost. (84), Cyprian. (ep. 55.), Tertull. (adv. Jud. c. 4.), Hilar. (in Ps. cxxxiv.), Hieronymus (Comment. in Isaiam l. 5. c. 23.), Concil. Carthag., 397. (in Canone, quem probavit Concil. Carthag. 419.), S. Aug. (de Civ. Dei, l. 19. c. 20. et l. 18. c. 36.): "Maccabæorum libri, quos *non Judæi, sed Ecclesia pro canonicis habet*, propter quorumdam martyrum passiones vehementes atque mirabiles."

Difficultates historicæ solvendæ in cursu Script. S.

posse defunctos juvari ut a peccatis solvantur (sive ante, sive post resurrectionem nihil ad rem, quum adversarii negent omne adjutorium defunctorum).

Cfrm. Fuit et est nunc adhuc Judæorum hæc doctrina, quamvis cum erroribus sit mixta. Credunt enim maximos peccatores, si non fuerint plane increduli, post *annum;* meliores etiam citius ex purgatorio liberari. Hinc orationes pro defunctis parentibus tantum per undecim menses filii faciunt, quia ipsis non licet supponere, parentes fuisse plane malos. Cf. Buxtorf. (Synag. Judaic. c. 1. et 35.)

Cf. etiam I. Cor. iii. 15.

Arg. 3. *Ex Traditione.*

1. Constitutiones Apostolicæ (l. 8. c. 41.): "Pro fratribus nostris, qui in Christo requieverunt, oremus, ut hominum amans Deus, qui animam defuncti suscepit, ei remittat omne peccatum, et collocet in regione piorum, quiescentium in sinu Abrahæ."

Tertullianus (de Coron. Milit. c. 3.): "Oblationes pro defunctis annua die facimus"—additque hoc esse apostolicæ traditionis. — Clemens Alex. (Strom. 7. a. 6. ad fin.) loquitur de igne, qui sanctificat animam. —Simili modo Origen. (in Jerem., hom. 16. nn. 5. 6.) loquitur de igne, qui consumit in homine, quidquid est lignum, fœnum, stipula. —S. Cyprian. (ep. 3. ad Antonian. de Cornel. Novat.) distinguit eos, qui continuo intrant in cœlum, et eos qui purgandi prius sunt per ignem. — S. Ephræm (Paræn. 47.): "Eam tribue hujusmodi sacrificio vim, ut hinc requies defunctis accidat."—S. Gregor. Nazianz. (Carm. 1. carm. de seipso, v. 12.) vocat purgatorium πῦρ τελεώτατον, qui ignis purificat omnia. — Similiter S. Basilius (in Is. vii. n. 186., ix. n. 231.)—S. August. (de Gen. c. Manich. l. 2. c. 20. n. 3.): "Post hanc vitam habebit vel ignem purgationis, vel pœnam æternam."—Item S. Prudentius (Hamartigen. v. 964.), S. Cæsarius (Diall. iv., Respon. ad quæst. 185.)

2. Accedunt liturgiæ, e quatuor primis sæculis, quæ circumferuntur sub nominibus SS. Jacobi, Marci, Basilii, Chrysost., Cyrilli (ap. Renaudot in coll. Liturg. Orient., et Assem. in codice suo liturg. Eccl. univers.). Insuper in posterioribus liturgiis usque ad sæc. X. tum in Oriente tum in Occidente notis, v. g., Syriaca, Chaldaica, Gelasiana, Gregoriana, Mozarabica, Gallicana, Romana (vide Renaudot, Asseman,

Mabillon., Thomas Grancoles, et alios Liturgiographos). Idem probari potest ex monumentis sepulcralibus, v. g., in Catacumbis, etc.

3. Definitum denique est in Concil. Trident. (sess. 25. de Purgat.): "Cum catholica Ecclesia, Spiritu Sancto edocta, ex S. Literis et antiqua Patrum traditione, in SS. conciliis, et novissime in hac œcumenica synodo docuerit, *Purgatorium esse*, animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio, juvari; præcipit. . . ."

Arg. 4. *Ex Ratione.* 1. Vitiosus esset magistratus, qui reos suos aut omnes liberaret aut omnes morti addiceret; nam in omni ordine civili sunt certe etiam minora crimina, quibus minores pœnæ, v. g., carceres, etc., imponenda sunt. *Ergo* a pari et in ordine justitiæ supernaturalis.

2. Status medius inter summum et infimum omnino ponendus est, quum non omnia facta sint summe laudanda nec omnia crimina sint morte digna. *Atqui*—*a*) summa bonitas non admittit, ut aliquid bonum, etiamsi non sit summum, maneat sine remuneratione; *ergo* a pari nec justitia divina permittit, ut quod sit malum, licet non sit summe malum, maneat sine pœna.

b) Offensa minor Dei est tamen semper offensa divinæ Majestatis, damnosa Ecclesiæ, deformativa imaginis divinæ. *Atqui* offensa requirit pœnam, damnum requirit satisfactionem, deformatio expurgationem; *ergo* vel hic vel alibi hæc fieri debent; *atqui* non semper hic, v. g., mortis doloribus— ut quidam volunt, — mors enim sæpe subitanea est, etc. *Ergo* alibi, i. e., in æternitate.

c) Convenit dignitati divinæ, ut possit tantum videri oculo plane puro. *Atqui* per maculas peccatorum sordescit. *Ergo* debent illæ prius abstergi.

d) Contraria curantur contrariis: sed peccatum oritur ex delectatione. *Ergo* debet per pœnam deleri.

e) Poterat pœnitentiâ pœna solvi in vita. *Atqui* si eadem pœna plane gratis remitteretur in morte, hæc negligentia illi prodesset; negligentia autem nulli prodesse potest. *Ergo.* Cf. S. Bonav. (Compend. Theol. Veritat. l. 7. c. 2.).

Objectiones.—*Obj.* 1. Eccles. xi. 3.: "Si repletæ fuerint nubes, imbrem super terram effundent. Si ceciderit lignum ad austrum aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.—Unde ita: Duplex

hic præsignificatur locus post mortem atque talis, ut semper ibi defunctus maneat. *Ergo* non est locus purgatorii.

R. 1. Sensus proximus et literalis est, si omnia sunt completa, homo debet mori, nec redibit ad hanc terram; ubi mortuus est, ibi manet. Hinc doctrina moralis,—omnia sunt caduca.

R. 2. Si applicatur alteri vitæ, intelligi potest *status justitiæ* vel damnationis. Animæ purgantes autem sunt in statu justitiæ.

R. 3. *Ergo* nec limbus Patrum fuisset admittendus in illa sententia.

Obj. 2. S. Aug. (l. Hypognost.) postquam enumeravit cœlum et gehennam, pergit: "tertium penitus ignoramus, imo nec esse in Scripturis sacris invenimus."

R. 1. Dubium est, sitne liber a S. Augustino conscriptus nec ne.

R. 2. Agebatur contra Pelagianos, qui pro infantulis non renatis tertium locum beatitudinis cœlestis quamvis non plane supernat. statuebant. — Ceterum doctrina S. Aug. de purgat. satis nota; quare si quis vult auctoritate S. August. uti, debet purgatorium certe admittere.

Obj. 3. Christus pro nobis abunde satisfecit. *Ergo*, culpa remissa, nihil restat.

R. Dist. Ant. Ita tamen, ut applicatio salutaris hujus satisfactionis fiat a nobis, sive per sacramenta, sive conjungendo proprias nostras actiones cum satisfactione Christi *C.;* ita ut et satisfactio et applicatio sit jam facta *N.*—*Expl.* Per satisfactionem Christi illa pœna sublata est, pro qua homo satisfacere nullatenus potest; pœna vero temporalis, quam homo subire potest, manet, — sed diverso modo: in terris, si pœna assumatur, est satisfactoria et meritoria; in altera vita est satisfactoria tantum. Quando igitur homo conjungit sua opera pœnitentiæ cum passionibus Christi et satisfacit et meretur; quando vero nulla præstat opera pœnitentiæ, debet eadem pati sine merito, quia negligentia sua nulli patrocinari debet.— Cf. Col. i. 24.: "*Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea* pro corpore ejus, quod est Ecclesia."

Obj. 4. In baptismo remittitur omnis culpa et pœna. *Ergo* etiam in pœnitentia.

R. N. Cons. Baptismus enim est sacramentum *regenerationis*,—nova supernaturalis nativitas; pœnitentia est sacramentum *reconciliationis*, quæ non semper remittit pœnam.

Obj. 5. Pœna est propter culpam; *ergo*, culpa remissa, tollitur pœna.

R. Dist. Ant. Infligitur propter culpam *C.;* satisfactio pœnæ est solum propter culpam *N.*—In culpa enim considerandus *a) actus* ex parte hominis; *b)* injuria, quam patitur Deus vel alius. Pœna igitur est propter utramque rationem; hinc potest Deus actum peccati condonare quod fit per novam amicitiam; ut satisfiat sibi pro injuria potest temporalem imponere; sicut Moyses et Aaron propter culpam infidelitatis, licet remissam, a terra tamen promissa exclusi sunt. Num. xx. 12.

Obj. 5. Actiones bonæ damnatorum non præmiantur in loco separato; *ergo* a pari nec actiones malæ justorum.

R. Dist. Ant. Quia actiones bonæ illæ vel in statu peccati mortalis, i. e., in statu mortis peractæ mortuæ ipsæ sunt, vel per peccatum

mortale subsequens mortuæ sunt *C.*; quia fuerunt actus boni vitales et qua tales transierunt in alteram vitam *N.*—Pro animabus autem justi valet principium: Bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu.

Scholium. Græci moderni non amplius admittunt purgatorium, quamvis teneant suffragia vivorum prodesse defunctis; in inferno autem nullam esse satisfactionem; hæc quomodo cohæreant non intelligitur. Præterea, Patres græci in Conc. Lugdun. et Florent. consentiebant latinis Patribus in doctrina de purgatorio.

DE NATURA PURGATORII.

Certum est animas purgantes esse in statu termini,—suæ sortis certas, non amplius merentes.—Quæritur ergo, quæ sit eorum *expiatio* in purgatorio; hinc quatuor inquirenda: 1. Quæ sit pœna? 2. Quæ sit pœnarum diuturnitas? 3. Quis sit locus purgatorii? 4. Qualis sit egressio ex purgatorio?

I. DE PŒNIS.

Duplex pœna: *altera* damni, *altera* sensus.

De pœna damni.

Pœna damni est privatio possessionis Dei per visionem et amorem. Jam vero talis privatio est in purgatorio. Nam visio et amor—formalis beatitudo—est tantum in patria. Animæ autem purgantes nondum sunt in patria. *Ergo.*

De acerbitate hujus pœnæ damni Lessius (de Perfect. Div. l. 13. c. 17.): "Pœna damni consistit in eo, quod ob culpam earum [animarum] regni possessio differatur, quodque magnos gloriæ thesauros, quos facile consequi potuissent, neglexerint. Si aliquis adoptatus a rege, in ipso puncto, quo aditurus est regni possessionem, ejiceretur ob aliquam culpam in exilium, donec illam variis suppliciis plene luisset, quantum inde conciperet dolorem? quantum ingemisceret, se culpam illam admisisse, et pro ea tempestive non satisfecisse? Ita animæ justorum, quum se a gloria parata, eo momento quo conferenda erat, vident repelli, et in teterrimum exilium ablegari, donec pro antiquis culpis integre satisfaciant, incredibili sauciantur dolore. Quantus enim ille sit dolor, ex eo conjici potest, quod ex quadruplici consideratione nascatur. Primo, quod videant, se tanto privari bono, idque eo tempore, quo illo fruendum erat. Apprehendunt acerrime illius boni immensitatem, et simul illud ardentissime desiderant. Secundo, quod videant, id fieri ob suam culpam. Tertio, quod neglexerint pro illa culpa suo tempore satisfacere, quum facillimo negotio redimi poterat, et tantas nunc cogantur sustinere calamitates; id enim non parum incendit doloris acerbitatem. Quarto, quod ingentes æternorum bonorum thesauros et cælestis gloriæ gradus, quos facile consequi potuissent, sua culpa et tepore neglexerint. Hæc omnia vivacissimo modo apprehensa ingentem dolorem excitant, ut etiam in damnis humanis experimur, quum ista quatuor concurrunt.

Itaque credibile est, illum animi dolorem longe esse majorem, quam homines in hac vita ex damnis temporalibus concipere possint: quia bonum illud longe est excellentius, et apprehensio acrior, et desiderium ardentius, et hæc omnia assidua, nunquam interpellata, noctes diesque urgentia. In doloribus hujus vitæ crebra interruptio per somnum, per colloquia amicorum, per varias mentis distractiones. Accedit, quod divina justitia de industria faciat, ut damna sua etiam acrius apprehendant, quam per se facerent, ut majore dolore urantur. Ideo enim fit hæc dilatio, et hoc tempore exilium, ut ejus dolore purgentur et pœnas pristinarum culparum luant. Secus erat in Patribus antiquis limbo detentis: non enim ob culpam aliquam personalem ibi detinebantur gloriæ exsortes, sed ob conditionem naturæ, pro cujus debito pretium nondum erat exhibitum, unde nondum venerat tempus, quo gloria illis esset debita."

De pœna sensus.

Sententia videtur satis certa, etiam in purgatorio esse verum ignem; ita enim docebant Patres latini in Concil. Florent., dum Patres græcæ Eccl., qui unionis causa aderant, ignem rejiciebant. Quomodo ignis agat in animas, postea explicabitur. Indicant ignem verba S. Pauli I. Cor. iii. 15.: "*Salvus erit, sic tamen quasi per ignem*," quem locum PP. et Theol. applicant purgatorio.

Acerbitas harum pœnarum.

a) *In genere.* S. Aug. (in Ps. xxxvii.): "Quamvis salvi per ignem, gravior tamen erit ille ignis, quam quidquid potest homo pati in hac vita."—S. Gregor. (in Ps. iii. Pœnitential.): "Illum transitorium ignem omni tribulatione præsenti existimo intolerabiliorem." — Item Beda, S. Anselmus (in Elucid.), S. Bernard.

Ex Ratione. Sicut in Ecclesia militante maxime elucet bonitas et misericordia, sic in Ecclesia purgante maxime elucet vindicta et justitia sine misericordia.

b) *In specie quæritur,* num minima pœna in purgatorio major sit maxima pœna hujus vitæ?

Duplex sententia: altera *affirmat*, ut S. Thom. (Suppl. q. 100. a. 3.), Scotus, Paludan., Suarez (de Sacram. l. 4. de Purgator. disp. 46. § 3.): "major est pœna, quam maxima, quæ cogitari potest." Rationes ejus sunt: 1. Offensio Dei vel minima est altioris rationis, quam omne malum creaturæ; ideoque licet non mereatur pœnam æternam, meretur tamen graviorem et quasi altioris ordinis, quam sit pœna hujus vitæ. 2. Quia homo in hac vita tempore sibi concesso non est usus ad benigniorem compensationem faciendam, ideo Deus in altera vita illam cum rigore exigit.—Hinc si spectetur gravitas essentialis seu specifica pœna purgatorii, minima excedet quamvis pœnam etiam maximam hujus sæculi, quia est alterius speciei seu ordinis; si spectentur accidentia, non repugnat aliqua accidentia inveniri minus gravia, quam in malis vitæ, v. g., *duratio* (per aliquot annos in purgatorio, per vitam totam in terra), intensio, multitudo pœnarum.

S. Thom. 1. pro pœna damni ita arguit: Quanto aliquid magis desi-

deratur, tanto ejus absentia est molestior; . . . quumque affectus desiderii in justis post hanc vitam—utpote non retardatus, etc.,—mole corporis sit maximus, maxima est tristitia, etc.

2. Pro pœna sensus. Dolor est sensus læsionis, hinc eo major quanto magis sensitivum, quod læditur. Sed anima, utpote fons omnis sensitivi, est maxime sensitiva; unde hujus læsio maxime dolorosa; id autem fit in anima purgante. *Ergo.*

Altera sententia *negat.* S. Bonavent. (in 4. dist. 20. a. 1. q. 2.) docet—1. pœnam damni in purgatorio non esse majorem omni pœna in terris. Approbat hanc sent. Bellarmin. (de Purg. l. 2. c. 14.), addens rationem. Animæ purgantes sunt securæ de sua sorte; estque ipsis possessio Dei certa; *atqui* gaudium de hac certitudine temperat necessario tristitiam de possessione actuali dilata. *Ergo.*— Potest præterea addi, quod amant Deum, et pœnas ab ejus manu libenter accipiunt; præterea et id, quod desiderant ut Dei justitia in se manifestetur, etc.

2. Quoad pœnam sensus docet S. Bonav.: Maxima pœna purgatorii est major pœna maxima hujus vitæ; sed aliqua pœna purgatorii minor est quam aliqua pœna hujus vitæ: quod confirmat Bellarmin. *a*) ex revelationibus quibusdam fide dignis; sicut apud Bedam (Hist. l. 5. c. 12.) aliquæ animæ leguntur visæ in locis amœnis et lucidis; *b*) ex eo, quod probabilius sit, paulatim remitti pœnas purgatorii, ita ut prope transitum in cœlum sint minimæ. Atque idem ex variis apparitionibus animarum illarum, quæ initio colore subobscuro, dein subfusco, denique albo apparuerunt sanctis hominibus in terra sicut Bernard. narrat in vita Malach., cui apparuit soror.—Potest addi, si homo moriatur in peccato non perfecte libero, i. e., ex parte spontaneo, ex parte libero,—quod peccatum sit potius imperfectio, ex duobus unum tantum admitti potest, aut cum illo peccato remittitur pœna, aut si pœna non remittatur, non potest esse tam gravis in purgatorio.

2. DE DIUTURNITATE PŒNARUM PURGATORII.

1. Certum est, purgatorium desinere in ultimo judicio; tum enim omnes justi in cœlum assumuntur. Matth. xxv. 34. — Præterea, tum resurgent omnes; non autem in corpore possunt pœnas ferre animæ, quia corpora justorum erunt gloriosa et impassibilia. Potest vero anima sola satisfacere, quia est principium principale peccati.

2. Prout reatus pœnæ major vel minor est, erit et diuturnitas. Maldonati enim singularis sententia, non durare cujusque purgatorium ultra decem annos, censura notata est ab Universitate Parisiensi. (Cf. Boulay, Hist. Univ. Paris. ad ann. 1576. t. 6. p. 744., Klee t. 2. p. 2. p. 474.)

3. DE LOCO PURGATORII.

Hugo de Sancto Victore probabilius censuit, non esse certum locum, ubi omnes animæ collectæ patiantur; sed "unumquemque purgari, ubi potissima peccata commisit, sicut multis documentis sæpe probatum est."—Nihilominus, quum ignis purgans realis sit, realis quoque locus intra fines hujus creationis assumendus est, qui velut carcer animas con-

tineat.—Ex hoc vero loco egredi tantum cum speciali licentia Dei licet, quum hæc sit natura carceris ut non pro lubitu egredi et ingredi captivus possit.

4. DE EGRESSU EX PURGATORIO.

Duplex sententia: prior tenet, paulatim decrescere reatum pœnæ, ita ut anima ex parte inferiore ad superiores et mitiores paulatim ascendat dum plene purgata in cœlum transeat; altera tenet, non decrescere, sed usque ad terminum a Deo positum fore pœnam eandem. Hæc sententia, quæ est P. Suarez (de Purgat., disp. 46. § 4. dico 1.) videtur probabilior; magis enim respondet ideæ judicii, quod certum tempus ejusdem pœnæ assignat.

Quæstio 1. Num dæmones possint intrare in purgator., ut animas torqueant?

R. Negatur. Nam dæmones proxime ad peccandum conantur alios inducere; sed animæ purgantes peccare amplius non possunt sive ex externa Dei providentia sive ex confirmatione intrinseca. Præterea, animæ illæ vicerunt dæmonem; hinc non videtur æquum, animas illas dæmoni tradi cruciandas; imo vix est modus aliquis, quo cruciare illas possit.

Quæstio 2. Quomodo anima purgatur a pravis inclinationibus et habitibus?

Expl. Per peccata mortalia et venialia sæpe contrahuntur habitus in parte sensitiva et in voluntate; peccato igitur remisso, possunt illi habitus remanere.

R. Per se non est necessarium, ut propter istos habitus maneant animæ in purgatorio. Nam si cui propter martyrium vel magnitudinem charitatis condonatur pœna omnis temporalis, possunt nihilominus illi habitus, v. g., superbiæ, qua quis se exaltat super alios, etc., manere. Quum vero talis habitus in quantum tendens in objectum deordinatum non possit esse in cœlo, destruitur *a*) in quantum sensitivus, in morte, sensibili principio destructo; *b*) in quantum spiritualis, in anima purgante per actus repetitos charitatis, detestationis illius objecti deordinati; *c*) si immediate intret anima in cœlum destruitur per infusos habitus contrarios, qui alios expellunt. Idem ex parte etiam in animabus purgantibus fieri potest.

§ 5. DE INFERNO.

1. *Definitio.* Infernus est locus, ubi rationalis creatura propter finem ultimum culpa propria amissum pœnas luit æternas.

Expl. Potest spectari pœna ex parte Dei, qui illam infligit, et ex parte animæ, quæ illam patitur. — *Deus*, non creatura, punit; *norma* pœnæ est bonum infinitum, quod libere rejectum est; *finis* pœnæ est *satisfactio* injuriæ bono infinito illatæ.—Anima patitur, quia finem libere rejecit. Est autem finis duplex: externus et objectivus, gloria Dei externa; internus, possessio finis per actus vitales tanquam complementi naturæ. Quumque finis sit titulus existentiæ, amisit anima, *quantum ad se*, titulum existentiæ et vitæ; retinuitque tantum titulum existentiæ

relate ad finem externum, quatenus confert ad gloriam Dei, manifestans attributum justitiæ divinæ.

2. *De nomine. Hebræi— Scheol,** Is. xiv. 11., Ps. xvi. 10.; *Mavet,* Proverb. xiv. 12. et xvi. 25., Isai. xxviii. 15.

Græci —Hades (quod videri nequit, vel a quo lumen excluditur.) Cf. Plutarch. (de Isid. et As. p. 382.), Schol. in Sophocl. Ajac. (v. 608.)

Latini — orcus, inferus, infernum, Tartarus (tartara,-orum). Describitur: Rex est Pluto; custos est Cerberus; sorores torquentes sunt Furiæ; Tenebræ.

Synonima hebraica, V. T. Abadon, locus perditionis, Job xxxvi. 6., Prov. xxvii. 20.; Dumah, locus silentii, Ps. cxv. 17.; Beher Sahat, puteus destructionis, Ps. lv. 24.; Salmavet et hosek, locus tenebrarum, Ps. cvii.; Erets nesyah, terra oblivionis, Ps. lxxxviii. 13.—*N. T.* Perditio, Matth. vii. 13.; supplicium æternum, Matth. xxv. 46.; ignis æternus, Matth. xxv. 41.; Gehenna ignis, Matth. xxv. 22.; ubi vermis non moritur et ignis non exstinguitur, Marc. ix. 42. 43.; locus tormentorum, Luc. xvi. 28.; flamma ignis dantis vindictam, II. Thess. i. 18.; stagnum ignis, Apoc. xx. 15. et xxi. 8.; tenebræ exteriores, Matth. viii. 12.

Pagana descriptio —vide Lueken (Tradit. Gen. hom. p. 467., etc.), Virg. (Æn. l. 6. v. 127–150.), Plat. (Phæd. p. 113. 114.)

N. B. Gehenna erat vallis prope Hierosolym., ubi Judæi immolabant liberos suos *Moloch;* postea vero Josias, rex pius (II. Reg. xxiii. 11.), cloacam illuc Hierosolym. urbis constituit, ubi die noctuque cremabantur cadavera, etc.,—locus summi terroris. Cf. S. Hieron. (in cap. VII. Jerem.)

PROPOSITIO XIII.

Quod revelatio docet, existere infernum tanquam locum tormentorum, hoc ipsa confirmat ratio et omnium fere populorum consensus.

St. Q. Epicurus cum suis docebat, animas in morte interire. Simile quid Sadducæi—Rationalistæ inter Judæos. Josephus (de Bell. Jud. l. 2. c. 7.): "Sadducæi Deum extra omnem mali patrationem inspectionemque constituunt, . . . animarum autem generaliter vel supplicia negant, vel honores;" et (l. 18. Antiq. c. 2.) dicit: "Sadducæorum opinio cum corpore exstinguit simul et animas."

Ætate Christiana negarunt infernum Gnostici, Eunomiani, Albanenses. Sociniani docent, animas impiorum in morte annihilari. — *Rationalistæ,* qui admittunt Script. S., docent infernum ignotum fuisse Judæis usque ad captivitatem Babylon.; Babylone vero accepisse Judæos hanc doctrinam a Chaldæis. Encyclopædistæ—Voltarius, etc.,—prorsus negant infernum. Rationes eorum sunt: 1. Summum ens, in quo omnipotentia et omnisapientia conjunctæ sunt, aut perficit tantum aut an-

* *Scheol* significatio triplex: *locus, quo post mortem omnes animæ venire debent,* Genes. xxxvii. 36., Num. xvi. 30., Job xxx. 23.; *locus bonorum,* Ps. xvi. 10., Ps. xxx. 4., Job. iii. 17–19., Is. xxxviii. 10., Oseas. xiii. 14., Act. ii. 27. 31.; *locus malorum,* Num. xvi. 33., Job xxiv. 19., Ps. ix. 18. et xxxi. 18., Prov. v. 5. et ix. 18., Is. lvii. 9. —Alii derivant a radice *Sa'al,* fodere, caverna; alii a *sa'al,* postulare, i. e., victimas —hinc "*insatiabilis* locus."

nihilat; videturque hoc principium non minus evidens, quam mathematica principia. 2. Deus non potest conferre in hominem plus mali, quam boni; esset enim plane contra bonitatem. *Atqui* hoc fieret in damnatione. *Ergo.*

Arg. 1. Deuteron. xxxii. 20.: "Abscondam faciem meam ab eis et considerabo novissima eorum; generatio enim perversa est et infideles filii;" et v. 22.: "Ignis succensus est in furore meo et ardebit usque ad inferni novissima." Unde ita:

Moyses describit in cantico iracundiam Domini propter peccata populi Israel. (l. c., v. 19). *Atqui* iracundiam dicit manifestatam esse eo, quod Deus se averterit ab Israelitis et ignem accenderit furoris, hinc et pœnæ; nemo enim irascens alteri alicubi incendit ignem in ira sua nisi ad puniendum alterum. *Ergo* jam ante captivitatem cognoverant Israelitæ ignem furoris Dei, qui est ignis inferni.

Ex Nov. Testam. abundant loci, præsertim Matth. xxv. 41. — Vide supra, *nomina* et *synonim.*—Præterea, frequens apud Patres descriptio inferni. Cf. Knoll (t. 6. p. 5. sect. 2. p. 179. etc.)

Arg. 2. *Ex Ratione. a*) Ratio certo et invicte probat Deum esse justissimum ideoque debere et bona remunerari et mala punire. *Atqui* mala in via sæpe non puniuntur. *Ergo.* —*b*) Est principium certum, ex malo non posse oriri felicitatem; hæc enim tantum cum virtute proportionem habet. *Atqui* sæpe his in terris mala et crimina felicitatem temporalem producunt. *Ergo* debent mala infelicitatem in altera vita producere.—*c*) Timor pœnæ alterius vitæ est homini spontaneus et naturalis. *Atqui* quod spontaneum et naturale est, non potest esse falsum, quia natura ex sese non inducit in falsum. *Ergo.*—*d*) In peccato ultimus finis spernitur, et quæritur beatitudo in creatura. *Atqui* Deus hoc *sibi* debet, ne sinat hanc injuriam inultam. *Ergo.*—*e*) Socialis ordo, virtutum studium et exercitium postulat sanctionem in bonis et *malis. Ergo* sicut remuneratio, ita et punitio in altera vita existere debet.

Arg. 3. *Ex nationum consensu.*

Pausanias (l. 4. in fine) refert Chaldæos animas immortales credidisse, et Zoroaster, celebris magister Chaldæorum, docet eas vel meritis vel suppliciis affici.—De Indis, Strabo (l. Gregor.) refert: "ipsos de immortalitate animæ et de judiciis apud inferos idem sensisse quod Plato." —In Ægypto nota sunt judicia mortuorum.—Nota quoque est doctrina Romanorum et Græcorum.—Celtæ, Germani, Slavicæ nationes, remune-

rationem et punitionem in altera vita docuerunt.— Imo multis in locis Koranus idem docet, ut Sura 14., Sura 15., Sura 16., ubi expresse dicuntur "mali igne indeficiente cruciandi esse."—De Sinensibus idem testatur P. Io. Gonzalez (Hist. Sinens. l. 2. c. 6.). — Cf. S. Francisc. Xav. de Japonibus (Epist. l. 2). Multis hanc doctrinam evolvit Lueken (Tradit. Gen. Hum.).

Resp. Ad superiora Rationalistarum.

1. Si verum esset principium, Deus nullatenus posset punire, nec temporaliter; et quo quis esset fortior et sapientior, eo minus posset punire—quod absurdum.

2. Deus confert tantum beneficia; homines autem sibi attrahunt mala et etiam damnationem. (Reliqua post.)

DE NATURA PŒNARUM IN GENERE.

PROPOSITIO XIV.

Duplex pœnarum genus, pœna damni et pœna sensuum; prior pœna privativa, altera pœna positiva.

ARG. 1. Matth. XXV. 41.: "Discedite a me, maledicti, in ignem æternum." *Atqui* per repulsionem a Deo indicatur privatio Dei, quæ est pœna damni; per ignem vocatur pœna sensus. *Ergo.*

ARG. 2. In omni peccato mortali duplex elementum, *aversio* a Deo ut fine ultimo, et *conversio* ad creaturas. *Atqui* prius producit amissionem Dei seu pœnam damni; alterum pœnam sensus,—delectatio enim in creaturis tanquam pœnam producit dolores ex creaturis secundum notum illud: contraria contrariis curantur. *Ergo.*

ARG. 3. *In specie de pœna damni.*

Pœna damni ex triplice respectu judicanda: *a*) Amittitur Deus, fons omnis boni. *b*) Ponitur simplex privatio. *c*) Ponitur mors in spiritu immortali.

Atqui hæc tria pœnam illam extensive et intensive maximam ostendunt,—seu esse pœnam sub tota extensione damni. *Ergo.*

Prob. min.—a) *Amissio Dei.*

Qui amittit Deum amittit fontem omnis boni ideoque et ipsum bonum,—sicut cœcus ad lumen, ita talis ad bonum.

Deus est *ultimus finis;* est autem ratione status termini ultimus finis

ejusque possessio tam necessaria, sicut in via tendentia ad bonum et ultimum finem.

Deus est *esse infinitum;* anima damnata *particula* τοῦ esse: sed particula tendit in conjunctionem cum toto. Cognoscens se ut finitum quid et ideo egens Deo, toto esse tendit in Deum; invenit se sine fundamento, amisit titulum existentiæ.

Deus est *exemplar*, anima exemplatum: exemplatum seu imago tendit ad exemplar suum, sed rejicitur ab exemplari; est imago sine significatione.

Deus non tantum amittitur, sed fit judex et hostis ulciscens suam injuriam. (vide supra initio.)

b) *Privatio simpliciter.*

Privatio simpliciter opponitur privationi secundum quid; *atqui* hæc admittit adhuc aliquam satisfactionem, aliquod bonum; *ergo* prior nullam admittit, omnem excludit: est quasi immensa quædam solitudo, et tædium omnium rerum.

c) *Mors in anima immortali.*

Vita est in activitate; hæc vero tendit in perfectionem. *Atqui* nulla amplius perfectio possibilis; quia in statu termini. *Ergo.* — Hinc tendentia perpetua sine objecto.

Vita supponit nisum internum, et actus necessarius defectum internum et æquilibrium turbatum. *Atqui* defectus ex omni parte; hinc nisus et desiderium maximum. Nulla tamen satisfactio,—unde perpetua contradictio.

Arg. 4. *De pœna sensus in specie.*

N. B. Nonnulli ad pœnam sensus referunt etiam pœnam intellectus et voluntatis; quum vero hæc proxime oriatur ex defectu summi veri et summi boni, recte etiam refertur ad pœnam damni; ita ut pœna sensus sit pœna positiva ex parte creaturarum vel in corpore vel in anima.

Arg. Omne membrum in corpore suo ordine, sua activitate, confert ad *bene esse* totius. *Atqui* nullum bene esse in damnatis. *Ergo* omne membrum debet peculiari modo cruciari.

Prob. Conseq. Si membro bene est, redundat in totum; præterea, si toti male est, et membris male est; si ordo totius non confert ad bonum, nec confert ad bonum membri; unde membrum patitur.

Quæritur, utra sit major pœna, damni an sensus?

R. S. Chrysost. (Hom. 24. in cap. 7. Matth.): "Si mille quis ponat gehennas, nihil tale dicturus est, quale est a beatæ illius gloriæ honore expelli."

PROPOSITIO XV.

Pœna sensus (in specie) oritur ex igne vero et materiali, qui agit ut instrumentum vindictæ divinæ.

St. Q. 1. Origenes (l. 2. Periarch. c. 11.): "Per quos (Isaiæ L. 11.) sermones hoc videtur indicari, quod unusquisque peccatorum flammam sibi ipsi proprii ignis accendat, et non in aliquem ignem, qui antea jam fuerit succensus ab alio, vel ante ipsum substiterit, demergatur."—Item S. Ambrosius (l. 7. in Luc. n. 205.): "Non est ignis aliquis perpetuus flammarum corporalium . . . . . Ignis est, quem generat mœstitia delictorum."

Inter Novatores *Calvinus* (l. 3. Instit. cap. ult. in fine): "Infernus nihil aliud nisi conscientiæ horror." (In Hebr. c. 10.) Calvinus dicit ignem, quem reprobis minetur Scriptura, esse malæ conscientiæ cruciatum; (in cap. 3. Matth.) declarat ea, quæ de igne dicantur, esse locutionem metaphoricam. Idem docuit Theod. Beza; nunc fere omnes Rationalistæ.

Doctrina, ignem in inferno corporalem esse, tam est communis in Ecclesia, ut contraria recte dici possit erronea in fide.

2. Pœna ignis sumitur quandoque in sensu stricto pro cruciatu præcipuo; quandoque in sensu lato pro tota pœna sensitiva.—Sumimus hic in priori sensu.

Arg. 1. Tam in Vetere quam in Novo Testamento sæpissime sermo est de pœna ignis, ut Marc. ix. 44., gehenna ignis; Matth. xiii. 42., in caminum ignis; Apoc. xiv. 20., in stagnum ignis et sulphuris; Matth. xxv. 41.: "Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus."—Unde ita:

S. Scriptura docet, in inferno cruciatum oriri ex igne. *Atqui* ignis ille non potest intelligi ignis metaphoricus. *Ergo.*

Prob. min. 1. Tamdiu verba Script. in sensu proprio et non metaphorico sumenda sunt, quamdiu sensus proprius non repugnat vel aliis effatis Scripturæ, vel Traditioni, vel veritati naturali. *Atqui* nullum ex his obtinet. *Ergo.*

2. Metaphora adhibetur vel ob necessitatem propter verborum inopiam, vel ob elegantiam sermonis, vel ob consuetudinem. *Atqui* verborum aderat copia sufficiens ad describendas pœnas; sermonis elegen-

tia in re tam seria respuebat potius metaphoras; consuetudo nulla aderat. *Ergo.*

3. Nullibi magis evitanda metaphora, quam si in judicio alicui reo pœna explicatur: esset enim plusquam ridiculum alicui pœnam per metaphoram poeticam explicare. *Atqui* in judicio ultimo ignis ut pœna explicatur. *Ergo.*

4. Metaphora ignis secundum adversarios significaret remorsum conscientiæ. *Atqui* quæ de igne prædicantur prorsus excludunt conscientiæ remorsum. *Ergo.*

Prob. min. "Discedite in ignem æternum, qui paratus est diabolo,"—si esset metaphora, sensus proprius esset: discedite in remorsum conscientiæ, qui paratus est diabolo,—quod profecto absurdum.

5. Attributa hujus ignis omnem metaphoram excludunt; dicitur enim *stagnum ignis, ardet sulphure,* — ergo materia indicatur; *carnes* impiorum cruciantur (Judith xvi. 21., Eccli. vii. 18.), —ergo membra corporis; ardebit usque ad inferni novissima, etc. *Atqui* nequit intelligi, quomodo hæc convenire possint igni metaphorico seu remorsibus conscientiæ. *Ergo.*

Arg. 2. *Ex Traditione.*

Justinus M. (Apol. 1. n. 21.): "Credimus, puniri igne æterno;" item Ap. 2. n. 1. — Theoph. Antioch. (ad Autol. l. 1. n. 14.): "Detinebit ignis æternus."—Felix (in Octav. n. 35.): "In stygia palude ignis membra urit." — Tertull. (Apol. c. 47.): "Ignis arcani sub terra." Arnob. (l. 2. ad Gent.): "Inexstinguibilis ignis . . . in quem conjiciuntur." — Origenes ipse alibi ignem asserit esse in inferno (in cit. lib. Periarch., paulo infra): "Sicut in morbis quandoque ignis adhibetur, ita in morbis peccatorum supplicium ignis infertur his, qui animæ sanitatem perdiderunt," item in comm. in Psalm. vi. Similiter Lactantius (l. 7. Instit. c. 21.); S. Ambros. (in Hexæm. l. 4. c. 3. n. 10.): "Ignis sicut illuminat alios, ... ita exurit impios;" item in Ps. xxxvi. n. 26. S. Gregor. Nyss. (Orat. 3.), S. Chrysost. (hom. 43. [alias 44.] in Matth. n. 4.), S. Aug. (de Civ. Dei, l. 20. c. 22.; l. 21. c. 10.), S. Cyrill. Alex. (Oratio de Exit. Anim.), S. Fulgent. (lib. de Fide, c. 28.), aliique.— Recte igitur Patuzzi (de Futuro Impiorum Statu, l. 2. c. 7. n. 1.): "Ex Catholicis neminem futurum puto, qui inferni ignem verum et corporeum esse, negare ausit. Quamquam enim de hujusce ignis natura nullum hactenus decretum editum fuerit, quod definitivum vocant, universæ tamen Ecclesiæ consensus satis ostendit, quid unicuique tenendum sit."

Arg. 3. *Ex Ratione.*

1. Convenit, ut calor passionis quærentis in creaturis satisfactionem ex creaturis trahat dolorem. *Atqui* aptissimum tormentum in creaturis est calor ignis punientis. *Ergo.*

2. Creatura debet vindicare ex sua parte injuriam sibi illatam. *Atqui* maxime sensibilis pœna est ignis. *Ergo.*

Ad Maj. Titulus existentiæ pro creaturis est, ut sint instrumentum pro homine ad finem suum. *Ergo* homo non utens creaturis in hoc sensu agit contra destinationem, et aufert ipsis titulum existentiæ, quantum in homine. Quum igitur non possint servire, debent punire.

Ad min. Frigus vel aliud tormentum non est tam aptum ad dolores; quum frigus auferat sensibilitatem potius, quam ut acuat.

3. Calor est beneficium, ad vitam et evolutionem naturæ necessarium. *Atqui* convenit, ubi summa est ingratitudo, ibi etiam summum beneficium in contrarium converti; contraria enim contrariis curanda. *Ergo.*

Scholium I. *De pœna totali.*

1. Fundamentum pœnæ sensitivæ est ignis; ideoque quidquid tangit ab intra, quidquid ab extra, hanc indolem præ se fert, — contactus secundum situm, secundum aerem ambientem, secundum ipsam quoque societatem; — etenim si carbo ignitus accedit ad alium carbonem, auget in ipso vim ignis; simili modo si damnatus ad damnatum accedit, auget in eo vim ignis, præsertim si una pars patiatur plus quam altera; hinc fit, ut societas æqualium, inferiorum, superiorum, sit non consolationi, sed cruciatui, præsertim si loco amicitiæ socialis odium et desperatio totam animam occupet et moveat.

2. Quum facultates animæ maneant, quærunt etiam suos actus. Jam vero intellectus non amplius attingit suum verum, quia debebat illud attingere in ordine ad Deum, — ut radium Veri divini et medium ad Deum; voluntas non amplius bonum ob eandem rationem; sensus non attingunt suum objectum,—unde oculi non vident nisi in vago,— tenebræ enim sunt et umbræ mortis, i. e., vident fractis quodammodo oculis; audiunt, sed non distinguunt nisi tumultum et clamores dolorum; olfaciunt odores, sed velut putredinis, etc.

3. Manet tamen facultas deflendi statum miserum. Hinc vermis conscientiæ. Attrahuntur ad suum centrum animæ,—repelluntur; recogitant se potuisse quiescere et habitare in suo centro sicut beati,—sua culpa se esse privatos. Hæc recordatio nunquam cessat, quia vermis non moritur; est vermis quasi continuo arrodens animam. Accedit, quod Deus acuit hanc conscientiam. His enim in terris allicuit Deus homines; in inferno acuit memoriam damni. Cf. Less. (de Perf. Div. l. 13. c. 29.)

Scholium II. *De æqualitate vel inæqualitate.*

Certum est, pœnas in inferno fore inæquales. "Reddet enim [Deus] unicuique secundum opera ejus" Rom. ii. 6.; et "tolerabilius erit terræ Sodomorum et Gomorrhæorum in die judicii, quam illi civitati [quæ rejicit Evangelium]" Matth. x. 15.—Patet præterea, eum, qui plus acceperit a Deo, majorem debere reddere rationem: "Quum enim augentur dona, rationes etiam crescunt donorum." S. Greg. (Hom. 9. in Ev.). Inæqualitas autem oritur *a*) *ex actibus ipsis*, in quibus malitia major vel minor esse potest secundum gradum *cognitionis* et *conscientiæ* et *deliberationis*, etc. *b*) *Ex vitiis.* Quum enim unumquodque vitium habeat pœnam convenientem, unum autem vitium secundum malitiam superat aliud, sequitur etiam pœnam pœna acerbiorem.

Scholium III. *De modo quo ignis urat spiritualem creaturam.*

Variæ sententiæ:

1. Aliqui ponunt, ignem non esse verum sed in apprehensione tantum falsa dæmonum et animarum consistere. *Falsa* sententia, quia ignis verus est, ut patet ex superioribus; quia in hoc casu non ab igne sed a sua falsa apprehensione torquerentur; quia illam Deus in ipsis creare deberet, quod repugnat; Deus enim falsum facere non potest.

2. Aliqui ponunt, ignem cruciare intentionaliter tantum. Albert. Mag. (in 4. dist. 44. a. 34.), Herrera (Quolib. 5. q. 7., et in 2. dist. 7. q. 2. a. 2.). Favet S. Thom. (in 4. dist. 50. q. 2. a. 2.), S. Bonav. (in 4. dist. 44. q. 2. a. 3.), Ægid. (Quolib. 2. q. 9., et Quolib. 4. q. 15. in fine.), Scotus, Ocham, etc.

Duplicem distinguit Albert. in igne actionem: unam naturalem, quæ est calefactio; alteram intention., quæ est impressio speciei sensibilis in organo: utraque est actio vera. Non autem naturalem actionem imprimit, quum spiritus non sit capax calefactionis; sed ut *instrumentum Dei* imprimit speciem intentionalem in intellectu, et hac specie movet totum. Ratio est: ignis vere agit in spiritus damnatos. *Atqui* alio modo agere non potest nisi intentionaliter. *Ergo.*

Addit S. Bonav. illam vim esse igni naturalem; et illam passionem esse spiritui naturalem saltem remote; præterea, spiritum includi in igne tanquam carcere, ita ut semper illam cogitationem habere debeat; hinc horror et timor. Ægidius vero censet, ignem hoc perficere ut instrumentum Dei.

Sed contra est, quod anima mediante corpore tantum et phantasmate potest ideas habere, non sine corpore; quod spiritus autem nullatenus id potest, quum non habeat intellectum agentem. Præterea, angeli habent species infusas, etc.,—hinc ab interno. Accedit, quod ex doctrina doloris, dolor non est in intellectu sed in displicentia voluntatis, quæ bonum appetit et malum fugit; intellectus tantum proponit objectum; objectum autem non potest esse ignis, sed dolor ab igne productus, affectio dolorifera. *Ergo* supponitur jam dolor productus seu affectio ignis,—hinc non potest in tali specie reponi.

3. Aliqui reponunt in eo, quod spiritus sit alligatus igni tanquam ignobiliori, ex quo dolor. Falsum est; nam talis pœna non postularet ignem; denique minoris momenti id esset.

4. Ignis vere et physice agit in spiritus damnatos. Nam—*a*) Luc. xvi. 24.: "*Crucior in hac flamma;*" ardent igne et sulphure, etc. Quod-

si exinde concluditur, esse ignem materialem, debet etiam concludi esse actionem ignis physicam. *b*) Præterea ignis ut cruciet, debet agere, ita ut ejus actio percipiatur; ignis enim ut non agens potest quidem odio haberi, non autem actu cruciare.

Quæritur autem, quomodo agat physice in spiritum?

Resp. 1. Vasquez (disp. 245. c. ult.) censet prorsus ignorari.

2. S. Thom. (1. q. 64. a. 4. ad 5., l. 4. cg. c. 9., QQ. DD. quæst. 26. de Verit. a. 1., Quodl. 2. a. 3., Quodl. 3. a. 2., et in 4. dist. 44. q. 3. a. 2. . . .) et post ipsum Cajetan., Capreol., Ferrara, et reliqui Thomistæ censent per solam alligationem.—*Rationes* duæ tantum afferuntur: *a*) Certum est habitare dæmones in igne; — mittuntur enim in stagnum ignis tanquam habitationem æternam. *Ergo*. *b*) Alterum argumentum sumitur ex refutatione aliarum sententiarum.

Explicatur hæc alligatio. Duobus modi potest fieri hæc alligatio, *objective* et *effective*. *Objective*, quando Deus cogit animam manere in ergastulo ignis, ita ut non ignis sed imperium Dei animam ibi retineat. *Effective*, quando ita anima est in ergastulo ignis, ut ignis ipse retineat. —Non potest admitti prius, quia non ignis cruciaret proprie sed coactio ex parte Dei; quia præterea non apparet, cur sit pœna specialis ab igne orta, quum æque possit esse ab aqua vel aere. *Ergo* debet alligatio esse effective ab igne. Effectiva alligatio potest esse triplex in spiritu: *a*) Si spiritus sit anima, hinc forma, per informationem materiæ; *b*) si sit purus spiritus, per unionem cum corpore assumto, ut motor jungitur mobili; *c*) per unionem, qua locatus in loco ligatur,— sicut aqua locatur in vase. Unitur igitur spiritus cum igne, sicut locatus in loco. Locari autem potest duplici ratione: *immobiliter*, v. g., in centro terræ; vel *mobiliter*, ita ut quocumque ignis procedat, illuc et anima procedat, sicut anima in corpore. Si prius obtinet, diabolus si exit ex hac domo ignis, v. g., ad possidendum energumenum, ab igne non cruciatur, licet horror, etc., in diabolo sint; si alterum, posset tantum speciali dispensatione Dei diabolus ab illo igne mobili liberari in possessione energumeni. Nihilominus probabilius est, diabolum alligari igni ut *loco mobili*; haberet igitur ignis illam facultatem, ut possit in eo locari angelus.

Quæritur vero, quomodo ex hac alligatione oriatur tormentum?

Distinguitur ex parte ignis causa duplex—una remota, altera proxima. Remota est violenta ipsa alligatio spiritus ad ignem, ita quod sic detinetur, ut in alio loco esse non possit; proxima est cognitio et conscientia hujus alligationis. In hac ultima reponitur dolor. Est enim talis detentio contra naturam et inclinationem spiritus. Quodsi enim animal si est catenæ alligatum, ut non possit ire quo velit, hoc sentit; quanto magis spiritus igni alligatus, semper et necessario hoc cogitans, ruminans, etc. — Hæc quidem est *theoria* S. Thom.* Cf. Ferrariens. (l. 4. cg. c. 90.)

* (Suppl. q. 70. a. 3.): "Spiritus corpori unitur dupliciter, uno modo ut forma materiæ, ut ex eis fiat unum simpliciter; . . . sic autem spiritus hominis vel dæmonis igni corporeo non unitur: alio modo sicut movens mobili, vel sicut locatum loco, eo modo, quo incorporalia sunt in loco, et secundum hoc spiritus incorporei creati loco definiuntur, ita in uno loco existentes, quod non in alio. Quamvis autem res corporea ex sua natura habeat, quod spiritum incorporeum loco definiat, non tamen ex

Admittunt hanc sententiam Toletus, Suarez, etc., sed negant eam sufficere ad verum dolorem. Rationes Toleti (in Sum. S. Thom. t. 1. q. 64. a. 3.):

Ponit hanc propositionem: "Dæmones et animæ non per solam detentionem, *sed vero dolore, ac si corpus haberent, ab igne illo patiuntur."*

Probatur. 1. Aug. (de Civ. Dei, l. 21. c. 10.) dicit *"torqueri* dæmones igne *miris* sed *veris modis."* Idem expresse Gregor. (IV. Dialog. c. 29.; Moral. l. 9. c. 47.).

2. Ignis ille non potest spiritum detinere naturaliter, quia spiritus, omnia penetrans, claustris corporis detineri non potest. *Ergo* vi supernaturali; si ergo virtus supernaturalis potest agere in spiritum et detinere, cur non possit agere et cruciare?

3. Phantasma agit in animam, vere illi aliquid inprimendo; cur repugnet in igne?

4. Dolor non oritur ex quocunque disconveniente; ex illo enim potest oriri tristitia, quæ multum differt a dolore. Dolor enim consequitur ex disconvenienti interno et in propria substantia; sola autem detentio non est talis. Non ergo habebunt dæmones dolorem, sed displicentiam, sicut habent homines ex externis damnis. Ac profecto tutum non est dicere, dæmones dolorem non habere propriissimum; *ergo* ultra detentionem actio est; immo detentio ob id est, ut torqueantur illic detenti. — Dæmones autem qui extra infernum sunt, torquentur, quia secum ferunt illam qualitatem disconvenientem, quæ dolorem efficit. Hucusque Toletus.

Simili modo Suarez.* Ponit autem Suarez ab igne oriri in spiritu damnato aliquam qualitatem spiritualem, disconvenientem et deturpantem non per naturalem vim sed obedientialem, quum ignis sit instrumentum Dei; instrumentum agat non tam vi propria quam vi principalis agentis.

Potest addi: alius est contactus corporum; alius est contactus spiritus in corpus, et corporis in spiritum. Corpora se tangunt quantitative, quum extrema corporum uniuntur, ita ut non distant; hæc autem nondistantia efficit, ut actio unius corporis in aliud possit transire. Spiri-

sua natura habet, quod spiritum incorporeum loco definitum teneat, ut ita alligetur illi loco, quod ad alia divertere non possit, cum spiritus non ita sit in loco naturaliter, ut loco subdatur. Sed hoc superadditur igni corporeo in quantum instrumentum est divinæ justitiæ vindicantis, quod sic detinet spiritum; et ita efficitur ei pœnalis, retardans eum ab executione propriæ voluntatis, ne scilicet possit operari ubi vult, et secundum quod vult . . . Itaque ignis, in quantum est instrumentum divinæ justitiæ, habet, ut ipsum quodammodo retineat alligatum, et in hoc veraciter ignis iste est spiritui nocivus, et sic anima, ignem ut sibi nocivum videns, ab igne cruciatur."

* Verba Suar. (de Ang. l. 8. c. 14. nn. 47. 48.): "Posset autem quis cogitare, talem esse hanc qualitatem, ut formalem habeat repugnantiam cum gratia eamdem substantiam immediate perficiente et pulchram reddente. Non enim videtur improbabile, quod sicut datur qualitas, quæ natura sua reddat angelum vel animam pulcherrimam ultra ejus naturam, ita etiam possit dari qualitas, illi alteri ex natura sua repugnans, eo quod fœdam et deformem reddat talem substantiam. In spiritualibus autem, *dicit Suarez*, posse immitti qualitatem spiritui disconvenientem, non quia ab illo aliquid expellat, sed quia eumdem male et turpiter afficit, et ita posse dari affictionem de tali positiva dispositione, etiamsi per illam nihil addatur, nec ad corruptionem tendatur. Nec ideo minor erit afflictio, sed quo est spiritualior, erit acerbior et ordinis altioris, et augebitur molestia, eo quod per ignem sensibilem talis deformitas in substantia spirituali et superiori fiat."

tus tangit corpus virtute, i. e., non distat, ita ut actio ex spiritu posset derivari in corpus; cur igitur repugnaret ut ex corpore supernaturali modo actio transiret in spiritum non distantem? Qualitas autem ex hac actione non esset materialis, quum recipiatur in spiritu ad modum spiritus; hinc non ageret naturaliter ignis, sed Deus ageret per ignem.

Quum vero hæc qualitas spiritualis ita explicata sit difficilis intellectu, hinc alii alium modum ponunt.

Henricus (Cf. Suarez de Angel. l. 8. c. 14. n. 24.) ponit ignem affligere spiritum, in quantum calidus est, et eodem genere afflictionis, quo affligeret sensum corporis; quia alias non esset magis afflictivus spiritus, quam sit aer, cui videntur discordare dicta sanctorum. Inferius dicit: "ignem agere sua actione naturali in spiritum, ipsum affligendo;" in fine quæstionis: "quod Deus naturæ spiritus angelici et humani communem vim, qua pati possit ab igne corporeo, imprimit supernaturaliter; vel sic utrique naturaliter inest, licet nos lateat." *Ergo* videtur ponere in spiritu vim quandam resistendi vel supernaturalem vel naturalem.

Ad idem consequenter debet Soto (in 4. dist. 50. quæst. unic. art. 2. concl. 1.) venire; dicit enim: "Animas perinde ac dæmones affligi ab illa tristitia, ejusdemque prorsus rationis, ac si corpora, quibus essent unita, concremarentur. . . Non hanc vim habet ille ignis, ut instrumentum divinæ justitiæ in dæmones atque animas, nempe quod afflictionem, quam in anima mediante dolore corporis reassumpti effecturus est, faciat absque illo dolore." Videtur igitur dicere, ignem agere vi sua naturali in animam; idque demonstrat ratio, quam affert, quia si ignis non infligeret illum dolorem sibi proportionatum, non plus ignis conferret ad illam pœnam, quam aqua vel aer.

Clarius Simonet (de Ang. tract. 3. disp. 4. a. 3. in fine).

Postquam statuit: 1. dæmones vere torqueri ab igne; 2. vere ac proprie comburi, quia ignis non potest torquere nisi comburendo; 3. hanc combustionem non esse destructionem substantiæ sicut in corpore, sed alterationem substantiæ spirit.; 4. hinc ignem torquere dæmones substantias eorum alterando; alterari autem substantiam dæmonis, sicut anima alteretur, si corpus ejus comburatur,—explicat modum actionis in fine artic.: "Sed quæritur, quomodo possit ignis modo sibi proprio substant. angelic. alterare, quum hæc sit incorporea . . .? Ad hoc respondetur, sufficere si Deus substantiam angelicam reddat impenetrabilem igni infernali; tunc enim relate ad ignem infernalem substantia angelica se habebit ad modum corporis; et (ut) partibus ignis infernalis impetum imprimat superiorem naturali resistentia angeli; nam his duobus suppositis intelligitur angeli substantia agitari posse ab igne in ipsam quaquaversus impingente."

Palmieri (de Deo Creat., parergon, p. 797.): "Potest enim spiritus, si velit, resistentiam eamque extensam sua ipsa realitate per spatium aliquod indivisibiliter diffusa objicere corporibus, atque ita eos effectus præstare, quos per se præstat corpus. Hoc posito potest et physice angelus aliam angelum apprehendere. Sicut enim potest spiritus apprehendere physice corpus, ita poterit et apprehendere physice spiritum, si hic spiritus objiciat ei realitatem suam resistentem in spatio extenso. Poterit quidem nolle spiritus hunc modum existendi in spatio assumere, et tunc non habebit locum apprehensio physica; sed poterit certe

spiritus cogi a Deo ad hunc modum assumendum, propter hunc vel illum finem, puta in pœnam; et in hac hypothesi poterit angelus alium angelum physice apprehendere, quemadmodum corpus. Porro si hæc concedantur, dandum est etiam corpus aliquod, ut ignem, posse physice agere in spiritum si divina vi obligetur spiritus objicere corpori resistentiam extensam in spatio. Jam vero cum res huc est adducta, apparet possibilitas quod spiritus ab igne torqueatur seu dolorem aliquem experiatur similem illi quem animus noster propter corpus, cui unitur, frequenter experitur. Subjectum enim nostri sensus doloris, qui est sensus cujusdam modificationis nocivæ proprii subjecti, est ipsa anima, prout dolor est actus vitalis. Spiritus igitur, qualis est anima, potest per se dolorem experiri. Objectum hujus sensus est, ut diximus, modus quidam se habendi subjecti qui non est ei conveniens; cujus modi subjectum non est tantum corpus, sed totus homo, ideoque et anima, licet hæc propter corpus. Nimirum ex conjunctione cum corpore ita afficitur anima, ut modificationes aliquas recipere possit, quæ ei non sint convenientes et gratæ, quas sensus doloris comitatur naturaliter. Itaque si spiritus aliquis immediate a corpore aliquo in ipsum agente afficiatur, poterit in se experiri modificationes ipsi inconvenientes et ingratas, sensumque habere doloris, non quidem ejusdem rationis specificæ ac est dolor ex scissione partium, sed genericæ, prout est modificatio subjecti non conveniens."

DE DIUTURNITATE PŒNARUM.

PROPOSITIO XVI.

Revelatione constat, pœnas inferni vero ac stricto sensu fore æternas.

St. Q. 1. Origenes docuit non æternas pœnas esse, sed tam dæmonum quam aliarum animarum damnatarum in fine restitutionem esse, qua omnes impii purgati a nequitia in regnum Dei intrarent. Hæc finalis restauratio vocatur ἀναχατάστασις πάντων. Qui Origenem sequebantur a S. August. vocantur *misericordes* (de Civ. Dei, l. 21. c. 17.). (Cf. etiam S. Aug., de Hæres. n. 43.) Excusatur tamen Origen. ab aliis ab hoc errore. Videntur etiam aliqui PP. dubie locuti esse, quod admittit Petavius, qui hoc refert ad nimium studium Origenis.—*S. Hilarius* (in Ps. lxviii.) de Sodomitis . . . agens, putat eos ad pœnitentiam profecisse in altera vita usque ad ultimum judicium, quum tolerabilius ipsis judicium futurum sit, quam illis, qui rejecissent Evangelium, et subdit, liberandas etiam alias creaturas ex inferno secundum illud Apost: "In nomine Jesu omne genu flectitur cœlestium, terrestrium et infernorum."

S. Hieronym. aliquando loquitur ac si soli dæmones et homines infideles futuri sint in pœnis æternis (l. 1. cont. Pelag. c. 9.). In comment. Eccles. in c. 1.: "Omnibus per pœnitentiam in integrum restitutis, solus diabolus in suo permanebit errore." In commentario super Habac. iii.: "Habet ira Dei mensuras, quantum et quanto tempore et ob quas causas et quibus inferatur."

2. Inter Protestantes nunc permulti negant æternitatem pœnarum; aliis censentibus etiam in inferno possibilem conversionem, ita ut illi tantum, qui converti nullatenus vellent, deberent remanere in inferno, aliis vero restaurationem finalem omnium prædicentibus. Putant enim hi rem ex Scriptura probari satis non posse. (Martensen, Episc. Danus in insula Seelandia, Dogmat. §§ 284. 288.)

3. Rationalistæ plane rejiciunt pœnas æternas; alii vero alio modo. Multi enim assumunt præexistentiam animarum et ponunt pro altera vita multiplicem reincarnationem; transeunt enim per varias sphæras universi, vitamque agunt vel felicem vel infelicem prout præcedens vita fuit vel bona vel mala. Posse igitur concedi docent aliquam expiationem; qua finita, putant, succedere evolutionem in indefinitum per evolutiones sibi succedentes semperque perfectiores.—Cf. Pezzani: La pluralité des existences de l'ame, l. iv. ch. 1., quatrième édit. Paris 1866.

Arg. 1. *Ex Scriptura.*

Scriptura 1. positive enuntiat pœnas *æternas;* 2. negat damnatos unquam habituros regnum Dei, unde idem docet æquivalenter; 3. describens statum miserum docet, hanc miseriam nunquam cessuram. *Ergo* triplici modo docet, pœnas non habituras finem sed esse æternas.

1. POSITIVE DOCET ÆTERNITATEM.

Daniel xii. 2.: "Et multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt; alii in vitam æternam, et alii in opprobrium, ut videant semper."—Matth. xxv. 41. 46.: "Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus . . . . Et ibunt hi in supplicium æternum; justi autem in vitam æternam."—Unde ita:

a) *Ponderando verba.*

Æternitas de se dicit diuturnitatem sine fine, sicut quando Deus dicitur *æternus. Atqui* tamdiu sensus proprius tenendus est, quamdiu subjecta materia, vel usus, vel alia effata Script., vel traditio non obstant. *Ergo.*

Ephic. Adhibetur etiam vox *patris, domus, montis,* in sensu proprio et in sensu metaphorico. Nihilominus si simpliciter illæ voces adhibentur, sumendæ sunt in sensu proprio; simili modo æternitas, licet in sensu translato etiam tempus longissimum designat, simpliciter tamen significat durationem sine fine.

Atqui nulla ratio obstat et cogit, ut in sensu metaphorico sumatur. Non subjecta materia id postulat,—sunt enim animæ immortales; non alia effata Script.,—imo summa est tenacitas Script. S. et uniformitas in asserenda æternitate pœnarum, v. g., II. Thess. i. 9., Is. xxxiii. 14., Matth. iii. 12.; non usus, — quia Deus dicitur æternus sensu stricto; non traditio, ut patebit postea. *Ergo.*

b) *Ponderando materiam subjectam.*

Agitur de statu termini. *Atqui* terminus ex sese constans aliquid dicit,—non labile, mutabile, præteriens. *Ergo* si æternitas de termino pronuntiatur, hæc dicit aliquid constans, non præteriens; hinc sensu stricto terminus æternus est.

Obj. "... sem saccratium" act^m v.v." &c

+ tamen non = proprio sensu adhibent^r

R. = de rebus pertin^s ad statum vicæ - Act^s inferni

ad stat^m termini. Judicandum = de subjecta materiâ

Expl. Quando æternitas de re temporanea, v. g., de regno, hæreditate, promissione, etc., enuntiatur, patet vi materiæ non posse esse æternitatem strictam; contra vero si agitur de statu termini.

c) Ex comparatione cum vita æterna.

Eadem ratione dicitur vita æterna et merces, qua supplicium inferni dicitur æternum; *atqui* prius non sumitur metaphorice; *ergo* neque alterum.

2. PECCATORES REGNUM DEI NON HABEBUNT.

I. Cor. vi. 9. 10.: "Nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt. Neque molles, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt." — I. Cor. xv. 50.: "Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt."—Gal. v. 19.: "Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt fornicatio .... quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur." Unde ita:

Spiritus S. toties repetit et inculcat peccatores non possidere, non posse possidere, non consequi regnum Dei, ut ita homines terreat a peccatis. *Atqui* hæc omnia essent falsa et vanæ essent minæ, si nihilominus aliquando, licet post expiationem, possiderent regnum Dei. *Ergo.*

3. DESCRIBITUR STATUS UT SEMPER PERMANENS.

Christus D. (Marc. ix.) repetit ter: "vermis eorum non moritur, ignis non exstinguitur;" Matth. iii. 12. vocat ignem "*inextinguibilem;*" Isa. (lxvi. 24.) legitur: "vermis non morietur, et ignis eorum non extinguetur."

Unde ita: Spiritus S. et Christ. D. terrores inferni ita describunt, ut destruant omnem spem futuræ liberationis. *Ergo* hæc non erit,— hinc nullus finis. Posset enim aliquis sibi dicere, forsan finem habituras has pœnas; respondet Dominus: "vermis non morietur."

Præterea, dicitur mors et perditio et interitus simpliciter. *Ergo* pro semper.

Cfrm. Matth. v. 26.: "Amen dico tibi; non exies inde donec reddas novissimum quadrantem;" idem Luc. xii. 59.—Unde ita:

Dominus asserit cum magna sollemnitate, omnia in altera vita exigenda esse secundum rigorem justitiæ. *Ergo* omnia, quæ de pœnis dicuntur, in rigore justitiæ, a qua misericordia absit, sumenda sunt.

ARG. 2. *Ex Traditione.*

Fides in æternitatem pœnarum semper viguit in Ecclesia. Nam

Id testantur PP., qui opinionem Origenistarum de restitutione finali inter hæreses numerabant, ut Epiphan. (hæres. 64.), August. (de Civ. Dei, l. 21. c. 17–24.), Philastrius, etc.

Testantur Martyres, inde roborantes animam ad ferendos dolores martyrii.—Andreas Apost. coram Ægeate, Procons.: "Isti enim dolores [quos minatur Ægeates] aut leves sunt et tolerabiles, aut graves sunt et cito animam ejiciunt. Illi autem dolores [inferni] æterni sunt; ubi est quotidianus fletus et mugitus et luctus et sine fine cruciatus." (Ep.

de Martyr. S. Andr.)—Item S. Polycarp. ad Procons.: "Ignem minaris, qui ad horæ spatium ardet, ac paulo post extinguitur; ignoras enim illum futuri judicii et æternæ pœnæ ignem, qui impiis reservatur." (Epist. de Martyr. Polycarp.) — Idem Martyr Ignat. (ad Eph. n. 16.)

Testantur expresse idem PP. — S. Irenæus (Cont. Hær. l. 2. c. 28.): "Prævaricatoribus ignis æternus præparatus est." — S. Athan. (in Ps. xlix. 22.): "Nullus est, qui in inferno inclusos eripiat; hinc pœnitentiam agite."—Cyprian. (l. ad Demetr. n. 24.): "Non erit, unde habere tormenta vel requiem possint vel finem."

Idem legitur in Symbolo Athan.: "Qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam; qui vero mala in ignem æternum."—Definita doctrina est in × Conc. Œcum. V. (Constant.): "Si quis dicit aut sentit, ad tempus esse dæmonum et impiorum hominum supplicium, ejusque finem aliquando futurum, vel restitutionem et redintegrationem fore dæmonum et impiorum hominum—anathema sit." (Can. 9.) — Idem Florent. in decreto unionis.—Cf. Petav. (de Ang. l. 3. c. 8.).

Objectiones. I. Ex S. Scriptura.

1. *Ex V. Test.* Ps. lxxvi.: "Num quid in æternum projiciet Deus? Numquid obliviscetur misereri Deus?" — Ps. ci.: "Dominus multum misericors, non in perpetuum irascetur, neque in æternum comminabitur." *Ergo* docetur Dei iram aliquando finem habituram.

R. Agitur de pœna et ira temporali; vult enim psalmista exhortari Israelitas, ut cum magna fiducia redeant ad Deum; Deum enim, dicit, non semper ipsis fore iratum; hinc ipsis futuram spem, etc.

"Cadent super eos carbones, in ignem dejicies eos, in miseriis non subsistent." Ps. cxxxix. 11. — Unde ita: Agitur hic de peccatoribus puniendis; *atqui* dicuntur injici in ignem, ita tamen ut non subsistant seu maneant. *Ergo.*

R. 1. Negatur agi proxime de peccatoribus, sed agitur de inimicis David, ut patet primo versu: "Eripe me, Domine, ab homine malo; a viro iniquo eripe me."

R. 2. Quum sit psalmus Messianicus, applicatur passioni Christi; hinc agitur de adversariis Christi D. in ejus passione deque eorum pœna temporali, quæ comparatur cum pœna ignis, et de miseriis, in quibus non subsistent, i. e., in quibus peribunt.

R. 3. Non subsistent idem ac non manebunt, *hinc egredientur*;—falsum est: nam subsistere significat *a*) *pedem figere*, v. g., in itinere, cessare ab eundo vel ad requiem vel ad aliud negotium pro subjecta materia,—hic ergo sensus: non cessabunt ad requiem. *b* Subsistere idem ac resistere, Hannibali et ejus armis, Livius.—*ergo* sensus: non resistent. *c*) Significat pugnare cum aliquo, v. g., feras subsistere (Liv. i. 4. 9.), —*ergo* sensus: non expugnabunt miserias suas, i. e., devincent. *Ergo.* (N. B. In Græco οὐ μὴ ὑποστῶσιν, i. e., non supportabunt, seu miseriæ sunt intolerabiles.)

Isai. xxiv. 22.

21. "Et erit: in illa die visitabit Dominus super militiam cœli in excelso, et super reges terræ, qui sunt super terram.

22. "Et congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum, et claudentur ibi in carcere, et post multos dies visitabuntur.

23. "Et erubescet luna et confundetur sol quum regnaverit Dominus exercituum in monte Sion et in Jerusalem, et in conspectu senum suorum fuerit glorificatus."—Unde ita:

Agitur hic de fine mundi. Jam vero dicuntur peccatores includi in inferno, ita ut post multos dies visitentur. *Atqui* hæc visitatio non potest esse nisi visitatio gratiæ non pœnæ, -- esset enim sensus: veniet post multos dies cum pœnis. *Ergo.*

Cfrm. In græco Septuag., loco "post multos dies visitabuntur" legitur *διὰ πολλῶν γενεῶν ἐπισκοπὴ ἔσται αὐτῶν*, per multas generationes visitatio—custodia—erit eorum; et v. 23.: "et liquefiet later et cadet murus. Quoniam regnabit Dominus de Sion, etc." Ideo autem diversa hæc est translatio, quia eædem consonantes cum diversis vocalibus conjunguntur, ita ut pro diversitate vocalium vel superiorem sensum Vulgatæ vel hunc Septuag. habeant.

R. Nego Supp., i. e., Prophetam proxime et per se loqui de ultimo judicio.—Intendit enim Isaias populum avertere a crimine; minatur ultionem Dei; vult reducere ad novam spem, hinc minatur ultionem Dei in nationes exteras; hinc destructionem prædicit Babylonis, etc.; denique a c. 24. . . . prædicit et describit destructionem omnium nationum et victoriam Israelis in novo regno Messianico, quando Deus regnabit perfecte et cum summa gloria in monte Sion, i. e., in nova urbe Jerusalem. In hac vero gentium destructione vaticinium continetur ultimæ destructionis totius universi, et novæ urbis Sionis in cœlis. Hinc proxime describit destructionem nationum, miserias, etc., quæ præcedunt novum triumphum in novo regno Ecclesiæ. Ac profecto quam terribilia illa fuerint, i. e., destructio regni Babylonici, quod subjugarat Israel in captivitate; destructio regni Macedonici, quod et ipsum subjugarat Israel suo jugo; destructio Romani imperii, quod subjugaverat Israel; destructio denique antiquæ Israelis gentis, ut possit condi Ecclesia et Christus triumphare in Ecclesia,—narrat historia. Hæc igitur prima destructio nationum, ut Deus possit triumphare in novo regno est prototypon secundæ destructionis, ut possit Deus triumphare secundo in ultimo judicio, et in regno cœlesti.— Jam ad explicandum vaticinium hæc notanda:

a) Primam destructionem describit magnificis imaginibus; sed distinguendus est sensus imaginis *propheticus*, et forma imaginis; multa igitur postulat imago, quæ sensus non postulat: ideoque quæ ad imaginem ornandam, etc., sunt necessaria, *non* sunt semper prophetica. Non vero possunt semper a priori distingui ea, quæ ad imaginem prophetiæ pertinent, ab illis, quæ ad prophetiam pertinent. — In superiore versu 22. adhibetur imago regis victoris, qui reges captivos colligat; in carcerem detrudit; post multum temporis visitat, ut judicium ferat,—qui fuit mos orientalis. Poterat vero in illo judicio vel libertatem concedere, vel condemnare ad pœnam. Sensus igitur propheticus est: Deus tam perfecte et complete destruet nationes totius mundi sicut rex, qui destruit *nationes, incolas omnes* sine discrimine (vv. 1. 2.) *deducit* in captivitatem, ita ut pauci tantum remaneant in regione patria (v. 13. paucæ olivæ, pauci racemi); qui reges vinculis constrictos includit in munimen; ut post longum tempus judicet. Est igitur perfectio destructionis et subjugationis, quæ intenditur, non autem ut omnia, quæ descriptionis causa dicuntur, perfecte executioni mandentur.

b) Quando autem prima destructio ponitur ut vaticinium alterius, notandum maxime, *non omnia* in illa imagine typica esse prophetica; sicut quando destructio Hierosolym. ponitur vaticinium reale destructionis finalis mundi, non omnia, quæ pertinent ad priorem destructionem, debent etiam quadrare in ultimam destructionem.

Hinc recte supra negat. supponit.; vel *dist. Maj.*, agitur *proxime* de damnatis *N.*; *remote C.*—*Dist. min.* *Visitatio* pertinet ad primam destructionem et ponitur vi imaginis, qua describitur interitus nationum *C.*; pertinet ad primam destructionem, quasi Deus ita acturus sit, ut *reges* vinculis constringat, etc., *N.*—Hinc a fortiori non pertinent ad ultimum judicium, ita ut tunc includantur et postea visitentur.

N. B. Alii alio modo explicant; dicunt visitationem duplicem esse: alteram *gratiæ*, sicut rex visitat captivum in carcere, ut eum liberet; aliam *pœnæ*, sicut executor visitat ad exequendam pœnam. Visitat itaque Deus post multos dies, i. e., ad pœnam, sed ita, ut antea non cessaverit a puniendo, nec cesset. — Alii denique dicunt, inclusionem in inferno fieri tota mundi ætate, visitationem esse ultimum judicium. Sed in utraque explicatione non intelligitur, cur incolæ pereant, etc., ut pauci remaneant; reges autem congregentur, etc.

2. *Ex N. Test.*—I. Cor. xv. 28.: "Quum autem subjecta fuerint illi [Filio] omnia, tum et ipse Filius subjectus ei erit, qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus." Unde ita:

Omnia sine ulla exceptione debent Filio subjici; Filius denique cum omnibus Patri, ut sit Deus in omnibus. *Ergo* etiam infernus.

R. Dist. Ant. Agitur de illis, qui sunt Christi tanquam capitis Ecclesiæ; qui debent ipsi subjici in resurrectione,—id quod ex præcedentibus patet, *C.*; agitur etiam de illis, qui non pertinent ad Christum, *N.* In præcedentibus enim (v. 22.) agitur de omnibus, qui in Adamo mortui sunt, in Christo vivificati; ex his Christus sibi colligit Ecclesiam seu corpus suum, quod post resurrectionem offert Patri. Jam vero diabolus, etc., non est mortuus in Adamo, nec pro diabolo Christus mortuus est. *Ergo.*

Idem dicendum Coloss. i. 19., ubi Christus per sanguinem crucis dicitur omnia reconciliasse:— utique homines, non diabolum, pro quo non est mortuus Christus.

Act. iii. 21.: "Quem [Christum] oportet quidem cœlum suscipere usque in tempora restitutionis omnium." *Ergo* erit aliqua restitutio omnium.

R. Dist. Ant. Agit S. Petrus de fine mundi, ubi Christus regnaturus est non tantum in cœlo sed in totum universum —et hoc sensu *C.*; agit de restitutione etiam inferni *N.* — Persuadere vult S. Petrus Judæis, Christum debuisse pati—ne Christi passio scandalo sit Judæis,—et ita intrare in regnum suum, quod utique nunc sit in cœlis, postea autem toto mundo.

Apoc. xx. 5. ponit S. Joan. duplicem resurrectionem, primam et dein omnium. *Ergo.*

R. Dist. Ant. Prima resurrectio, quæ est beatorum glorificatio in cœlo — ut patet ex contextu, quia post illam manent adhuc gentes a diabolo seducendæ in terris, *C.*; prima omnium *N.*

Apoc. xxi. 5.: "Ecce nova facio omnia." *Ergo.*

R. Dist. Ant. Cœlum et terram *C.;* etiam infernum *N.* Dicitur enim ibi diabolus mitti in stagnum ignis (xx. 9.), cœlum autem et terram esse nova (xxi. 1.).

II. *Ex Patribus.* Potest admitti aliquos Patres quandoque inexacte locutos esse, præsertim quum idem de anima, etc, nondum essent tam claræ. Dicimus autem: 1. fuisse Patres paucissimos, qui ita locuti sint; 2. eosdem inexacte tantum locutos in uno loco, qui soleat objici, aliis vero locis clare et exacte doctrinam Ecclesiæ tradidisse. 3. Si vero sit, v. g., S. Prudentius, qui simpliciter plus minus erroneam sententiam habuerit, eum satis per Patrum unanimem consensum refutari.— Hinc in specie

a) *De Hilario.* Loquens de Sodomitis, etc., opinatur, Deum ipsis dedisse gratiam conversionis,—hinc sors ipsis tolerabilior quam aliis urbibus; præterea, si loquitur de liberandis ex inferno intelligit purgatorium. Cæterum (in Matth. c. 5.) scribit Hilarius: "Igitur requies nulla gentibus neque mortis, ut volunt, compendio quies dabitur, sed corporalis et ipsis æternitas destinabitur, ut ignis æterni sit in ipsis æterna materia et in universis sempiternis exerceatur ultio sempiterna."

b) *De S. Hieronymo.* Quum Rufinus dicta superiora S. Hieronymo objiceret, in apologia sua cont. Ruf. dicit, se multa dixisse ut in commentario fieri soleat referendo ex aliorum sententiis.— Quæ fuerit ejus opinio, satis patet ex eo, quod errorem Origenis tam acriter persecutus sit (in epist. cont. errores Joan. Hierosolym.). Præterea (in Isai. c. 5., in verba: "*Dilatavit infern. animam suam.*"): "Qui sæculi deliciis occupati sunt, nec respicientes opera Dei . . . . detrahentur in gehennam, ibique æternis cruciatibus deputati, potentiam et superbiam miseria cernent et humilitate mutari."

Scholium de sensu vocis: *æternitatis.*

Αἰών, עולם, *æternum.*

1. *Αἰών—In Test. Novo.*

Verbum hoc in N. Testam. usurpatur in 95. locis, qui ita distribuuntur: 16. locis benedictio et laus Deo—in æternum; 5. dicitur vita Dei et Christi in æternum; 4. dominatio Christi; 1. verbum Dei; 9. futura beatitudo sanctorum; 18. sensus est: *semper*, vel cum negatione *nunquam*, e. g., Matth. xxi. 19., ficus in æternum damnatur; 7. periodus indefinita temporis præteriti; 3. dispensatio vel ætas Judaica vel Christiana, I. Cor. x. 11.,—fines sæculorum est ultima mundi ætas, Eph. ii. 7., Heb. vi. 5.; 27. de mundo—sæculo—sub vario respectu; 5. de pœnis alterius vitæ.

Hinc conclusio: *αἰών* potest applicari vel statui termini, vel statui viæ. Quodsi termino applicatur potest significare vel durationem, vel alterum mundum. *Durationi* applicatur 40. locis: ex quibus 35. locis agitur gloria vel Dei vel sanctorum æterna, etc.; 5. locis pœna damnatorum æterna.

Hinc *conclusio* 1. Si ex significationibus particularibus sensus communis et verus deducendus est, sequitur, verbum *αἰών*, applicatum longitudini status termini, significare æternitatem sensu stricto; quia

quæcunque vitam et laudem Dei spectant, æterna sunt. *Ergo* etiam quando pœna alterius mundi æterna dicitur, debet æternitas sumi sensu stricto. Mirum enim, eandem vocem 35. locis applicatam beatitudini significare æternitatem; 5. locis applicatam pœnis non significare æternitatem.

Cfrm. Adjec. αἰώνιος occurrit 66. locis; ex quibus 51. locis beatitudinem *æternam stricto sensu* significat, 7. locis pœnæ applicatur, — hinc certe eodem sensu quo applicatur beatitudini.

Conclusio 2. Si applicatur αἰώνιος statui viæ significat tempus indefinitum, vel a parte post,—hinc tempus remotissimum; vel a parte ante, i. e., in futuro.

Ratio evidens est, quia quæ sunt in termino, ex sese sunt *stabilia;* quæ sunt in via, mutabilia et finita. Convenit etiam Arist. (de Cœl. l. 1. c. 9.), qui αἰών derivat ab ἀεὶ εἶναι: potest vero et rebus finitis applicari sicut quando dicitur: rixæ æternæ, etc.

2. עולם, quod in V. Test. respondet verbo αἰών.

עולם, proprie *occultum,*—cujus vel initium vel terminus non videtur. Hinc significat durationem, quæ duratio vel statui viæ vel statui termini applicatur. *Si prius,* significat indefinitum, vel a parte post—Meohlam— a tempore antiquo; vel a parte ante, i. e., in tempus futurum, ita ut tunc *vel hominibus* applicetur, significans generatim totam vitam: servus perpetuus (dum vivit), Deut. xv. 17.; *vel genti* seu dynastiæ: Fœdus cum Israelit. æternum, Gen. xvii. 7., Lev. xxiv. 18.— Leges datæ Israel., Ex. xii. 14. 17.—possessio terræ sanctæ, Gen. xvii. 18.; *vel toti mundo:* Terra in æternum stat, Eccles. i. 4.,—colles æterni, Gen. xlix. 26.,—Excelsa æterna, Ezech. xxxvi. 2. Quodsi denominat statum *termini,* significat æternitatem sensu stricto, v. g., Deus æternus, Gen. xxi. 33.; sæpe de vita post mortem,—vide αἰών.

Idem dicendum de latina voce *æternus* quod de αἰών—unde derivatur.

DE ÆTERNITATE PŒNARUM EX RATIONE.

Anima humana licet ex essentia sua annihilari possit, quum sit ens contingens, tamen ex destinatione, quæ ex ipsa natura elucet, annihilari non potest. Anima enim quum sit spiritus a creata aliqua causa destrui nequit, quum sit simplex habensque vitam in se externe tantum ligatam ad corpus; unde tantum per Deum annihilari potest. Deus autem licet *absolute* possit, secundum tamen potentiam ordinatam non potest eam annihilare, idque revelavit in ipsa naturali indole animæ. Etenim quum sit simplex et vivens ex se tanquam principio interno, ex Deo tanquam subjecto, habet positivam vim, ut possit semper vivere. Jam vero talem vim non daret Deus, nisi vellet, ut in æternum viveret. Denique, debet Deus velle, ut omne ens finem suum consequatur et ex hac finis consecutione connaturalem quietem sibi derivet et beatitudinem. Beatitudo autem rationalis creaturæ ex sese æterna est. Accedit, quod illud desiderium naturale et spontaneum est animæ, ut semper vivat, et ad hunc finem operatur. Non potest autem Deus decipere et defraudare animæ desideria et opera, etc. His positis, quæritur, num ex ratione probari possit, animam talem immortalem

in æternum pœnas daturam, si finem suum a se in æternum possidendum libere rejecerit?—Potest enim opponi:

1. Illud ens annihilandum, quod non habet finem; sed animæ peccatrices (mortaliter) amiserunt finem. *Ergo.*— Quod enim non habet finem est inutile. Ita Rationalistæ quidam, qui dicunt animas illas luere per aliquod tempus crimina sua et dein in nihilum redigi. (Rothe, Nitsch. Plitt. dogm. evang. l. 5. c. 11. p. 416.)

2. Potest assumi, animas peccatrices post mortem per varias quasi scholas purificationis et evolutionis pertransire, ita ut tandem plane puræ ad Deum ut finem suum perveniant. Ita multi Rationalistæ.

3. a) Potest negari, Deum posse pro actu finito peccati pœnam ponere æternam. Infinita enim pœna sub respectu durationis non habet proportionem cum actu finito, qui ponitur uno momento temporis: vel si b) possit ponere talem pœnam, debet dici Deus, quum sit liber, posse condonare; c) quum sit infinite misericors, debere condonare pœnam. Nihilominus contra hæc supposita sit

PROPOSITIO XVII.

Ratio docet, Deum debere sanctionem ponere legis naturalis, nec eam posse esse aliam quam sanctionem per pœnas æternas.

St. Q. Loquimur proxime de lege naturali; hæc vero obligat hominem ad obediendum etiam legi positivæ, si talem Deus ponat.

Non definimus, qualis illa pœna esse debeat.

Arg. 1. *Ex subjectione creaturæ ad Deum.*

Est lex absoluta, fundata in essentia Dei et essentia creaturæ, obligans hominem, ut quodcunque bonum finitum etiam æternum (a fortiori temporale) postponat bono infinito. *Atqui* huic legi debet etiam respondere sanctio; hæc vero non potest esse alia, nisi per præmia et pœnas æternas. *Ergo.*

Prob. min. Sanctio habet duplicem respectum: 1.—relate ad obligationem; 2.—relate ad satisfactionem. Hinc

1. Relate ad obligationem.

Justitia, quæ in sanctione observanda est, postulat, ut æqualitas sit inter magnitudinem obligationis et magnitudinem sanctionis; id enim omnes legislatores in dandis et jurisperiti in explicandis legibus supponunt. *Atqui* obligatio est ad bonum *æternum* etiam (hinc a fortiori ad bonum finitum) Deo postponendum. *Ergo* etiam sanctio sub consecutione boni vel amissione boni æterna obligationem urgere debet.— Supponatur obligatio sub omni respectu ad *omne* bonum finitum posthabendum Deo urgere, sanctio vero sub pœna boni finiti non æterni urgere, certe vis obligationis multo superaret vim sanctionis; non esset regula justitia.

N. B. Posset dici absolute potuisse Deus sanctionem ponere, in qua gratia condonationis habuisset locum.

R. Potuisset absolute, num ordinata potentia postea quæritur; sed certe debuisset hoc revelare, ut aliquo jure dici posset. Hic agitur de manifestatione facta in natura, i. e., obligatio naturalis tanquam complementum postulat naturalem sanctionem secundum naturalem ordinem justitiæ.

2. Relate ad satisfactionem.

Sanctio non tantum est ad obligationem urgendam, sed etiam ad reparationem ordinis infracti; malum enim ordinis turbati debet ex bonis damnificantis restaurari. *Atqui* ordinis infracti malum tantum est, ut reparatio secundum justitiam postulet pœnam infinitam, in quantum in ente finito esse potest, i. e., secundum extensionem, ideoque in æternum. *Ergo.*

Prob. min. a) *Ex malitia actus.*

Malitia actus est infinita (respective). *Atqui* infinitæ malitiæ convenit infinita pœna. *Ergo.*

Prob. Maj. Ut amicitia, i. e., amicalis duorum relatio, dijudicanda est secundum utrumque terminum, ita et solutio amicitiæ inter Deum et creaturam seu peccatum. *Atqui* secundum Deum consideratum peccatum est infinitum licet secundum creaturam sit finitum. *Ergo* peccatum seu injuria in quantum dijudicatur ex parte Dei, infinita est.

b) Ex parte actus in quantum objectum intrat.

Objectum intrat in actum amoris secundum amabilitatem et dignitatem. *Atqui* utraque est in Deo infinita. *Ergo* et actus habet quamdam infinitatem respectivam; hinc et actus peccati spernens influxum objecti.

Expl. Maj. Alio modo intrat objectum in actus cognitionis, alio modo in actum amoris. Cognitio enim accommodat objectum sibi; amor, ut actus voluntatis, accommodat se objecto, sumitque in se vel bonitatem vel malitiam objecti; unde si bonitas est infinita, trahit in se illam bonitatem infinitam. Quodsi actus subjective posset esse infinitus, traheret in se bonitatem *adæquate;* quum vero sit actus finitus tantum, trahit illam in se *inadæquate*, i. e., *finite;* inde actus subjective finitus, objective infinitus. Simili modo arguendum de peccato.

c) Ratio docet omnes actus beatorum in æternum non posse satisfacere pro injuria unius peccati. *Ergo*, si secundum justitiam expianda talis injuria est, debet etiam pœna esse major omni finito malo sub ea ratione, sub qua major esse potest, hinc sub respectu durationis.

Prob. Maj. Quamvis actus amoris habeat respectum aliquem infinitum, tamen omnes actus amoris jam sunt aliquod proprium, quod Deus titulo multiplicis possessionis sibi vindicare debet. *Atqui* nemo potest alteri aliquid solvere ex illis, quæ alter jam possidet. *Ergo.*

Arg. 2. *Ex natura status.*

Qui peccat mortaliter sciens et volens se præcipitat in statum, ex quo non per se sed tantum supernaturali auxilio ejus, quem offendit, extrahi potest;—constituit sibi finem proprium ultimum in creaturis;—quamvis, quamdiu est in via, converti possit, si tamen scienter et libere in

hoc statu permanet et ita moritur, transit in statum termini, in quo nulla actio meritoria vel reparatoria damni possibilis. *Atqui* convenit, ut qui libere in talem statum se conjecerit, in eo maneat, sicut qui libere et ex inimicitia erga alterum in foveam se injecerit, ex qua tantum per auxilium ejusdem, quem offendit, extrahi potest, in fovea manere debet; convenit, ut qui totam suam æternitatem quantum in se est ordinavit contra Deum in creaturas, in existentia ita ordinata maneat in æternum; convenit, ut qui terminum elegit a Deo aversum, in eo semper detineatur. *Ergo.*

Expl. Maj. Qui peccatum mortale commisit, nonnisi per Deum egredi ex hoc statu potest,—est enim mors animæ; sed mortuus ex sese non potest vitam recuperare.—Quum in peccato mortali agatur vel Deus, qui est ultimus finis, vel creatura seu delectatio ex creatura, patet, eum, qui tale peccatum committat, rejicere Deum ut ultimum finem et loco Dei ponere creaturam; jam vero ultimo fini subordinatur tota activitas, tota vita, tota existentia. Denique, vita hæc est vita probationis; altera vita est vita termini: nam anima tanquam forma totam suam perfectionem debet quærere in corpore; hoc enim proprium formæ est, ut sit destinata ad corpus; prius autem debet destinatio naturalis impleri, ut dein per activitatem quæratur perfectio; quum autem perfectio quæratur in ordine ad ultimum finem, sequitur, animam ut formam suum ultimum finem debere quærere in corpore; hinc post mortem non est amplius possibile finem ultimum sibi comparare.

Cfrm. Accedit, quod absoluta oppositio est inter statum boni et statum mali, sicut est inter vitam et mortem; hinc etiam inter terminum utriusque status absoluta debet esse oppositio; terminus enim status participat de ratione status. Jam vero post mortem acquiritur finis *boni; ergo* convenit, ut etiam acquiratur finis mali simpliciter, seu ut sit in malo tanquam in fine suo.

Arg. 3. *Ex natura sanctionis.*

Deus utpote legislator bonus certe sanctionem addit efficacem, i. e., talem, quæ etiam in summa difficultate, imo si vita ipsa agitur, majorem possit incutere timorem, quam præsens periculum incutere possit, vel præsens delectatio allicere possit. *Atqui* talis sanctio non potest esse nisi æterna pœna. *Ergo.*

Ad Maj. Sanctio ponitur ob justitiam et ob amorem: *ob justitiam*, quæ urget obligationem et reparationem ordinis; *ob amorem*, quæ cogit hominem ad fugiendum peccatum et ad tendendum ad finem.—Effectus sanctionis est timor peccati, quando motiva rationalia non sufficiunt ad

movendam voluntatem. Duplice enim modo movetur voluntas: motivo rationali et timore, efficacius vero timore.

Prob. min. Duo in sanctione distinguenda: ipsa sanctio, et actio sanctionis in sensus. Jam vero actio ipsa minima est ex natura rei, quum agatur de futura pœna alterius vitæ, quæ a sensibus maxime est remota; hinc defectus supplendus per diuturnitatem ad terrorem incutiendum. Præterea, si jam æterna pœna parum efficax videtur, a fortiori temporalis pœna esset inefficax; hinc si finita foret pœna sanctionis cum tam exigua actione in hominem certe foret inefficax, nec conveniens tantæ malitiæ.

Resp. ad sup. 1. Anima peccatrix deberet annihilari si nullum haberet amplius finem nec quoad se, nec quoad Deum, nec quoad universum, cujus est pars *C.;* si vero amisit tantum finem quoad se *N.*

2. Ponere post vitam novas probationes quasi novas scholas purificationis repugnat statui termini; repugnat sanctioni et naturæ legis; gratis supponitur, animam ut formam nova corpora (licet humana) induere, et absurde supponitur animæ evolutio in indefinitum.

3. Bene convenit æterna pœna actioni finitæ peccati, non quatenus actio physica est, sed quatenus malitiam continet. In omni enim peccato actus physicus distinguendus est a malitia actus: prior physice bonus et temporalis est; altera potest manere in æternum, habetque in se aliquid infinitum. Præterea, pœna se habet ad peccatum sicut effectus; jam vero qui scienter ponit causam, obligat se ad ferendum effectum; effectus autem potest esse longior quam causa, sicut qui tangit ignem uno momento, habet dolorem diuturnum; ex una actione sæpe morbus perpetuus.

Cfrm. Civitas solet crimina quædam punire morte, alia crimina exilio perpetuo. *Atqui* mors est exclusio a civitate in perpetuum; exilium perpetuum est exclusio per se in æternum; si enim civitas in æternum existeret, in æternum foret exilium. *Ergo* si justitia humana pro una actione criminosa talem ponit pœnam, certe non repugnat justitiam divinam pro crimine læsæ majestatis divinæ ponere exilium tamdiu durans, quamdiu durat societas cœlestis a qua exclusi sunt.

Coroll. *Ergo* licet divina bonitas et misericordia sit infinita, est tamen *a*) infinita quoque justitia; *b*) infinita misericordia et infinitus amor, quo urget et cogit homines, ut finem suum et beatitudinem suam assequi studeant. *c*) Non potest pendere misericordia Dei ab hominum malitia, ita ut quo major sit malitia hominum, eo magis se ostendat misericordia; præsertim postquam tanta per vitam jam conata est.

QUÆSTIO, NUM PŒNÆ ÆTERNÆ SINT ITA STABILES, UT NUNQUAM MITIGENTUR.

Quatuor quæri possunt:

1. Num dæmones et damnati habeant aliquod gaudium?
2. Num pœna eo sensu diminuatur, quod pœna peccati levis cesset?

3. Num aliqua intermissio vel generatim vel statis temporibus anni permittatur?

4. Num generatim pœnæ inferni per misericordiam Dei et passionem D[l]. N[l]. sint mitigatæ?

1. *Num gaudium aliquod habeant dæmon et damnati?* (Suarez, de Pœna Dæmon., c. 15.)

St. Q. Sicut in beatis duplex distinguitur gaudium, essentiale et accidentale, ita et in damnatis duplex distingui potest pœna, essentialis et accidentalis. Prior consistit in amissione Dei et pœna sensus; altera (accidentalis) ex variis accidentalibus occasionibus oriri potest. Prior invariabilis est, quum habeat causam invariabilem et æterna sit; hinc nullum potest esse gaudium, quod hanc minuat. Altera potest minui et crescere pro varia opportunitate. Quæritur num possit minui per accidentale gaudium?

Duplex sententia. 1ª. Voluntas damnata nullius gaudii ne turpis quidem capax est. Ita Ocham (in quæst. 19. a. 7.), Gabriel (2. dist. 7. q. 1. a. 3. dub. 1.). Consentiunt plurimi expositores S. Thom. (1. q. 64. a. 3.) ut Bannez, Ripa, Cumel, Molina, Vasquez, etc.

Ratio. Sicut in perfecta beatitudine repugnat omnis tristitia, sic in perfecta pœna omnis delectatio. Præterea, Deus ut justus judex non concurrit cum gaudio, etiamsi omnia sint parata, quia tantum ut puniens concurrit. Denique, voluntas summo malo occupata non est capax gaudii, ut patet in hominibus.

2ª. Sententia admittit accidentale gaudium phantasticum. Ita S. August. (l. 2. de Genesi contra Manich. c. 17.) ubi dicit, lætari dæmones de potestate sibi data in peccatores. Ita etiam intelligit eum S. Thom. (1. q. 64. a. 3. arg. 1.) et consentit. Item (in 4. dist. 45. q. 2. quæstiuncul. 1. ad 4.) ubi addit, "hoc gaudium non esse verum sed phantasticum, dum impletur id, quod desiderant." Alensis (2 part. quæs. 100. memb. 4. alias 5. a. 1. 2.), Gregorius (in 1. dist. 1. q. 2. a. 2. ad 3., et 5. contr. 2. conclus.)

Ratio. In dæmonibus inveniri potest objectum gaudii et possesio hujus objecti. *Ergo* et gaudium.

Prob. Ant. Complementum desiderii et consecutio rei concupitæ sunt objectum et possessio objecti ex se inferens gaudium. Desideria autem habent dæmones homines inducendi in peccata, quæ implentur nimium; præterea, desideria possunt habere vitandi graviores pœnas, quæ et ipsa aliqua ratione impleri possunt, ita ut gaudeant; v. g., dæmones a Christo petebant, ne ante tempus eos torqueret et in gehennam detruderet. *Ergo.*

Nec impedit status summæ miseriæ omne gaudium phantasticum. Nam miseria illa est pœna justa pro peccatis vitæ; hæc autem pœna non postulat, ut nullum amplius desiderium esse possit ac desiderii impletio.—Nec obstat, quod voluntas et intellectus jam nimium sint tristitia occupati; quamvis enim hoc valeat de homine, ut nimio dolore corporis impediantur phantasmata ita ut quandoque aliud cogitare non possit, in spiritu tamen cum summa etiam tristitia manet facultas ad alia, sicut simili modo manet beatis in cœlo cum summa beatitudine in Deo facultas ad gaudia ex actibus secundariis. Præterea, dæmones

certe in sua tristitia damnationis media inveniunt, homines tentandi et in peccata inducendi, idque sæpe cum summa callidítate.—Hinc patent responsa ad rationes priores sententiæ.

N. B. 1. Quamvis rationes proxime valeant pro dæmonibus, tamen et pro aliis damnatis valere possunt, quia non intelligitur, cur dæmones gaudium suum, v. g., victoriæ in peccatis, cum aliis damnatis communicare non possint.

2. Quamvis Suarez (l. c.) censeat, ante judicium ultimum tantum dæmones aliquod gaudium habere, non autem post judicium ultimum, tamen non apparet ratio assertionis hujus. Præterea, debet admitti *possibilitas* etiam post ultimum judicium; occasio vero de facto gaudiendi non apparet, cur desit, quum pessimus quisque soleat habere satisfactionem, quum videt alterum, quem odio habeat, pati. Insuper potest unus alterum torquere.

2. *Num decrescat pœna damnatorum eo quod pœna pro peccato veniali cesset?*

Duplex sententia. Scotus (in 4. dist. 21.) docet, pœnas peccatorum venialium non esse æternas.—*Ratio.* Nulla est proportio inter pœnam æternam etiam minimam et peccatum veniale. *Ergo.* Maneret igitur reatus culpæ sine reatu pœnæ, quod fieri potest; quia et damnati peccant, hinc augent reatum culpæ, non autem reatum pœnæ. Præterea, videatur ad munus justitiæ pertinere, proportionatam pœnam infligere independenter a reatu culpæ. Denique, idem solet et in humanis fieri, ut tantum reatus pœnæ expietur.

Altera sententia tenet, pœnas etiam leviorum peccatorum æternas *non per se*, sed *per accidens* esse.—*Ratio.* Natura termini est in eo, ut finaliter omnia sint stabilia. Præterea, alio modo loquendum de reatu culpæ contractæ in via, alio modo de reactu culpæ contractæ in termino. Prior reatus ex sese pœnam postulat, non alter; unde quamdiu manet ille reatus culpæ in via contractæ, manet et pœna.

Utraque sententia probabilis, licet Estius ultimam habeat ut probabiliorem. Cf. Est. (in 4. dist. 36. § 3. n. F.)

Opinio Scoti nititur etiam aliqua traditione. Hinc

3. *Num in genere possit admitti aliqua mitigatio, progrediente via damnati, in pœnis accidentalibus?*

Refert Petavius (de Angel. l. 3. c. 8. n. 16.), S. August. (in Enchiridio) postquam docuit, posse sacrificia et eleemosynas fieri pro mortuis —valde bonis et valde malis—addit: "Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt, ut sit plena remissio, aut certe tolerabilior fiat ipsa damnatio." Simile quid in Ps. lxxvii. (cap. 112.); docet enim, quamvis non eximi possint a pœna damnationis, tamen "certis temporum intervallis pœnas damnatorum, si hoc eis placet, existiment aliquatenus mitigari .... ita ut Deus non det finem æterno supplicio, sed levamen adhibeat, vel interponat cruciatibus." Idem videtur docere S. Chrysostom. (homil. 9. in I. Corinth.; homil. 21. in Acta; hom. 3. in II. Thess.; hom. 9. in I. ad Timoth., etc.). Maxime vero (hom. 3. in ep. ad Philipp.) ubi docet expresse orationes, eleemosynas, sacrificia, quæ

pro mortuis in Ecclesia fieri soleant, exiguum aliquod damnatis afferre solatium. — P. Patuzzius, in opere "*De Futuro Impiorum Statu*" (l. 3. c. 12. n. 14.) aliter Chrysost. interpretari studet, sed parum bene. — Idem docet Damascenus (in libro *de Defunctis.*) Affert Lamius in quodam *Hodœporico* suo (p. 1. p. 311.) exstare missalia in quibus Missæ ad sublevandas damnatorum pœnas continentur; v. g., codex Gellonensis in Occitania Abbatiæ, qui jam a Mabillonio indicatur in Actis SS. Ordinis S. Benedicti sæculo V., ubi legitur hæc oratio: "Omnipotens et misericors Deus . . . te humiles trementesque deprecamur pro anima famuli tui, quam traxisti de præsenti sæculo absque pœnitentiæ spatio, ut si forsitan ob gravitatem criminum non meretur surgere ad gloriam, per hæc sacræ oblationis Libamina vel tolerabilia fiant ipsa tormenta." Item Florentin. aliquod Missale (sæc. XII. vel XIII. exaratum) simile quid habet. Insuper Græca Ecclesia recens, ut refert Renaudotius (de la perpétuité de la foi, l. 7. c. 10.) pro damnatis offert preces, etc." Asserit etiam Beda, qui (in Job xi.) dicit damnatos orare pro illis, qui in terris pro se orent. Cf. Estium (in 4. dist. 46. § 3. n. F. vero finem.). Prudentius (in hymno v. τῶν καθημερινῶν) asserit quovis anno per festum paschale requiescere damnatos a tormentis ignis:

"Sunt et spiritibus sæpe nocentibus
Pœnarum celebres sub styge feriæ,
Illa nocte, sacer qua rediit Deus
Stagnis ad superos ex Acheruntiis, etc.

Marcent suppliciis Tartara mitibus,
Exultatque sui carceris otio
Umbrarum populus liber ab ignibus,
Nec fervent solito flamina sulphure."

Sententia vero hæc, quamvis nihil sit ab Ecclesia definitum (Cf. Petav. de Ang., l. 3. c. 8. in fine) de tali levamine, ideoque propter auctoritatem talium doctorum ut S. August. et S. Chrysost. non possit plane dici temeraria, nihilominus plane rejicienda est, utpote contraria generatim SS. PP. dictis, v. g., Cyprian. (in epist. ad Demetrianum de pœnis inferni): "Nec erit unde habere tormenta *vel requiem* possint aliquando vel finem;" contraria sensus Ecclesiæ universalis, quæ non solet orare pro damnatis; contraria etiam rationi, quia damnati sunt extra vinculum charitatis, secundum quam opera vivorum prosunt defunctis; et præterea sunt in termino, ubi receperunt æternam suam operibus debitam retributionem. Prudentii denique sententia figmentum poeticum est contradicens Apocal. xx. 9. 10.: Reprobi "in stagnum ignis et sulphuris missi, cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum."

4. *Num in judicio mensura pœnarum ex misericordia Dei sit infra meritum?*

Duplex sententia. S. Thom. (1. q. 21. a. 4. ad 1.) dicit in damnatione reproborum apparere misericordiam, quæ non totaliter relaxet, sed aliqualiter alleviet tormenta, dum Deus puniat infra condignum. Item S. Bonavent. (in 4. dist. 15. ad text.) multique alii.

Ratio. S. Scriptura docet, in omnibus operibus suis Deum miseri-

cordia uti, quumque nulla fiat exceptio recte etiam ad judicium ultimum extendi intelligitur; v. g., Ps. xxiv.: "Universæ viæ Domini misericordia et veritas." Item Ps. lxxvi., Ps. cxliv., Sap. xi. 24., Roman. xi. 32.—S. Leo (de Jejunio decimi mensis): "In Dei operibus atque *judiciis* nihil vacat a veritate justitiæ, nihil a miseratione clementiæ."

Præterea, Deus remunerat ultra condignum; *ergo* et punit infra condignum; est enim par ubique ratio, i. e., bonitas divina.

Prob. Ant. Luc. vi. 38.: "Mensuram bonam et confertam et coagitatam, superefluentem dabunt in sinum vestrum."—Patres præterea hoc docent, ut Hilarius (in Ps. cxviii.: *Veniant mihi miserat.*"); Chrysost. (hom. 1. ad pop. Antioch.); Fulgent. (l. 1. ad Monym. c. 10. 11.); Hieronym. (in Ezechiel. c. 7.), etc.—Est communis sententia Scholasticorum. Cf. Estius (in 4. Sent. dist. 46. § 4. B.), Bellarm. (l. 5. de Justif. c. 19.). Addunt alii, non posse Deum ad condignum punire, quia creatura finita talem pœnam non capit. Ita Adrian. (in 4. tract. de Sacram. Pœnitent.), Dionys. Cisterc., Altisiodorens., etc.

Altera sententia tenet, non mitigari tormenta, ideo quod Deus sola utatur justitia. Estius (in 4. dist. 46. § 4. C.) vocat hanc sententiam valde probabilem.

Ratio. Ubique in Script. S. Deus dicitur reddere cuique secundum opera sua, ut Matth. xvi. 27., Rom. ii., Apoc. ult., Jacob. ii., Matth. v. et xvii. Apoc. xviii. 7.: "Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum."

Præterea, relaxatio pœnæ est quædam peccati remissio; talis vero in damnatis non est; quia videtur absurdum illi tollere aliquid de pœna, qui nihil tollit de culpa. Multi Patres idem docent. Cf. Estium (in 4. dist. 46. §. 4.).—Quod vero ultra condignum reddat Deus mercedem beatis, non est ratio, cur infra condignum pœnam infligat damnatis, quia in beatis est applicatio meritorum Christi, quæ non fit in damnatis.

Utraque sententia probabilis.

DE STATU DAMNATORUM QUOAD INTELLECTUM.

1. Cognitio naturalis in dæmonibus et damnatis non est diminuta.

Ratio. Cognitio sequitur naturam tanquam ejus passio seu complementum. Sed natura non est diminuta, quum sit indivisibilis. *Ergo.*

Coroll. *Ergo* dæmon summa quæque ingenia humana longe superat in cognitione naturali.

2. Cognitio supernaturalis, quamvis non omnis ablata sit, magnopere tamen est diminuta.

Ratio. *a*) Non habent tot, quot haberent, si essent beati.

b) Non habent eo modo, quia non vident creaturas, etc., in Verbo.

c) Habent tantum novas revelationes eas, quæ necessariæ sunt ut in ministerio Dei voluntatem Dei exequantur. Hæ simul cum illis, quas habuerunt in statu viæ, constituunt summam totam cognitionis supernaturalis.

3. Quamvis dæmones ob ministerium suum aliquam habeant cognitionem rerum, quæ apud nos sunt; damnati tamen nullam habent, nisi forsan illam, quam a dæmonibus accipiant.

Ratio. Nulla causa est, cur Deus ipsis talem cognitionem concedat. Quemadmodum beati, quum sint membra communionis sanctorum et corporis Christi, jus aliquod habent cognoscendi quidquid tangit hoc corpus Christi, ita damnati, quum sint prorsus extra corpus Christi sua, voluntate jus omne perdiderunt, ideoque nihil de corpore Christi deque membris ejus cognoscunt.—Præterea, non possunt ab hominibus juvari; nec possunt ipsi juvare homines in terris. *Ergo* nullus intercedit nexus. —Accedit, quod Deum odio habent, ideoque et ejus imaginem, i e., homines. Nulla igitur ratio pro ipsis aliquid sciendi de hominibus.

4. Scientia omnis dæmonum et damnatorum est scientia nocturna.

Ratio. Triplex scientia: *matutina* in Verbo,—plane lucida; *vespertina* præter Verbum,—partim lucida. Lux autem Deus est. Ex parte principii est lucida, in quantum Deus dat ideas naturæ et statui convenientes. Ex parte objecti, in quantum in illo Deus magis apparet et ad laudem suam attrahit.—Denique, scientia *nocturna*, in qua Deus non apparet ut lumen, nec cognoscitur in objecto ita ut trahat cognoscentem ad se; sed omnis scientia in gradu naturalis cognitionis infimo sistit. Hæc est scientia dæmonum et damnatorum, qui nihil in laudem Dei referunt, sed in omnibus obscurant mentem.

Obj. Dæmones credunt et contremiscunt. Jac. ii.

R. Fide supernaturali, ad quam requiritur gratia *N;* fide quadam naturali *C.*

DE STATU DAMNATORUM QUOAD VOLUNTATEM.

Triplex quæstio: 1. Num possint peccare et de facto peccent?

2. Num semper peccent, ita ut nihil boni facere nec pœnitentiam agere possint?

3. Unde hæc obstinatio et obduratio in malo?

1. *Num peccare possint et peccent?*

Duplex sententia. a) SS. Patres quidam videntur negare damnatos et dæmones amplius posse peccare. S. Ambros. (l. de Bono Mortis c. 7.): "Impius, quamdiu vivit, peccatum auget; moritur, peccare desinit." Item (l. 2. de Abel et Cain c. 9.)—Simili modo S. Hieronym. (in Ecclesiastæ ix., Malach. iv., Sophon. i.). Item S. August. (Enchirid. iii.).

Ratio idem suadere videtur, quia omne peccatum postulat pœnam propter justitiam Dei; sed non possunt crescere pœnæ, sicut peccata. *Ergo.*

b) Altera sententia omnino tenenda docet, posse peccare, et actu peccare.

Ratio. Est voluntas aversa et odio Dei infecta. *Atqui* talis voluntas quando agit, peccat. *Ergo.*— Manet præterea in damnatis et dæmonibus lex naturalis. *Atqui* contra hanc legem agunt etiam in inferno. *Ergo.*

Notandum vero, licet reatus culpæ augeatur, non crescit pœna, quia sicut nec merendi beatis, sic nec demerendi damnatis tempus et facultas datur, quia sunt in statu termini.

Patres, qui alteram sententiam tenere videntur, loquuntur de actu, in quantum est meritorius vel demeritorius.

2. *Num semper peccent, ita ut nihil boni agere possint?*

Tria explicanda: *a*) Damnatos esse obstinatos in malo; *b*) hinc eos nullam pœnitentiam habere; *c*) sed semper peccare.

a) *Sunt obstinati in malo.*

Voluntas damnati potest considerari dupliciter, vel ut facultas *naturalis* est, vel ut deliberativa est. Sub priori respectu est voluntas etiam in damnatis bona; sub altero respectu est mala. Quando vero naturalis voluntas prorumpit et aliquid bonum facit, tamen hoc bonum a voluntate deliberativa non refertur ad finem bonum; unde talis actus bonus tum ex relatione ad finem tum ex aliis circumstantiis malus est — actus vero qui ex plena deliberatione ponitur malus est. Ad peccatum utique requiritur, ut voluntas libera sit. Quamvis autem voluntas in aliquo statu sit, in quo nulla libertas est relate ad finem neque ad media, nihilominus manet libertas quoad actus individuos, num supprimere hunc vel illum actum velit, eligere hunc vel illum actum. Simili modo beati in cœlis non sunt liberi relate ad finem et media ad finem, sunt tamen liberi quoad actus secundarios, ut hunc vel illum omittant, hunc vel illum eligant. Cf. Franzel. (de Verbo Incarn. p. 488.)

His positis, *ratio:* Peccato mortali debetur pœna perpetua. *Atqui* una pœna et maxime afflictiva est deordinatio voluntatis. *Ergo* et hæc perpetua erit.—Præterea, animæ separatæ inhærent immobiliter illi fini, quem ut finem ultimum sibi elegerunt; hinc sicut animæ beatæ Deo, ita animæ damnatæ non Deo, sed bonis temporalibus. *Ergo.*

b) *Pœnitentiam non possunt habere.*

Sequitur ex *a*).—Præterea, sine gratia Dei non possunt resurgere a peccato. *Atqui* animæ damnatæ exclusæ sunt ab omni gratia.—*Ergo.* Gratia enim datur in ordine ad finem.—Denique, ut dicit S. Thom. (3. q. 86. a. 1.) damnatis non potest peccatum displicere sub ratione culpæ sed tantum sub ratione pœnæ. *Atqui* tale motivum displicentiæ non sufficit ad pœnitentiam, quia non est motivum morale, quum non sit propter Deum. *Ergo.*

c) *Semper peccant.*— Sequitur ex præcedentibus; quia non possunt agere propter Deum, hinc non moraliter bene.

3. *Unde illa obstinatio in malo?*

Diversa sententia. Gabriel. (d. 7. qū. unica) docet, Deum producere in anima damnati *odium* Dei idque semper conservare.—Sed falsum est; quia Deus esset auctor mali.

Aureolus (ut refert Marsilius q. 5. a. 3.) docet, Deum producere habitum intensissimum in voluntate damnata, qui eam semper inclinat necessario in peccatum.—Sed falsum, quum Deus esset auctor mali.

S. Thom. (de Veritate q. 24. a. 10., de Malo, q. 16. a. 5., cg. l. 4. c. 95. etc.), docet ex ipsa natura animæ ut spiritus sequi, quod semel elegerit, in hoc spiritum semper immobiliter inhærere.—Sed hæc sententia jam refutata est in tractatu *de angelis.*

Suarez (de Angel. l. 8. c. 11.), Tolet. (de Pœna Dæm. q. 64. a. 2.) etc., repetunt causam obdurationis ex natura status.—Considerantes privati-

onem summi boni et finis ultimi et summam miseriam utriusque æternitatem sine spe ullius levaminis oritur desperatio et odium Dei, quum desit in actuali illo statu motivum amoris et spes mercedis pro actione bona; hinc impossibilitas agendi ex motivo morali; ideoque obduratio.

Coroll. *Ergo* et Deum et quotquot sunt beati cum Deo et homines ipsi odio damnatis sunt.

Obj. Luc. xvi. 22., in historia de divite epulone et Lazaro mendico, dives epulo desiderat conversionem fratrum. *Ergo* non odit homines.

R. Multi tenent esse parabolam; communius tenetur fuisse quoad fundamentum historiam. Cura vero damnati de fratribus triplici modo exponi potest: *a*) Esse aliquem affectum carnalem etiam in damnatis erga familiam. Hoc videtur insinuare S. August. (supra Ps. cviii.) ubi ex hoc loco probare conatur, esse mortuis aliquam curam de viventibus caris suis. *b*) Gregor. (l. 9. Moral. c. 49.) docet, timuisse damnatum augmentum suæ pœnæ, si fratres quoque damnarentur. *c*) Quum in hac historia multa sint parabolica, v. g., quando postulat damnatus refrigerationem linguæ, spiritus enim non habet linguam,—colloquium cum Abraham, etc., recte etiam dici potest cura illa fratrum suorum proposita fuisse parabolice, ut ostenderet Dominus quam parum homines dociles essent in rebus salutis.

Quæstio de ministerio dæmonum.

N. B. Agitur proxime non de damnatis hominibus sed angelis. S. Thom. (1. q. 114.), Suarez (de Angel. l. 8. c. 18.)

Omne ministerium cadit sub providentiam Dei, hæc vero providentia duplice quasi parte continetur: providentia prior universum gubernans ordinando bona; altera permittens mala, vel procurans. Jam dæmones habent aliquod ministerium, vagantur enim super terram;—quod non cadit sub providentiam priorem (positivam), sed sub alteram (negativam).

Assertum I. Habent dæmones munus tentandi homines. Nam *a*) tentavit diabolus Evam, Jobum, Christum ipsum; Matth. iv. 3. vocatur "*tentator*" simpliciter; I. Petr. v. 8.: "Tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret." *b*) Patres idem docentes has rationes afferunt: *α*) Inimicus Deo et hinc ejus etiam imagini in homine. *β*) Invidet homini imaginem Dei et destinationem, ut locum a se amissum occupet. *γ*) Vult sibi vindicare Dei gloriam et cultum.

Assertum II. *De potestate.*

Potestas tentandi duplex: physica et moralis—*positive*, i. e., jubendo, suadendo, etc.; *negative*, i. e., permittendo. Jam dæmon physicam habet potestatem tanquam naturalem a Deo sibi datam via naturali; moralem vero habet tantum negativam, i. e., permissionem utendi physica potestate.

Coroll. *Ergo* nullum jus habet dæmon in homines, sive bonos sive malos. Jus enim supponit obligationem correlativam; hæc vero nullibi existit.

Assertum III. Quod Deus permittat dæmoni tentare homines, est de fide. Rationes convenientes triplicis generis sunt: ex parte Dei;

ex parte hominis; ex parte diaboli.—Chrysost. (hom 1. ad popul.) undecim affert.

a) *Ex parte Dei.* *α*) Ut excellentia gratiæ pateat: "sufficit tibi gratia mea; virtus in infirmitate perficitur" II. Cor. xii. *β*) Ut infirmitas hominis pateat, qui peccat, quamvis habeat gratiam—peccare enim liberi arbitrii est non gratiæ; unde patet necessitas gratiæ. *γ*) Ut potentiam ostendat, quum ex malis educat bonum— sicut Incarnationem ex peccato originali,—et gloriam augeat, ostendendo alia attributa sua.

b) *Ex parte hominis.* *α*) Ut augeat meritum; *β*) ut crescat in humilitate; *γ*) ut magis quærat Deum precibus, etc.

c) *Ex parte dæmonis.* *α*) Ut confusio sit major, et imbecillitas sit clarior, quum spiritus vincatur ab homine; *β*) ut gaudium primæ victoriæ in Eva sit minus; *γ*) ut impossibilitas cultum divinum sibi arrogandi ipsi novam creet confusionem.

N. B. In statu innocentiæ esset tentatio ad exercitium virtutis; in statu lapsus est etiam propter peccatum. Præterea, in baptizatos non habet tantam vim, quam in non baptizatos, quia Deus debet amicos suos defendere.

Quæstio, num omnes tentationes sint a diabolo?

Nota.—*Duplex tentatio*: *probationis* ad obtinendum aliquid; sic Deus tentavit Abraham (Genes. xxii. 1.), diabolus Christum, ut probaret, se esse filium Dei (Matth. iv. 1.); *alia seductionis.* Prior cadere in Deum potest; altera non.

Assertum I. Dæmon, quum non possit esse proxima causa peccati, est enim liber hominis consensus tantum — potest tamen esse proxima causa tentationis, ut patet.

Assertum II. Certum est, posse etiam hominem tentari a sua concupiscentia, etc., sine diabolo.

Assertum III. Quod autem factum attinet, aliqui Patres censent omnem tentationem oriri a diabolo, ut Dionys., Origen, Damascenus. Nihilominus S. Thom. (1. q. 114. a. 3., et 1–2. q. 8. a. 4.) docet, non omnia peccata esse ex tentationibus dæmonum. Idem docuerunt S. Chrysost. (hom. 54. in Acta), Nazianzenus (inter carmina tetrastica in 52.), Gregor. (Moral. l. 11. c. 25.). Utraque sententia probabilis. Potest autem assumi, diabolum vel *immediate* vel *mediate* influere in omnia peccata, i. e., per alios homines ante seductos, etc. Ita Suarez (de Angel. l. 8. c. 19. n. 20.)

Quæstio, num in inferno sit ordo principatus?

Assertum I. Est ordo quoad ministerium tentandi.

Ratio. Diabolus est "princeps mundi." Joan. xiv. 30., xvi. 11.; Christus loquitur de *regno* diaboli non in se diviso (Luc. xi. 18.); Matth. xxv. 41.: "diabolus et angeli ejus," i. e., subditi ejus.

Assertum II. Unde ille principatus?

Duplex sententia. S. Thom. (1–2. q. 109.) ex perfectiore natura Luciferi.

Suarez (de Ang. l. 8. c. 21.) derivat partim ex natura perfectiore; partim ex libero angelorum a Lucifero seductorum consensu; partim ex

Dei ordinatione permittente.—Etenim si omnis prælatura esset ex perfectione naturæ, sequeretur infimos angelos tot habere superiores, quot essent superiores angeli, quod non videtur admittendum.

N. B. Censet Suarez (l. c.) unumquemque hominem, sicut bonum habeat angelum secum, sic et malum habere; putatque eam sententiam communem PP. et Theolog.; vide tamen supra in tractatu *de Angelis.*

Totus autem *primatus desinit* in ultimo judicio (ut glossa in I. Cor. xv. dicit). Neque ulla in inferno necessitas vel dirigendi vel imperandi. Hinc in inferno finaliter omnes æquales.

Quæstio de loco inferni.

Quotquot negant ignem verum et corporalem, negant etiam infernum esse unum locum physicum.

Assertum I. Certum est, infernum esse unum locum physicum et corporalem. Nam: *a*) vocatur et describitur ut talis in Script. S.: "Et tu Capharnaum . . . usque ad inferos descendes" Matth. xi. 23.: "Mortuus est dives et sepultus est in inferno." Luc. xvi. 22.—*Atqui* his locis non potest intelligi sepulcrum. *Ergo.* Cf. II. Petr. ii. 4., Judas vi. Vocatur præterea *gehenna ignis*, Matth. v. 22. et xviii. 9., Marc. x. 44. 46. *b*) Est ignis materialis in inferno; *ergo* infernus locus materialis. *c*) Est communis sensus Ecclesiæ. *d*) Præterea, in inferno est corpus *sociale* malum; *atqui* convenit tali societati unum territorium seu locus. *Ergo.* Major patet ex superioribus. Insuper multa peccata sunt *sociatia; ergo* convenit esse etiam pœnas *sociales.*

Quæstio ubi sit infernus?

Aliqui posuerunt infernum in superficie terræ; alii in valle Gehennon prope Hierosolyma, unde nomen Gehenna; alii in valle Josaphat; alii in sphæra ignis; alii in hoc caliginoso aere. Multi Patres censent esse sub terra, v. g., Isidorus, Cyrill. Alexand., Damascen., etc.—S. August. (de Civit. Dei l. 20. c. 16.) loquens de igne inferni: "In qua mundi vel rerum parte futurus sit [infernus], hominum scire arbitror neminem, nisi forte cui divinus Spiritus ostendit." *

N. B. Alii dæmones ministerii causa sunt in aere, ut dicit Apostolus ad Ephes. ii.: "Secundum principem potestatis aeris hujus." Item ad Eph. vi. 1. — Num vero alterantes ita ut alii ex inferno veniant, eorum locum occupantes, illi vero redeant et sic per vices, non constat. Sunt autem ibi tantum usque ad ultimum judicium, "Angelus misit, et clausit diabolum in abyssum" Apoc. xx.

* Ex communi doctrina theolog. Scholast. quatuor sunt loca subterranea, quæ sunt receptacula animarum non videntium Deum: 1. Sinus Abrahæ usque ad adventum Christi,—deinceps vacuus; 2. Purgatorium; 3. Limbus infantium non baptizatorum; 4. Gehenna. Solent hæc loca vel omnia, vel quivis vocari loci inferorum. Qui est remotissimus a cœlo est Gehenna; dicitur esse circa centrum terræ. Supponeretur ergo ibi ignis. Ceterum sequenda est sententia S. Augustini supra.

PARS SECUNDA.

DE NOVISSIMIS MUNDI

SEU DE DIE NOVISSIMO.

Cf. S. Thom. (3. q. 8., Suppl. q. 83. etc.), Suarez (in 3. p. tom. 2. disp. 55. etc.)

Postquam egimus de sorte hominum singulorum, restat, ut agamus de sorte generis humani et mundi ipsius.

De ordine eventuum.

Quum, ut patet ex S. Script., multa signa præcessura finem mundi sint, agemus 1°. de iis, quæ remotius magis; 2°. de iis, quæ promixe et immediate præcedant.—*Priora* sunt: Prædicatio Evangelii in universo mundo; Judæorum conversio ad fidem; adventus prophetarum Henoch et Eliæ; adventus Antechristi et magna Apostasia.—*Posteriora:* Naturæ perturbatio (signa magna in cœlo, etc.); adventus Domini judicis; resurrectio corporum; judicium mundi; conflagratio et innovatio; executio judicii finalis.—Cf. S. August. (de Civitate Dei, l. 20. c. 30.)

I. DE SIGNIS MAGIS REMOTIS.

DE PRÆDICATIONE EVANGELII.

"Prædicabitur hoc Evangelium regni in universo mundo in testimonium omnibus gentibus; et tunc veniet consummatio." Matth. xxiv. 14.—Effectus erit: "et fiet unum ovile et unus pastor." Joan. x. 16.

Duo quærenda: 1. Num immediate venturus finis?

2. Num omnes gentiles et Judæi Christiani futuri sint?

Quoad 1. docet S. Hieronymus prædicationem illam certum esse signum instantis finis; melius tamen post S. August. (ep. 197.) Maldonatus (in Matth. c. 24.) censet sensum prophetiæ Domini esse, consummationem mundi non ante futuram esse, quam prædicatio facta fuerit; incertum vero putat, num continuo post prædicationem finis incipiat.

Quoad 2. *Unum ovile*, etc., non applicandum ultimis temporibus, sed primis; nota enim erant dissidia inter Christianos ex gentilibus et ex Judæis (ex Actibus Apost., ex epist. ad Roman, etc.), ita ut sensus sit: ex gentilibus et Judæis nova colligenda Ecclesia est sub uno novo pastore, quæ sit unum ovile uno et eodem modo omnes tam ex gentilitate quam ex Judaismo complectens. (Cf. Maldon. in Joan. c. 10., item Salmeron t. 15. disp. 19. in ep. ad Hebr. c. 10.) Ideoque S. Augustinus de hoc loco: "Quod non ante finem mundi faciendum exspectatur, sed jam factum cernitur." Offertur igitur omnibus gentibus Evangelium, quodsi rejicitur ab una gente, non sequitur debere iterum offerri eidem genti; quia quod una gens pro sua generatione actuali rejicit, etiam pro generationibus suis futuris rejicit, sicut una gens potest etiam per hæresim fidem amittere pro sua et pro futuris generationibus suis. Unde prædicandum quidem Evangelium est; non tamen sequitur, ideo omnes gentes conversum iri.

DE JUDÆORUM CONVERSIONE

Illam docet S. Paulus Rom. xi. 25.: "Nolo vos ignorare mysterium hoc, quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret et sic omnis Israel salvus fieret, sicut scriptum est: Veniet ex Sion, etc."

Expl. Sensus duplex esse potest: vel intelligitur Israel spiritualiter, i. e., omnes, qui fidem habent sive ex gentilibus, sive ex Judæis,—quia et alibi, qui veram fidem habent vocantur "semen Abrahæ," patris omnium credentium; vel sensu obvio de Judæis. Hic vero sensus Apostoli esse videtur; loquitur enim de cæcitate Judæorum; ideo tamen non desperandum; immo sperandam conversionem; eamque de facto futuram in fine mundi affirmat. Convenit S Aug. (de Civ. D. l. 22. cap. penult.) dicens, "in sermonibus cordibusque fidelium celeberrimum esse, Judæos ultimo tempore ante judicium per Eliam exposita sibi lege in Christum verum credituros." Neque obest Apost. I. Thess. ii. 16. dicens: "pervenit ira Dei super eos usque in finem." Potest intelligi in fine cessare; quamvis Theophylactus intelligat verba hæc, ut nunquam cesset ira Dei.— Quodsi Hieronym. (super Isa. xi. in verba: "Adjiciet Dominus secundo manum suam") dicit "ut nequaquam juxta nostros Judaizantes in fine mundi, quum intraverit plenitudo gentium, tunc omnis Israel salvus fiat; sed hæc omnia in primo intelligamus adventu," vult rejicere errorem Judaizantium, qui docebant, per Eliam cultum Mosaicum restitutum iri. Cf. S. Hieron. (Comment. super Malach. iv.), ubi hunc errorem Judaizantibus tribuit.—Neque tamen necesse est, omnes Judæos conversum iri, sed sufficit talis multitudo, ut Judaica religio possit dici desiisse esse publica religio.

N. B. Non videtur tamen omnino certa sententia.

DE ADVENTU HENOCH ET ELIÆ.

Henoch et Elias non leguntur mortui, sed a Deo sublati, — hinc adhuc viventes. Dicuntur autem in fine mundi redituri esse, Elias ut Judæos, Henoch ut gentiles convertat. Ac de Elia testatur Christus a transfiguratione descendens et loquens de sua resurrectione, quum eum interrogent discipuli: "Quid ergo scribæ dicunt, quod Eliam oporteat primum venire? Elias quidem venturus est et restituet omnia."—Quamvis autem postea metaphorice Joannem Baptistam dicat Eliam, tamen, quum jam adesset Joan. Baptista, non potest Dominus eum voluisse his verbis designare.

De Henoch. Eccl. xliv. 16.: "Henoch translatus est in paradisum, ut det gentibus pœnitentiam." Unde Patres morali quodam consensu utrumque rediturum affirmant. S. Aug. (serm. 299.): "Vivunt Enoch et Elias, translati sunt; ubicumque sunt, vivunt. Et si non fallitur quædam ex Scriptura Dei conjectura fidei, morituri sunt. Commemorat enim Apocalypsis quondam duos mirabiles prophetas, eosdemque morituros et in conspectu hominum resurrecturos et ascensuros ad Dominum et intelliguntur ipsi Enoch et Elias, quamvis illic nomina eorum taceantur." Cf. Apoc. xi. 3. etc. Addit S. Aug. (de Civ. Dei, l. 20. c. 29.): "Conversionem Judæorum per Eliam effectum iri." Est vero sententia hæc tam certa, ut contraria videatur temeraria.

1. *De existentia futura.* Probatur *a*) II. Th. ii. 1-11., ubi vocatur "homo peccati, filius perditionis, iniquus, qui tunc revelabitur, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui," etc.— S. Aug. (de Civit. D. l. 20. c. 19.): "Nulli dubium est, eum [Apostolum] de Antichristo illa dixisse, diemque judicii (hunc enim appellat diem Domini) non esse venturum, nisi ille prior venerit."

b) ex I. Joan. ii. 18. Quamvis multi vocentur antichristi per participationem, hoc tamen fieri non posset, nisi aliquod unum omnibus notum fundamentum subesset.

2. Quæritur, sitne una persona certa et individualis?

Antichristum non fore unam personam determinatam, sed vel omnes illos, qui eximio quodam modo contra Christum egerint, ut Julianus Apostata, Arius, Mahumed fuerunt, etc., vel systema aliquod, v. g. falsam scientiam, atheismum, quo defectio a religione existeret, multi opinantur, sed sine ullo fundamento. Apostolus enim Paulus loquitur clare de uno homine; ita et PP. explicant, et sensus communis Ecclesiæ idem tenet. Huic non obest, illos vocari antichristos, qui simili spiritu aguntur, quod et in aliis rebus obtinet.

3. Quod genus, quis character?

Communius a Patribus et Theologis censetur, Antichristum fore genere et professione Judæum. "Oritur ex Syria, malo spiritu genitus, eversor et perditor generis humani." Lactant. (Div. Institut., l. 6. c. 17.)* Alii referunt, antichristum Babylone oriundum, ex tribu Dan; regnaturum Hierosolymis. Secund. Hieronym. (in Dan. xi.), Theodor. (Orat. 10. in Daniel.), Damascen. (l. 4. de Fide, c. 26.) interficeretur in monte Oliveti a Christo Domino vel ipso, vel per Michaelem archangelum. Valet tamen de omnibus illis, quod S. August. dicit de eadem re: "Alius sic, alius sic Apostoli obscura verba conjectant." (de Civit. D. l. 20. c. 19.) Vera igitur a conjecturis sedulo separanda: veniet homo determinatus; magnam defectionem inter Christianos efficiet.

II. DE SIGNIS IMMEDIATE PRÆCEDENTIBUS.

PERTURBATIO NATURÆ.

1. Signa erunt in stellis, etc. (Matth. xxiv. 29. 30., Luc. xxi. 25. Quodsi similia signa jam nunc videantur, sequitur ultimo tempore fore extraordinaria. Quoad tempus putant aliqui, diem tantum et horam ignorari, tempus vero computari posse. Hos refellit S. Aug. (ep. 197.) dicens nec tempus sciri. Ac profecto: "Non est vestrum, nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in potestate sua." (Act. i. 6. 7.)

2. De conflagratione mundi (de qua post.) oritur quæstio, quo ordine ponenda sit? S. Aug. (de Civ. Dei, l. 20. c. 30.) ponit resurrectionem ante conflagrationem; S. Thom. (in 4. Sent. dist. 47. q. 2. a. 3.)

* Erat inter primos Christianos opinio, *Neronem* esse antichristum; eum non occisum sed subtractum conservari usque ad ultima tempora. Vocat S. Aug. hanc sententiam præsumptionem; invenitur tamen apud Victorinum (in Comment. sup. Apoc.), apud Sulpicium (in vita S. Martini), etc.

ponit conflagrationem quoad initium ante, quoad finem post judicium.

Ratio S. Thom.: *a*) qui adhuc vivunt, debent in illa conflagratione mori; *b*) corpora gloriosa debent componi ex materia per ignem purgata.

S. Bonavent. et imprimis Suarez (in 4. disp. 57. s. 1.) defendunt sententiam S. August.

Ratio: Si post conflagrationem sequitur resurrectio, mali et reprobi suis blasphemiis mundum renovatum iterum fœdabunt,—quod admitti nequit; damnati fruerentur saltem per aliqua momenta pulchritudine mundi renovati, — quod non convenit. Non est necessitas pro beatis ante auditam sententiam habere jam totam gloriam corporis. — Addi denique potest, justos qui certe et inter illos viventes sint, debere in altera sententia mortem ignis subire, quod non videtur admittendum sine gravi ratione. Posset quidem Deus per miraculum mortem reddere dulcem; sed non est novum miraculum assumendum sine ratione.

Potest utraque sententia conjungi, si assumitur, incipere mundi conflagrationem ante judicium, durare per judicium; quo finito iisdem flammis damnati sepulti abriperentur.

DE RESURRECTIONE.

Ordo quæstionum:— I. De resurrectionis facto;— II. de ejus exemplari;—III. de ejus effectibus.

I. De facto.

1. De veterum doctrina. Teste Tertulliano (De Præscript. c. 7.) omnes veteres philosophi rejecerunt resurrectionem; teste vero Athenagora (Apolog. pro Christian, sub finem) hæc doctrina "non nostra tantum sed philosophis etiam multis (i. e. stoicis) approbata." Præterea poetæ etiam rejiciunt resurrectionem, v. g., Catullus ad Lesbiam: "Soles occidere et redire possunt;— nobis, quum semel occidit brevis lux, — nox est perpetua una dormienda." Cf. Theocrit. (Idyll. 4. etc.). Plinius (Hist. Nat., l. 7. c. 55.): "Quæ est ista dementia, iterari vitam morte?" (i. e., mors non est alterius vitæ principium).*

2. Judæi generatim admittebant resurrectionem; non tamen omnes sectæ inter Judæos. Pharisæi negabant resurrectionem, admittentes tamen aliquam metempsychosim, teste Josepho (de Bell. Jud., l. 2. c.

* Arabes Harbanistæ ex Zabiorum secta docent, post 36,425 annos omnes animantium species interituras, naturamque in singulis terræ climatibus cujusque speciei bina paria producere, unde novus cyclus vitæ; et ita per vices deinceps. Cf. Gener (t. 4. p. 2. tract. 3. l. 3. c. 1.).

7.): "Animam omnem quidem incorruptam esse; transire autem in alia corpora solas bonorum, improborum vero interminabili supplicio terminari." Hinc Pharisæi quidam Christum Dominum esse vel Joannem Baptistam, vel Eliam, vel Jeremiam dixerunt; Herodes audita fama miraculorum Christi Joannem Baptistam resurrexisse putabat. — *Sadducæi* vero resurrectionem omnino rejecerunt.— Talmudistæ docent, Judæos tantum resurrecturos non gentiles, et illos quidem, qui in terra Canaan sepulti sint, primos fore, postea alios in aliis terris sepultos; hinc desiderium Judæorum, ut sepeliantur in Canaan. Buxtorf. (Synag. Judaic. c. 3.).—Cabalistæ, quibus consentiunt plures Rabbini, ut David Kimchi, etc., docent inter Judæos justos dumtaxat resurrecturos. Præterea hominem per revolutionem tria corpora habiturum, in uno vero resurrecturum (ex lib. Sohar tit. 11. de Port. Retrib. § 40., apud Berger).

3. Hæreticorum maximus numerus rejecit resurrectionem, ut recte S. Aug. (Ennarat. in Ps. lxxxviii. serm. 2. n. 7.): "In nulla re sic contradicitur fidei Christianæ, sicut in resurrectione carnis."

4. Miram habent doctrinam Arabes anonymi (apud S. Aug. "*Arabici.*") circa ann. 246., animas una cum corpore mori et deinceps resurgere; quem errorem post docuerunt Anabaptistæ (in edita doctrin. Cracoviæ 1568.): "Negamus aliquam animam post mortem manere, sed illud dicimus excogitatum ab Antichristo." Docent tamen cum corpore resurrecturam.

5. Rationalistas, Atheos, etc., hac ætate negare omnem carnis resurrectionem, satis notum est.

PROPOSITIO XVIII.

Fide docemur, resurrectionem hominum mortuorum universalem in fine mundi futuram.

St. Q. 1. Resurrectio definitur: "*Hominis mortui restitutio substantialis.*"

Expl. Supponitur homo mortuus, anima itaque separata a corpore. Hinc distinguenda actio restituens seu resuscitatio, et passio seu resurrectio: prior ex parte Dei; altera ex parte hominis. — *Substantialis;* hinc distinguitur a reparatione seu reconstructione corporis. Denique

ejusdem hominis secundum idem corpus et eandem animam. Unde si anima esset eadem sed corpus aliud, *non* esset *resurrectio*. Hinc requiritur *identitas* cum priore homine. Definitur etiam "Reunio animæ cum corpore in eandem personam."

2. *Universalis*, i. e., omnium mortuorum; et sic intellecta est propositio *de fide*.

3. Non quæritur, num resurgentes immutentur (de hoc in prop. altera).

PARS. I.—*Resurgent mortui.*

N. B. Omittimus verba Job, xix. 25. et seqq. Licet enim ex versione Vulgatæ facile pateat dogma resurrectionis, tamen ex versione verbali textus Hebraici et ex versione Septuagint. multæ oriuntur difficultates. Vide Corluy (Spicileg. tract. 5. tom. 1.); præterea Rosenmueller (in h. loc.), Drach (L'église et la Synagogue tom. 2. p. 481...).

ARG. 1. (Joan v. 29.). "Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei; et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii (i. e., in condemnationem)." Unde argumentum:

Christus Dominus, ut ostendat suam potentiam, terreatque Judæos, ut pœnitentiam agant, docet ac describit: *a*) resurrectionem omnium defunctorum ex sepulcris—tanquam factum futurum. *b*) Docet, per suam vocem resurrecturos—tanquam causam. *c*) Ad gloriam vel judicium resurrecturos—tanquam finem. *Ergo.*

Expl. Descriptio magnifica. Christus veniens in nubibus, stipatus angelorum caterva (Matth. xxvi. 64.). In terris sepulcra regionum; tuba canens; vox omnipotens Filii Dei; egressio mortuorum ex sepulcris cum corporibus; omnium concursus in unum locum—alii currunt ad gloriam, alii coguntur ad locum pœnarum; fit judicium; limes, horizon æternitatis separans omnia—tempus, locum, etc.

Accedit Apost. (I. Thess. iv. 15.): "Ipse Dominus in jussu et in voce archangeli, et in tuba Dei descendet de cœlo et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi."

ARG. 2. *Ex PP.* Patrum est in hac re unanimis doctrina. Clemens Rom. (Epist. ii. ad Cor. c. 9.): "Nemo vestrum dicat, hæc caro non judicatur, neque resurgit."— Item S. Ignat. (ad Tertull. n. 8.). — Ter-

tullianus scripsit integrum librum de resurrectione carnis. "Fiducia Christianorum resurrectio mortuorum." (cap. 1.).— S. August. (serm. 241. n. 1.): "Propria fides Christianorum est resurrectio mortuorum."

Arg. 3. *Ex symbolis.* "Credo . . . carnis resurrectionem." (Symb. Apost.).—"Expecto resurrectionem mortuorum." (Symb. Nicæno-Constant.).—"Ad cujus adventum omnes homines resurgere debent cum corporibus suis et reddituri sunt de factis propriis rationem." (Symb. Athanas.).

Arg. 4. *Ex praxi Ecclesiæ.* Ecclesia magnopere veneratur reliquias sanctorum, ideo quod sunt pars hominis resuscitanda; præterea et omnium fidelium corpora curat decenter sepelienda, etc. *Atqui* Ecclesia in sua praxi et ritibus non potest falli. *Ergo.*

Pars II.—*Resurget idem corpus.*

Arg. 1. I. Cor. xv. 53. "Oportet corruptibile HOC induere incorruptionem et mortale hoc induere immortalitatem." *Ergo* hoc quod corruptibile est, incorruptionem induit, etc.

Arg. 2. Exponit Theodoretus hunc locum: "Sapienter docuit, non aliud resurrecturum esse, sed illud idem, quod corruptum est. Sic enim loquitur ut veluti *digito* illud indicet, dicens: corruptibile hoc et mortale hoc."

Arg. 3. *Ex Consiliis.* Lateran. IV.: "Omnes cum suis propriis resurgent corporibus, quæ *nunc* gestant."

Quæritur, num naturali lumine intellectus possit necessitas resurrectionis probari?

1. S. Thom. (1–2. q. 4. a 5.) docere videtur corpus ad beatitudinem *perfectam* necessarium. Nam (n. 4.): "Appetit anima sic frui Deo, quod etiam ipsa fruitio derivatur ad corpus per redundantiam sicut est possibile, et ideo quamdiu ipsa fruitur Deo sine corpore, appetitus ejus sic quiescit in eo, quod tamen adhuc ad participationem ejus vellet suum corpus pertingere."—Similiter n. 5.

Cg. (l. 4. c. 79.) docet animam sine corpore existere esse contra naturam: "Nihil autem, quod est contra naturam, potest esse perpetuum. Non igitur perpetuo exit anima sine corpore."

Distinguit ibidem S. Thom. inter beatitudinis perfectionem ex parte objecti, et ex parte participantis: priorem posse haberi sine corpore, quum sit adeptione Dei per visionem immediatam; alteram negat posse haberi sine corpore. "Non igitur homo potest ultimam felicitatem consequi, nisi anima iterato corpori conjungatur."

In fine denique ejusdem capitis: "Necessarium igitur est, ponere iteratam animæ ad corpus conjunctionem, ut homo et corpore et anima præmiari et puniri posset."

Hinc arguit S. Thomas *a*) *Ex Rat. Metaph.*: ex eo, quod anima sine

corpore non sit natura completa; persona completa; ens completum; *b*) *Ex Rat. Morali:* quod anima habeat desiderium corporis, ut forma; quod velit etiam corpus participare gaudium (secundum partem sensitivam); *c*) *ex providentia Dei* quod corpus simul mereatur et demereatur, hinc et præmiari et puniri debeat. — Nihilominus docet: "Corpore resumpto beatitudo crescit non intensive sed extensive." (1–2. q. 4. a. 6. ad 5.).

2. Jamvero non videtur rationibus illis evinci doctrina, sed tantum suaderi non positive sed negative, i. e., ita ut *non-resurrectio* nullatenus repugnet. Potest enim responderi ad primam rationem:

a) Animam esse substantiam et formam; sed esse formam propter infirmitatem substantiæ; quodsi hæc infirmitas aliqua ratione sanata sit non esse contra naturam existere sine corpore.

b) Nec profecto *nunc* ante resurrectionem sancti in cœlis existunt contra naturam.

c) Etiam principium vegetativum ligatur in corpore glorioso—certe contra naturam; et quod pluris est, quum sit complexus facultatum, contra naturam facultatum.

d) Quum natura sit ad agendum, persona ad imputationem, tota vero activitas et imputatio sine corpore habeatur, non videtur necessarium adesse corpus; nec apparet in eo ullus defectus, quum forma propter suam perfectionem *finalem* cum corpore jungenda sit. (vide *a*).

e) Contra alteram rationem objici potest, non posse desiderium ullum esse in anima. Nam desiderium et nisus sunt tantum in facultate, anima vero non per facultatem sed per semetipsum informat; ergo aptitudo non desiderium saltem efficax adesse potest. Præterea si intelligit anima suam destinationem ad corpus, intelligit etiam se corpore potius impediri, quam adjuvari in activitate sua intellectuali.

f) Contra tertiam rationem dici potest, principium sensitivum et vegetativum et generatim corpus subordinatur principio intellectivo ideoque et ejus fini; quare si illud adjuvantibus illis principiis finem suum obtinuit, et illa principia alia finem obtinuerunt, ita ut specialis satisfactio non requiratur. Subordinantur non coordinantur.

Conclusio. *Ergo* admittendæ sunt rationes S. Thomæ ut suasivæ non ut probativæ. Cf. Lessium (de Summo Bono, l. 1. c. 9.).

Scholium.—*De identitate corporis resurgentis numerica.*

Duplex potissimum sententia inter Catholicos:

I. Requiritur identitas numerica anima tantum; non vero materiæ.

Expl. Duplex identitas, numerica et specifica. Prior postulat, ut sit numero idem, v. g., corpus ejusdem in infantia et in adolescentia; altera ut conveniant in specie; v. g., granum frumenti producens multa grana in spica convenit cum illis granis in specie non numero. Asserit igitur hæc sententia, sufficere, ut anima, i. e., forma, *numero* eadem sit; non requiri, ut materia sit eadem numero, sed identitatem in specie sufficere. Tribuitur hæc sententia *Origini* (in Ps. i. 5. in verba: "Non resurgunt impii in judicio."). Vide Epiphan. (hæresi 64.ª) qui eum refutat. Inter Scholasticos eam defendit Durandus (in 4. Sent. dist. 44. q. 1.).

GTU LIBRARY
3 2400 00576 9181

GTU Library
2400 Ridge Road
Berkeley, CA 94709
For renewals call (510) 649-2500

All items are subject to recall.
4750